Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Selectae E Profanis Scriptoribvs Historiae


Heuzet, Jean

Lipsiae, MDCCLVIIII.

VD18 12897531

urn:nbn:de:gbv:45:1-17417

Visual Library



Landesbibliothek Oldenburg

a. 2.
Spt. IX, 4
47

Landesbibliothek Oldenburg



Landesbibliothek Oldenburg

EX BIBLIOTHECA
OLDENBVRGENSI.

Landesbibliothek Oldenburg

SELECTAE
E PROFANIS
SCRIPTORIBVS
HISTORIAE
QVIBVS
ADMISTA SVNT VARIA
HONESTE VIVENDI PRAECEPTA
EX IISDEM SCRIPTORIBVS
DEPROMTA
IN VSVM IVVENTVTIS
SCHOLASTICAE
AD LATINI SERMONIS CASTITATEM
ET AD MORVM SVAVITATEM
MANVDVCENDAE
NOVA EDITIO AD PARISIENSEM
REPETITA
ITA TAMEN
VT LOCI AVCTORVM PRAEPOSTERO
CONSILIO IN HAC VEL IMMVTATI VEL
DECERPTI RESTI, VTI ACCVRATIVSQVE
CITATI FVERINT
ACCESSIT HVIC NOVAE EDITIONI INDEX
RERVM MEMORABILIVM.

CVM PRIVIL. POT. POL. REG. ET ELECT. SAX.

LIPSIAE,
SVMTIBVS IOH. GEORG. LOEWII.
A. C. MDCCLVIIII.

M

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg

VIRO

PRAENOBILISSIMO ATQVE

CONSVLTISSIMO

DOMINO

FRIDERICO OTTONI

MENCKENIO

PHILOSOPH. ET IVR. VTR. DOCTORI

VIRO DE REPVBLICA LITTERA

RIA PRAECLARE MERITO

ET IN DIES BENE DE EA MERENTI

PRAECIPVE ACTIS ERVDITO

RVM LATINIS

QVAE POST PARENTIS SVI

DESIDERATISSIMI

IOHANNIS BVRCHARDI

OBITVM

CVM PLAVSV DIRIGIT

Landesbibliothek Oldenburg

HANC EDITIONEM
SELECTARVM HISTORIARVM
LIBELLI
IN
VSVM STVDIOSAE IVVENTV
TIS CONCINNATI
BONAE FRVGI PLENISSIMI
QVO ADOLESCENTES
MERITORVM
MENCKENIANORVM
PROPAGATOREM
MATVRE COLERE DISCANT
QVIBVS
ERVDITI TAM MVLTA ET
PRAECLARA DEBENT
BENEVOLENTIAE ET AMICI
TIAE CAVSSA SACRAM ESSE CVPIT
SVMMOSQVE IN VTROQVE
IVRE HONORES
NVPER COLLAVDANTIBVS OMNIBVS
OBTENTOS
EX ANIMO GRATVLATVR
EDITOR

Landesbibliothek Oldenburg

PRAEFATIO NOVA

LECTOR BENEVOLE

Posteaquam duo millia exemplorum *Selectarum e profanis Scriptoribus Historiarum*, intra quinque annos a Bibliopola diuendita fuerunt: noua ei paranda fuit illarum editio, quae nunc etiam emendatior, nouoque rerum indice instructior, in lucem prodit. Debetur aliqua pars emendationum nonnullis rei scholasticae

moderatoribus doctissimis, qui hunc libellum in publicas scholas introducere, e re sua putarunt, quibus igitur decentes gratiae, pro hac opera, nobis, immo egregio publico, praestita, nunc quidem habentur. Horum prudentiae etiam tractatio harum historiarum in posterum relinquitur, qui, nec moniti a nobis, cauebunt sedulo, ne quid detrimenti studiosa iuuentus ex placitis quibusdam horum paganorum hominum, a praeceptis sanctissimae religionis Christianae, et moralis disciplinae alienis, vllo tempore capiat. Interea gratulamur nobis, quod consilium nostrum in recensione prioris editionis initum, quo locos antiquorum auctorum, in Parisiensi editione praeposterе immutatos, restituere conati sumus, omnibus et singulis, quantum quidem scimus, probatum fuerit. Placuit

cuit etiam hic ipse libellus Cl. *Heusei* vel *Heuzeti*, Professoris Parisiensis, A. 1727. vel 1728. Lutetiae Parisiorum defuncti*, litteratis hominibus, si vnum fortasse *Gollierium*, Professorem itidem Vniuersitatis Parisiensis in Collegio Plessiaco Sorbonnensi, excipias; qui in noua, quam 1731. ibidem 12. euulgauit, editione

*Carolus *Rollinus* T. IV. libri praestantissimi: *De la maniére d'enseigner, et d'étudier les belles lettres*, 1728. Parisiis euulgati, p. 646. inquit: *Dans le moment même, que j'écris ceci, j'apprens, qu'un Professeur, touché du même desir que Cicéron, et entrant dans son gout, ne craint point de se charger d'une rente viagére de quatre cens livres, pour acquerir et s'approprier la bibliothéque d'un de ses confreres, mort depuis peu dans l'Université, et qui avoit fait un bon usage de ses livres.* Et in nota subiecta inquit: *C'est M. Heuzet, auteur de deux livres latins, faits pour les commençans, dont j'ai parlé ailleurs: et qui préparoit encore d'autres ouvrages fort utiles pour la jeunesse.* Dixit Rollinus de his duobus libris T. I. operis sui p. 130. et illi quidem sunt hae selectae historiae, et selectae historiae ex V. T.

Methodi tractandi Humanitatem Graecam et Latinam a Tanaquillo Fabro, viro post fata etiam celeberrimo, quondam conscriptae**, inuidia magis figulina, qua Cl. *Rollinum,* huius libelli suasorem, onerare voluit, quam rei veritate adductus, paullo immitius de his historiis selectis pronunciare ausus est***. Reprehendit primo Gollierius titulum huius libri, quem fallacem esse dicit, dum in opusculo ipso non nisi moralia, et paucae, immo nullae fere historiae, occurrerent. Prouo-

**Titulus ita se habet: *Methode pour commencer les Humanités Grecques et Latines, contenant des Avis tres-judicieux et fort utiles aux Regens, Precepteurs, et autres personnes employées à former les Enfans aux belles Lettres. Par M.* Fevre de Saumur. *Avec desnotes et des Lettres, sur la maniere de les enseigner dans les Colleges, par M.* Gaullyer, *Professeur en l'Université de Paris, au College du Plessis-Sorbonne à Paris* 1731. 12.

***p. 98. et 99. in notis.

uocat hic ad partem secundam operis sui Anti-Rolliniani,**** in qua hoc paullo fusius probasset. Quanquam vero hunc Gollierii librum oculis nostris vsurpare, adeoque illas, quas iactitat, probationes nobis expendere nondum licuerit; tamen hoc vnusquisque huius libelli lector facile deprehendet, falsum esse censorem, dum nullas plane historias in hoc opusculo haberi affirmat. Et quid noceret admodum bonitati libri, si is plura etiam praecepta moralia, quam historias contineret, dummodo illa tam vtilia iuuentuti sunt, ac Historiae ipsae? Sed nec numerum praeceptorum moralium, nec censum historiarum inire, nec caussam Cl. *Rollini* perorare hic lubet, qui semet vindicare non in-

****Inscribitur hoc opus; *Terence, Ciceron, Cesar Salluste, etc. iustifiés contre la Censure de M Rollin, etc.* et partibus tribus absoluitur

termittet, si hanc Gollierii censuram aliqua responsione dignam habeat. Quae vero deinde contra has easdem historias affert Gollierius: ea paullo maioris momenti esse videntur, nec tamen ita comparata, vt, si lectio libelli rite instituatur, magnum ei detrimentum inferre possint. Verum est, hunc libellum ex variis locis diuersorum Scriptorum, et Graecorum, et Latinorum, esse concinnatum. Sed remedium huic rei iam attulimus in praefatione, primae Lipsiensi editioni praemissa, et qua ratione loci ex Latinis Scriptoribus sint euoluendi, quo modo loci ex Graecis auctoribus depromti sint legendi, edocuimus, ne vaga et inconstans lectio variorum auctorum Latinorum, elegantiae et castitati linguae officeret, nec Fontes Graeci plane negligerentur. Tandem has Selectas Historias non so-

solum non necessarias esse, sed etiam nihil eas iuuare ad intelligendum aliquem auctorem existimat. At enim vero quis illas tam absolutae necessitatis esse venditauit, ac si iis carere non possemus? Carere enim possumus omnibus Gollierii libris, neque tamen ego tam inhumanus sum, vt omnem vtilitatem eis abiudicandam esse censeam. Immo hic ipse Heuseti libellus vtilis esse poterit, si quoque nihil ad intelligendos antiquos auctores conferat. Fui ego in hac opinione iam eo tempore, quum Lipsiensibus typis primum repeteretur; hinc quoque immutatos illos ab auctore antiquorum Scriptorum locos, quos illa mutatione faciliores reddere voluit Parisiensis Professor, pristinae integritati et elegantiae restitui, et in hac noua editione denuo reuidendos et restituendos curaui. Hic

igitur libellus non tam viam ad intelligendos auctores pandere, quam potius gustum ex elegantibus illis veterum Scriptorum locis, qui hic afferuntur, ad scriptores ipsos euoluendos excitare debet: et excitabit sine dubio, certe apud eos, qui elegantiam sententiarum et elocutionis, in antiquis scriptoribus obuiam, magni facere, et diiudicare norunt. Sed haec hactenus.

Vale, Lector Beneuole, et si sublimiora, atque ab omni labe immunia moralia consectaris, ne, quaeso, diuinae reuelationis oracula asperneris, quorum praestantiam incomparabilem in sententiis et verbis, eo maiori pretio habebis, et admiraberis, quo interius, omnes paganorum scriptorum elegantias perspexisti. Scribebam Lipsiae, d. XX. Oct. Anno aerae vulgaris cIↃ cIↃCC XXXIII.

OMNI-

DEDICATIO PRIOR

OMNIBVS

AC SINGVLIS

PER OMREM QVA PATET GER

MANIAMGYMNASIORVMAC

SCHOLARVM PRAEFECTIS

RELIQVISQVE

IN EIS SPEI PVBLICAE

ADMOTIS

VIRIS AMPLISSIMIS CLARIS

SIMISQVE

MORVM AEQVE AC

SERMONIS LATINI PVRIORIS

CVSTODIBVS

Landesbibliothek Oldenburg

DEDICATIO PRIOR

LIBELLVM HVNC

IN VSVM LITTERIS SACRATAE

PVRIS CONCINNATVM

ET

EX OPTIMIS ANTIQVIS SCRI

PTORIBVS COLLECTVM

AMORIS ET OFFICII DVCTVS

AFFECTV

ATQVE

OMNE GENVS PROSPERITATIS

APPRECATVS

L M Q

D. D. D

EDITOR LIPSIENSIS

Landesbibliothek Oldenburg

PRAEFATIO PRIOR

LECTORI BENEVOLO

S

Quum reipublicae Christianae moderatoribus nihil magis curae cordique esse debeat, quam educatio liberorum, recte prudenterque instituenda, et ab ea, si rite suscepta fuerit, innumera emolumenta in rempublicam redundent, sin contra sit peruersa et praeposstera, non minora in eam inuehat detrimenta: nihil sane prius, nihilque antiquius esse debet eius statoribus, quam vt omnia, ad hunc finem facientia media, prouide circumspiciant, et sapienter adhibeant; contra, quae huic fini obstare videntur impedimenta, magno animo aggrediantur, tollant atque asportent. Imbuenda est puerilis aetas solidis doctrinae, a Deo nobis manifestatae, fundamentis, imbuen-

da est litteris, quae ad humanitatem faciunt, latina graecaque lingua, et vna cum illis doctrina morum, subsecutu-rae vitae fundamentum, a teneris annis inculcanda. Ex quibus, eo, quo par est, modo confectis quo maiora commoda in omne genus hominum dimanant, eo maiore laude dignus est clariss. *Heuseus**, Prof. in Collegio Bellouacensi, quod Lutetiae Parisiorum floret, emeritus, qui *Selectas has Historias e profanis maxime Scriptoribus* excerpsit, *iisque varia honeste viuendi praecepta, ex iisdem Scriptoribus depromta, admiscuit*, Parisiis apud Iacob Stephanum 1727. 12. euulgatas. Neque enim alium scopum sibi praefixum habuisse censendus, nisi vt vna cum exemplis dictisque, ad mores iuuenum formandos aptissimis, Latinae linguae purioris addiscendae viam breuiorem pariter, ac faciliorem commonstraret

Edi-

*Vid. Diarium Parisiense mense Nov. 1727. n. 6 et Bibliothecam Gallicam loco mox citando.

Landesbibliothek Oldenburg

Edidit idem ille *Selectas Historias ex V. T.* 1726. apud eundem typographum 12. excusas, quas consilio Cl. *Rollini* permotus, ad normam eius conscripsit,* et Gallia tanto excepisse plausu perhibetur, quanto optimos quosque libros consueuit.** Nemini proinde mirum videri debet, hunc, de quo agimus, libellum eadem doctissimorum virorum puncta tulisse, nec minore, quam alterum illum, consensione dilaudatum esse. Id ne quis dubitet, aut praeter verum dictum existimet, euoluat modo Diarium Parisiense, et Bibliothecam Gallicam, ll. cc. atque, his lectis, idem, quod nos, huic libello pretium, nisi nos augurium fallit, statuet. Neque tamen, etsi sunt summa, quae de hoc libro praedicantur, vera non sunt. Cognoscet, experientia magistra, vnus-

*Vid. *Caroli Rollini* librum egregium: *de la Maniére d'enseigner et d'etudier les Belles Lettres* T. I. p. 130. seq. **Vid. Diarium Parisiense l. c. et Bibliothecam Gallicam T. X. P. 1. p. 137.

Landesbibliothek Oldenburg

vnusquisque, veriſſime de eo dictum eſſe, illam demum iuuentutem eſſe felicem praedicandam, cui hic libellus etiam atque etiam tradatur.* Nobis igitur quis ſuccenſere iure quodam poterit, ſi pro eo, quod omnibus incumbit, reipublicae et earum ſeminariis conſulendi officio, tantae vtilitatis, tantaeque frugi libellum in noſtris regionibus iterum excudendum, omniumque vſibus exponendum curauerimus? Inique certe, ne quid grauius dicam, in Germaniam, patriam, eſſemus, niſi hanc felicitatem eius iuuentuti inuidere diutius nollemus. *Quod enim munus*, vt Tullii verbis vtar,** *reipublicae afferre maius meliusue poſſumus, quam ſi docemus atque erudimus iuuentutem? his praeſertim moribus, atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt, vt omnium opibus refrenanda atque coërcenda ſit?* Atque id in hac altera editione melius quodammo-

*Vid. Diar. Pariſ. l. c. **lib. II. de diuinat, c. 2.

modo, quam in prima illa praestitum esse, ex duabus caussis vere videmur contendere posse. Primum enim locos auctorum, quoad eius fieri potuit, accuratius citauimus, ita, vt, qui aliquoties falsa prae se ferebant nomina, veris eorum auctoribus vindicaueri-mus, interdum etiam libros, capita, versus etc. exactius adscripserimus. Deinde quum animaduerteremus, locos hos ab auctore, consilio, quod pace eius dixerim, praeposteros, immutatos vehementer esse, atque a doctissimis etiam scholarum moderatoribus, quibuscum haec res communicata est, plane improbari; operam dedimus, vt integritati suae restituerentur, et verba ipsa, eo, quo in scriptoribus, ordine exhiberentur. Id quod tamen de Latinis tantum volumus intellectum: quum, qui ex Graecis afferuntur latine conuersi, sint riuulis, quam fontibus similiores, a nobis tamen subinde citati melius. Caussas quidem

Cl. Auctor adducit, quare et ipsa verba auctorum, et eorum ordinem mutandum esse duxerit, et difficiliori-bus faciliora suffecerit, et verba secun-dum ordinem constructionis natura-lem collocauerit. Sed haud scio, an id sit cuiquam, harum rerum perito, satis probaturus. Quodsi enim scri-ptorum veterum verba, vt libitum est, mutantur, iis alia substituuntur, eorun-demque positus turbatur, non amplius sunt verba genuina auctorum anti-quorum, sed interpolata: turbatur etiam omnis illa latini sermonis ele-gantia, suauitas, et quidquid ipsi inest gratiae, quum tamen, si a morum emendatione ac formatione discesse-ris, hic sit finis in hoc libello pal-marius. Ac ne cogitationes qui-dem, etiamsi cui, vti Auctori, ni-mis subtiles videantur, mutandas esse existimauimus, quod in priori editione factum est. Etenim si pue-ris, quorum ingenium nondum est

sub-

ſubactum ſatis atque excultum, hae hiſtoriae praelegantur, fidi praeceptoris erit, vt, ordine conſtructionis indicato, facilia difficilioribus praemittat, difficilia facilioribus, planioribus ſpinoſa illuſtret atque exponat. Sin vero ab adoleſcentibus, qui iam ſine cortice natare poſſunt, legantur, difficilia illa in prima libelli lectione ſicco pede praetermiſſa, ad tempus differri, et faciliora interim perluſtrari poterunt. Ea enim ratione hunc libellum noſtrum legendum eſſe tradendumque, nos quidem arbitramur, vt primum loci illi ex optimis Latinis maxime ſcriptoribus, qui ad auream aetatem vulgo referuntur, planiores non ſolum pertractentur, verum etiam breuiores quidam, ob multiplicem exinde redundantem vtilitatem, a pueris ediſcantur. Perlecto ſemel hoc modo libello, legatur iterum, et ea, quae iam ſunt tractata, repetantur, repetitisque magis ardua,

cum-

cumprimis ex poëtis addantur, et pari ratione memoriae imprimantur. Atque hic quidem auctor essem suasorque cuilibet, iuuentuti hunc librum explananti, vt cum Latinis Graeca coniungat, locosque, nec longos tamen, nec obstrusos, in auctoribus ipsis euoluat, proponatque discentibus, et qui in vtroque scriptorum genere ad mores faciunt, eorum animis infigat.* Verum enim ac salubre, si quod aliud, est praeceptum Ciceronis, filio datum, quando, *Vt ipse ad meam*, inquit,* *vtilitatem semper cum Graecis Latina coniunxi, neque id in Philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci: idem tibi censeo faciendum, vt par sis in vtriusque orationis facultate.* Quo fiet, vt nullo negotio puerorum aures vtrique

que

*Qua ratione lectio Historicorum Graecorum et Latinorum instituenda sit, vt etiam mores iuuet, docet optime *Carolus Rollinus* in Tomo tertio libri laudati *de la maniére d'enseigner, et d'étudier les belles Lettres*, Paris. 1728. 12. p. 291. seqq.

*lib. I, de Offic. c. 1.

Landesbibliothek Oldenburg

que sermoni paullatim adsuescant, et vna quasi fidelia duo parietes dealbentur. Denique, si tertium in manus sumtus fuerit libellus, sine vlla dubitatione, omnia, quaecunque in eo continentur, erunt legenda, nec quidquam, quod etiam tunc intellectu difficile sit, amplius restabit. Hoc facto nulli dubitamus, quin ingenia vel mediocria, optimis morum praeceptis imbuta, de omnibus etiam scriptoribus, eorumque stilo, iudicium quoddam, nec id plane insipidum, ferre addiscant. Neque hanc vagam quasi, et inconstantem variorum auctorum lectionem, dicendi scribendique elegantiae et castitati officere existimamus; quum sapienti praeceptoris iudicio, loci ex scriptoribus aetatis aureae reliquis praeferri, et quae minus probatae sunt latinitatis, indicari et reprehendi possint. Neque ex hoc vnico libello omnis scribendi facultas est addiscenda, sed post haec excerpta,

pta, lectio ipsorum Auctorum, ordine idoneo, rite instituenda. Sed nostrum non est, de ordine et ratione legendi auctores antiquos, quaedam nunc praecipere, neque de hoc libello plura differere, quin potius omnia, quae hactenus diximus, prudentiorum arbitrio relinquimus, Deum immortalem precati, vt omnes et singuli, has Selectas Historias tractaturi, magnum exinde capiant emolumentum. Lipsiae ipsis nundinis autumnalib.

A. R. G. cIↃ IↃCCXXVIII.



Landesbibliothek Oldenburg

INDEX CAPITVM

LIBER PRIMVS

DE DEO

C. L. Consensus populorum omnium probat Deum esse pag. 1

II. *Agnoscimus Deum ex operibus eius* 3

III. *Natura Dei est optima, et praestantissima* 4

IV. *Deus regit ac videt cuncta* 6

V. *Deus colitur et placatur pietate* 7

VI. *Deus est colendus magis pie, quam magnifice* 9

VII. *Impii non placant Deum donis* 10

VIII. *Mens bona, et inuentio artium, veniunt a Deo* 12

VIIII. *Templa ad augendam pietatem exstructa sunt* 15

X. *Tuta et honorata inter hostes pietas* 16

XI. *Publica religio priuatis affectibus praelata* 17

XII. *Impii serius ocius dant poenas* 18

XIII. *Quae vota facienda sint Deo* 22

Landesbibliothek Oldenburg

XIIII. *Homo praecipuum opus Dei* 23
XV. *Virtus proprium atque vnicum hominis bonum* 25

LIBER SECVNDVS
DE PRVDENTIA

C.I. *Inest mentibus insatiabilis cupiditas veri videndi* 27
II. *Scientia pabulum animi* 28
III. *Pertinax labor et disciplina naturam vincunt* 29
IIII. *Quaesita vitae periculo scientia* 31
V. *Doctus indocto multum praestat* 33
VI. *Vir doctus potius non vult ditescere, quam non potest* 34
VII. *Ea viatica paranda sunt, quae cum naufrago enatent* 35
VIII. *Litterae ornamenta hominum sunt et solatia* 38
VIIII. *Quae in scientiae studio sint vitanda* 40
X. *Qui recte viuit, is scientiam vtilem et necessariam est adeptus* 43
XI. *Natura tam docere cupimus, quam discere* ib.
XII. *Stultum est, ea docere caeteros, quae ipse expertus non es* 47
XIII. *Etiam seni discere decorum est* 48

Landesbibliothek Oldenburg

XIIII. *Honos doctis habitus* 50
XV. *Modestia coniuncta cum doctrina* 55
XVI. *Non refert, quam multos, sed quam bonos libros habeas, ac legas* 56
XVII. *Bibliotheca ad publicum et priuatum vsum comparetur, non ad ostentationem* 58
XVIII. *Memoria augetur cura, negligentia intercidit* 62

LIBER TERTIVS
DE IVSTITIA

C. I. *Iustitia omnium regina virtutum* 65
II. *Hominem iustum esse gratis oportet* 67
III. *Omni ratione colenda et retinenda iustitia est* 68
IIII. *Communi vtilitati consulere debemus* 71
V. *Ipsa peccandi voluntas peccatum est* 74
VI. *Qui solo metu a peccato abstinet, non est innocens* 76
VII. *Oderunt peccare boni virtutis amore* 78
VIII. *Ea sola vtilia sunt, qaae iusta et honesta* 80
VIIII. *Qui adipisci veram gloriam volet, iustitiae fungatur officiis* 83
X. *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris* 85
XI. *Iniuriam pati satius est, quam facere* 86
XII. *Quod meum non est, redeat ad dominum* 87

Landesbibliothek Oldenburg

XIII. *Verbis non minus, quam factis, fit iniuria* 88
XIIII. *Ex omni vita simulatio dissimulatioque tollenda est* 89
XV. *Improbi hominis est, mendacio fallere* 91
XVI. *In vitio est, qui non obsistit, si potest, iniuriae* 94
XVII. *Inhumanum verbum est vltio* 95
XVIII. *Speciosius aliquanto iniuria beneficiis vincuntur, quam mutui odii pertinacia pensantur* 99
XVIIII. *Iustitia victrix odii* 102
XX. *Vtilitas ex inimicis capienda* 103
XXI. *A litibus est abhorrendum* 105
XXII. *Paci consulendum, nec bella acerbe gerenda* 107
XXIII. *Iustitia hostes vincere gloriosius est, quam armis* 108
XXIIII. *Fides iurisiurandi saepe cum hoste seruanda* 112
XXV. *Iusiurandum colito* 115
XXVI. *Seruis imperare moderate, laus est* 118
XXVII. *Dominorum benignitas in seruos* 122
XXVIII. *Seruorum in Dominos fides* 126
XXVIIII. *Omnes omnium caritates patria complectitur* 127
XXX *Dulce et decorum est, pro patria mori* 129
XXXI. *Deciorum pro patria deuotiones* 133
XXXII. *Diuitiae in patriam impensae* 135

Landesbibliothek Oldenburg

XXXIII. *Inimicitiae publicae vtilitatis cauſſa depoſitae* ib.
XXXIIII. *Patriae iraſci nefas eſt* 137
XXXV. *Pietas in parentes eſt fundamentum omnium virtutum* 139
XXXVI. *Patres a liberis periculo liberati* 141
XXXVII. *Pietas liberorum in matres* 146
XXXVIII. *Parricidium ſcelerum omnium maximum eſt* 150
XXXVIIII. *Nihil dulcius hominum generi, quam liberi* 152
XXXX. *Liberi patriae cauſſa bene inſtituendi* 154
XXXXI. *Maxima debetur puero reuerentia* 155
XXXXII. *Salubriter inſtitui plurimum prodeſt in reliquam vitam* 157
XXXXIII. *Veterum Romanorum in educandis pueris diſciplina* 160
XXXXIIII. *Publicae vtilitati plurimum proſunt, qui iuuentutem erudiunt* 165
XXXXV. *Et praeceptores et ſtudia amet adoleſcens* 166
XXXXVI. *Sit gratus erga Magiſtrum diſcipulus* 168
XXXXVII. *Paeceptor nec habeat vitia, nec ferat* 172
XXXXVIII. *Parentum aduerſus filios ſeueritas* 177
XXXXVIIII. *Parentum amor in liberos* 183

L. *Sua sunt coniugibus munia adsignata a natura* 185
LI. *Maritorum amor in vxores* 189
LII. *Vxorum constans amor in maritos* 187
LIII. *Coniugis delectus ex moribus fiat* 193
LIIII. *Magna sit inter fratres concordia et beneuolentia* 195
LV. *Nisi in bonis amicitia esse non potest* 202
LVI. *Amicitia sublata, omnis est e vita sublata iucunditas* 203
LVII. *In eligendis amicis cautio est adhibenda* 205
LVIII. *Amicus amicum non minus diligat, quam se ipsum* 206
LVIIII. *Amicitia vnus fit ex pluribus* 207
LX. *Amico omnia credenda* 209
LXI. *Res turpes amicum non rogemus, nec faciamus rogati* ibid.
LXII. *Veritas et fides in amicitia retineantur* 211
LXIII. *Omnia possidentibus saepe amicus deest* 214
LXIIII. *Veros amicos reparare difficile est* 216
LXV. *Amici thesauri regnum sunt* 217
LXVI. *Amicus certus in re incerta cernitur* 218
LXVII. *Vulgare amici nomen, sed rara est fides* 221
LXVIII. *Nihil est naturae hominis accommodatius beneficentia* 222
LXVIIII. *Multas cautiones habeat beneficentia* 227

LXX. *Beneficia alia alios decent* 229
LXXI. *Beneficia quaedam palam danda, quaedam clam* 230
LXXII. *Tarde benefacere, nolle est* 232
LXXIII. *Quas dederis, solas semper habebis, opes* ibid.
LXXIIII. *Non quid detur refert, sed qua mente* 233
LXXV. *Sint gratuita Deorum exemplo beneficia* 235
LXXVI. *Nullum officium referenda gratia magis necessarium est* 238
LXXVII. *Officia etiam ferae sentiunt* 241
LXXVIII. *Ingratus animus omnium odio damnatus* 245
LXXVIIII. *Quos experimur ingratos, ipsi facimus* 246
LXXX. *Ingrati ingratos aequo animo feramus* 248

LIBER QVARTVS

DE FORTITVDINE

C. I. *Animi fortitudo duplex* 250
II. *Bellicae fortitudinis exempla* 251

III. *Fortitudo domestica non est inferior militari* 258
IIII. *Imperare sibi, maximum imperium est* 263
V. *Vitiorum irritamenta sunt fugienda* 266
VI. *Angusti animi est, amare diuitias, magni contemnere* 268
VII. *Quod satis est, cui contingit, nihil amplius optet* 271
VIII. *Optimus quisque Graecorum pauperrimus* 274
VIIII. *Paruo contentus sapiens, paupertatem non timet* 278
X. *Diuitiae atque otium pestes virtutis* 280
XI. *Vera bona virtus et doctrina* 282
XII. *Cauenda est gloriae cupiditas, neque imperia expetenda* 284
XIII. *Hoc est regnare, nolle regnare, quum possis* 289
XIIII. *Gloriae et famae iactura facienda est publicae vtilitatis caussa* 293
XV. *Mortem ac dolorem contemnere, fortis animi est* 295
XVI. *Non quam diu, sed quam bene vixeris, refert* 297
XVII. *Mortem aequo animo oppetit, qui bene vixit* 300

Landesbibliothek Oldenburg

XVIII. *Humatio contemnenda in nobis, non negligenda in noſtris* 304
XVIIII. *Tollatur fortunae diſcrimen in morte* 306
XX. *Viro forti fortiter ferendus eſt dolor* 308
XXI. *Dolorem ferri fortiter poſſe, multorum exempla docent* 310
XXII. *Quae dura ſunt, fiunt leuiora patientia* 315
XXIII. *Aliorum reſpice incommoda, vt mitius feras tua* 318
XXIIII. *Ira furor breuis eſt* 320
XXV. *Nil minus, quam iraſci, punientem decet* 323
XXVI. *Ne inimicis quidem iraſcendum* 325
XXVII. *Ira ſui impotens eſt et pertinax* 326
XXVIII. *Circumſcribenda multis modis ira eſt* 328
XXVIIII. *Imitanda multorum in ſumma potentia lenitas* 331
XXX. *Minimis rebus exaſperari inſania eſt* 335
XXXI. *Lingua diligentiſſime continenda* 336
XXXII. *Quanto ſuperiores ſumus, tanto nos ſubmiſſius geramus* 338
XXXIII. *Ne adſentatoribus patefaciamus aures* 341
XXXIIII. *Fortis et conſtantis animi eſt, non perturbari in rebus aſperis* 347

Landesbibliothek Oldenburg

XXXV. *Viri boni nati sunt in exemplar, et eos sibi praeparat Deus* 349
XXXVI. *Praeclara est vniuersae vitae aequabilitas* 352

LIBER QVINTVS

DE TEMPERANTIA

C. I. *Ratione dirae per totam vitam eundum est* 355
II. *In sedatione perturbationum animi vita beata* 356
III. *Malus beatae vitae iudex populus* 358
IIII. *Corpori indulgendum, non seruiendum* 361
V. *Cibus et potus desiderio condiuntur* 362
VI. *Disce paruo esse contentus* 364
VII. *Platonicae et Syracusanae mensae* 366
VIII. *Conuiuia Lacedaemoniorum* 368
VIIII. *Castigata corporis obesitas* 370
X. *Corporis voluptas non est digna hominis praestantia* 371
XI. *Corpus et animum ad patientiam exerce* 373
XII. *Bonae valetudinis mater est frugalitas* 375

Landesbibliothek Oldenburg

XIII. *Omne vitium ebrietas et incendit et detegit* 379
XIIII. *Coërcendus luxus, et colenda frugalitas* 381
XV. *Nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil homine, nihil libero dignius* 386
XVI. *Omnes corporis motus decorum teneant* 389
XVII. *A forma remoueatur ornatus non dignus viro* 391
XVIII. *E speculo consilium ad quaedam* 393
XVIIII. *In vestitu mediocritas optima* 394
XX. *Nihil olere satius est, quam bene olere* 397
XXI. *Dormi quantum satis est* 399
XXII. *Nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit* 402
XXIII. *Musicae magna vis in vtramque partem* 403
XXIIII. *Bonis moribus damnosum est desidere in spectaculo* 406
XXV. *Subducendus populo est tener animus* 409
XXVI. *Est adolescentis, maiores natu vereri* 410
XXVII. *Vir bonus adspectus et cogitatus emendat* 414

XXVIII. *Multa nobis aliorum iudicio et exemplo facienda, aut corrigenda sunt* 415
XXVIIII. *Adolescentia in labore et patientia est exercenda* 418
XXX. *Plura audiamus, loquamur pauca* 423
XXXI. *Adolescentium ludis intersint maiores natu* 426
XXXII. *In ludo ac ioco modus retinendus* 429
XXXIII. *Est cui magno constitit dicterium* 431
XXXIIII. *Facete dicta aut facta* 433
XXXV. *Excitatur laude aemulatio* 440
XXXVI. *Famae consulendum est* 442
XXXVII. *Viue vt in publico* 443
XXXVIII. *Vitae genus eligere, res difficillima* 446
XXXVIIII. *Magistratus non suis, sed ciuium commodis consulat* 447
XXXX. *Varia eorum, qui aliis praesunt, officia* 453
XXXXI. *Iudicis est, in caussis semper verum sequi* 457
XXXXII. *Ciues magistratibus pareant, magistratus legibus* 463
XXXXIII. *Vitiosi Principes plus exemplo, quam peccato nocent* 469
XXXXIIII. *Potentia decori est, si salutaris sit* 474

* * *

SELE-

SELECTAE
E PROFANIS
SCRIPTORIBVS
HISTORIAE

LIBER PRIMVS
DE DEO

CAPVT I.

Consensus populorum omnium probat, Deum esse.

EX tot generibus nullum est animal, praeter hominem, quod habeat notitiam aliquam dei ipsisque in hominibus nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam fera, quae non, etiamsi ignoret, qualem habere deum deceat, tamen habendum sciat. *Cicero I de leg. c. 8.*

Porro firmissimum hoc afferri videtur, cur deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cuius mentem non imbuerit deorum opinio. Multi de diis praua sentiunt. Id enim vitioso more effici solet. Omnes tamen esse vim et naturam diuinam arbitrantur. Nec vero id *I. Tusc. c. 13.*

collocutio hominum aut consensus efficit: non institutis opinio est confirmata, non legibus. Omni autem in re consensio omnium gentium, lex naturae putanda est.

1. *de natur. Deor.* c. 16. Epicurus solus vidit primum, esse deos, quod in omnium animis eorum notionem impressisset ipsa natura. Quae est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam deorum? quam appellat προλήψιν Epicurus, id est, anteceptam animo rei quandam informationem, sine qua nec intelligi quidquam, nec quaeri, nec disputari potest. etc.

cap. 17. Quum non instituto aliquo, aut more, aut lege, sit opinio constituta, maneatque ad vnum omnium firma consensio: intelligi necesse est, esse deos, quoniam insitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus. De quo autem omnium natura consentit, id verum esse, necesse est. Esse igitur deos confitendum est, etc.

Senec. epist. 117 Multum dare solemus praesumtioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri: tanquam deos esse, inter alia sic colligimus, quod omnibus de diis opinio insita est: nec vlla gens vsquam est adeo extra leges moresque proiecta, vt non aliquos deos credat.

Cicer. 2. *de nat.* 67. 1. *de nat.* c. 23. Mala et impia consuetudo est, contra deos disputandi, siue ex animo id fit, siue simulate. Itaque quum Protagoras, sophistes temporibus illis vel maximus, principio libri sic posuisset, *de diuis neque vt sint, neque vt non sint,*

sint, habeo dicere: Athenienſium iuſſu, vrbe atque agro eſt exterminatus, librique eius in concione combuſti. Ferunt quoque, talentum argenti fuiſſe propoſitum præmium ei, qui Protagoram occidiſſet. *Sic etiam dubitatio de diis non potuit poenam effugere.* *Diod. Sic. l. 12. p. 333.*

CAPVT II.

Agnoſcimus Deum ex operibus eius.

Cicero 1. Tuſc. c. 29.

1. Quis eſt tam vecors, qui aut, quum ſuſpexerit in caelum, deos eſſe non ſentiat, et ea, quae tanta mente fiunt, vt vix quisquam arte vlla ordinem rerum, ac neceſſitudinem perſequi poſſit, caſu fieri putet: aut quum deos eſſe intellexerit, non intelligat, eorum numine hoc tantum imperium eſſe natum, et auctum, et retentum? *De aruſp. reſp. c. 9.*

Pulchritudo mundi, ordo rerum caeleſtium, conuerſio ſolis, lunae, ſiderumque omnium, indicant ſatis adſpectu ipſo, ea eſſe non fortuita: et cogunt nos confiteri, ineſſe aliquem non ſolum habitatorem in hac caeleſti ac diuina domo, ſed etiam rectorem, et moderatorem, et tanquam architectum tanti operis, tantique muneris. *2. de diuin. c. 72. 2. de nat. c. 5. itid. c. 35.*

2. Vt, ſi quis in domum aliquam, aut in gymnaſium, aut in forum venerit, quum videat omnium rerum rationem, modum, diſciplinam, non poſſit ea ſine cauſſa fieri iudicare, ſed eſſe aliquem intelligat, qui praeſit, et cui pareatur: multo magis in tantis motionibus, tantisque viciſſitudinibus, tam multarum rerum atque tantarum ordinibus, in *ib. 2. c. 5.*

quibus nihil vnquam immensa, et infinita vetustas mentita sit, statuat necesse est, ab aliqua mente tantos naturae motus gubernari.

CAPVT III.

Natura Dei est optima, et praestantissima.

Cicer. lib. 1. de nat. deor. c. 43. 1. Opiniones veterum philosophorum de natura dei fuerunt variae, atque inter se dissidentes, quas longum ac difficile esset dinumerare. Natura duce intelligebant, deum esse, sed non conueniebat inter illos, quid deus esset. Itaque quum tyrannus, Hiero, quaesiuisset de Simonide, non poëta solum suaui, verum etiam ceteroqui docto sapienteque, quid deus esset, deliberandi caussa sibi vnum diem postulauit. Quum idem ex eo postridie quaereret, biduum petuit. Quum saepius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero requireret, cur ita faceret: *Quia, quanto*, inquit, *diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior.*

Ibid. c. 1.

Ibid. c. 22.

Senec. qu. 7. cap. 30. 2. Egregie Aristoteles ait, nunquam nos verecundiores esse debere, quam quum de diis agitur. Si intramus templa compositi, si ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus, si in omne argumentum modestiae fingimur: quanto hoc magis facere debemus, quum de sideribus, de stellis, de deorum natura disputamus, ne quid temere, ne quid impudenter, aut ignorantes affirmemus, aut scientes mentiamur?

Iamblich. de myster. c. 18. Simplic. in Epict. c. 1. Non possumus loqui recte de numine diuino, nisi simus illustrati lumine eius. Nam

numen

numen diuinum est fons luminis, sicut et bonitatis.

3. Nec vero deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens et mouens, ipsaque praedita motu sempiterno. Quid interest inter naturam dei, et nostram? Nostri melior pars, animus est: in illo nulla pars extra animum; totus ratio est. Neque enim omnia deus humanis oculis nota fecit. Quota pars operis tanti nostris oculis committitur? Ipse, qui ea tractat, qui condidit, qui totum hoc fundauit, deditque circa se, maiorque est pars operis sui, ac melior, effugit oculos, cogitatione visendus est.

Deus est spiritualis.
Cicer. 1. Tusc. c. 27
Senec. 1. qu. praefat. id. l. 7. c. 30.
Aeternus.
Cic. 1. de nat. c. 10. et 17.

4. Nos deum, nisi sempiternum, intellige- re qui possumus? Quae nobis natura informationem deorum ipsorum dedit, eadem insculpsit in mentibus, vt eos aeternos, et beatos haberemus. Thales interrogatus, quid esset deus? *Quod*, inquit, *caret initio et fine.*

Diog. Laert. in Thal. segm. 63.
Omnipotens.

5. Nihil est, quod deus efficere non possit, et quidem sine labore vllo. Vt enim hominum membra nulla contentione, mente ipsa ac voluntate mouentur: sic numine deorum omnia fingi, moueri, mutarique possunt.

Cic. 3. de nat. c. 39.
Immensus.

6. Quocunque te flexeris, ibi deum videbis occurrentem tibi: nihil ab illo vacat; opus suum ipse implet.

Senec. 4. Benef. c. 8.
Bonus.

7. Commoda, quibus vtimur, lucem, qua fruimur, spiritum, quem ducimus, ab eo (deo) nobis dari, atque impertiri videmus.

Cic. pro Rosc. Amerin. c.

Senec. 4. benef. c. 3. 4.

Dii tot munera, sine intermissione, diebus ac noctibus fundunt. Illorum beneficia nunc vltro offeruntur, nunc orantibus dantur. Quis est autem tam miser, tam neglectus, quis dam duro fato, et in poenam genitus, vt non tantam deorum munificentiam senserit? Ipsos illos complorantes sortem suam, et querulos circumspice; inuenies non ex toto beneficiorum caelestium expertes: neminem esse, ad quem non aliquid ex illo benignissimo fonte manauerit.

Caput IIII.

Deus regit ac videt cuncta.

Cic. 1. diuin. c. 51.

1. Deorum prouidentia mundus administratur, iidemque consulunt rebus humanis, nec solum vniuersis, verum etiam singulis.

2. de legib. c. 7.

Sit hoc a principio persuasum ciuibus, dominos esse omnium rerum, ac moderatores deos, eaque, quae gerantur, eorum geri vi, ditione ac numine; eosdemque optime de genere hominum mereri, et, qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religiones, intueri: piorumque et impiorum habere rationem. His enim rebus imbutae mentes, haud sane abhorrebunt ab vtili, et a vera sententia, etc. Vtiles esse autem opiniones has, quis neget, quum intelligat, quam multa firmentur iureiurando? quantae salutis sint foederum religiones? quam multos diuini supplicii metus a scelere reuocarit?

Senec. apud Lactant. l. 6. c. 24.

2. Nec lucrari se quisquam putet, si delicti conscium non habebit. Scit enim ille omnia, in cuius conspectu viuimus: nec si vniuersos homi-

homines celare possumus, deum possumus, cui nihil absconditum, nihil potest esse secretum. Quod exhortationibus suis Seneca mirabili sententia terminauit: *Magnum*, inquit, *nescio quid, maiusque, quam cogitari potest, numen est, cui viuendo operam damus. Huic nos approbemus. Nam nihil prodest inclusa conscientia: patemus deo.*

Sic certe viuendum est, tanquam in conspectu viuamus: sic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inspicere possit: et potest. Quid enim prodest, ab homine aliquid esse secretum? Nihil deo clausum est. Interest animis nostris, et cogitationibus mediis interuenit. Sic interuenit, dico, tanquam aliquando discedat. *Senec. Ep. 83.*

Qui deum cuncta inspicere crediderit, neque clanculum, neque aperte peccabit. *Democratis sententi. 79.*

3. Mirifice etiam Thales: nam interrogatus, an facta hominum deos fallerent: *Nec cogitata*, inquit. Vt non solum manus, sed etiam mentes puras habere vellemus, quum secretis cogitationibus nostris caeleste numen adesse credidissemus. Sextus, Pythagoricus, dixit simili sententia: *Nequaquam latebis deum agens iniuste, sed ne cogitans quidem.* *Valer. l. 7. c. 2.* *Sexti sent. 65.*

Caput V.

Deus colitur et placatur pietate.

1. In ipsa communitate sunt gradus officiorum, ex quibus, quid cuique praestet, intelligi possit: vt prima, diis immortalibus; secunda, patriae; tertia, parentibus; deinceps gradatim reliquis debeantur. *Cic. 1. officio. c. 45. s. vlt.*

Stobaeus Serm. 1. p. 1. lin. 27. Tria sunt colenda maxime iuuenibus, dii, parentes, leges.

Seneca Ep. 76. Virum bonum concedas necesse est, summae pietatis erga deos esse: itaque quidquid illi acciderit, aequo animo sustinebit. Sciet enim, id accidisse lege diuina, qua vniuersa procedunt.

Cic. 1. nat. cap. 2. 2. de Nat. c. 28. Haud scio, an, pietate aduersus deos sublata, fides etiam, et societas humani generis, et vna excellentissima virtus, iustitia, tollatur. Deos et venerari, et colere debemus. Cultus autem deorum est optimus, idemque castissimus, atque sanctissimus, pleniissimusque pietatis, vt eos semper pura, integra, incorrupta, et mente et voce veneremur. Deus habet locum nullum in terra gratiorem, anima pura.

Hieroc. in Pyth. carm. Non templa illi, congestis in altitudinem saxis, exstruenda sunt: sed in suo cuique consecrandus est pectore.

Seneca apud Lact. 6. c. 25. Deos placatos pietas et sanctitas efficiet.

Cic. 2. off. 3. Plin. in paneg. c. 3. 2. Animaduerto etiam, deos ipsos non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia et sanctitate laetari: gratioremque existimari, qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit.

Senec. Epist. 115. Colitur (deus) non taurorum opimis corporibus contrucidatis, nec auro argentoque suspenso, nec in thesauros stipe infusa, sed pia et recta voluntate.

1. Benef. c. 6. Nec inuictimis quidem, licet opimae sint, auroque praefulgeant, deorum est honos; sed pia ac recta voluntate venerantium. Itaque boni etiam tarre ac fit illa religiosi sunt; mali

mali rursus non effugiunt impietatem, quamuis aras sanguine multo cruentauerint.

Facito sacra diis caste et pure, pro facultate, atque placa eos, et quando ieris cubitum, et quando tempus matutinum venerit, vt sint animo beneuolo in te. *Hesiod. Oper. v.* 336. 338.

Caput VI.

Deus est colendus magis pie, quam magnifice.

1. *Ad diuos adeunto caste: pietatem adhibendo: opes amouendo.* Significat (haec lex) probitatem gratam esse deo: sumtum esse remouendum. Quid est enim, quum paupertatem diuitiis etiam inter homines esse aequalem velimus, cur eam, sumtu ad sacra addito, deorum aditu arceamus? Praesertim quum ipsi deo nihil minus gratum futurum sit, quam non omnibus patere ad se placandum et colendum viam. *Cic. 2. leg. c. 8. 10.*

Quum Socrates de facultatibus exiguis, tenuia sacra faceret, putabat se non praestare minus, quam eos, qui de magnis et copiosis opibus, multas et amplas hostias caederent. Etenim neque decere deos, hoc aiebat, vt magnis potius, quam exiguis, sacrificiis gauderent, quod alioquin eis improborum hominum sacrificia saepe essent gratiora, quam bonorum, neque vitam mortalibus optandam esse, si sacrificia scelestorum diis essent acceptiora, quam proborum. Nimirum existimabat, sacra illa et munera esse maxime grata diis, quae ab hominibus maxime piis offerrentur. *Xenoph. memor. p. 722.*

2. Apud Romanos colebantur religiones *Liuius l.*

Valer. l. 2. c. 5. pie magis, quam magnifice. Primitus enim ex libamentis victus sui, deos eo efficacius, quo simplicius, (farre et sale) placabant.

Plin. l. 14. c. 13. L. Papirius, imperator, aduersus Samnites dimicaturus votum fecit, si viciſſet, Ioui pocillum vini. Imagines fictiles deorum erant tum laudatiſſimae: nullae conficiebantur ex auro, nullae ex argento. Nec deinde rempublicam poenituit eorum, qui coluerant deos tales. Quippe Iupiter videbatur esse magis propitius, quum statuae eius fingerentur ex argilla, non vero conflarentur ex auro.

Iuuen. Sat. 11. v. 115. ſ.

Hanc rebus Latiis curam praeſtare ſolebat
Fictilis, et nullo violatus Iupiter auro.

Simulacra deorum lignea aut fictilia, sunt dicata Romae in templis, vsque ad Asiam deuictam, vnde luxuria inuasit vrbem.

Plut. in Alex. T. 1. p. 679. 3. Alexander magnus dicitur coluisse magnifice deos a pueritia. Quum aliquando faciens sacrum iniecisset manibus ambabus thura in ignem; Leonidas paedagogus eius: *Adolebis*, inquit, *ſic, cum ſubegeris regiones eas, vbi thura naſcuntur. Interea vtere parce praeſentibus.* Postea Alexander, Arabia, regione thurifera, redacta in ditionem suam, memor reprehensionis, olim factae a Leonida, misit ei thura multa, odoresque alios, admonuitque, ne vellet posthac esse parcus in honoribus Deorum.

Caput VII.

Impii non placant deum donis.

Cicer. 2. leg. c. 16. 1. Donis impii ne placare audeant deos: Platonem audiant, qui vetat dubitare, qua sit men-

mente futurus deus, quum vir nemo bonus ab improbo se donari velit.

Iucundum non esset viro probo, accipere dona, quae non ignoraret, dari animo malo. Si pietas adsit, nihil non potest esse gratum deo: contra autem, si desit. *Hierocl. in Pyth. carm.*

Atque hoc sceleste illi in animum inducunt suum,
Iouem se placare posse donis, hostiis;
Et operam, et sumtum perdunt - - - *Plaut. in Rudente Prolog. v. 22. ss.*

Bias nauigabat aliquando cum impiis: quum vero, tempestate exorta, nauis quateretur fluctibus, illique inuocarent deos: *Silete*, inquit, *ne vos hic illi nauigare sentiant.* Idem respondit nihil hominis impio, percontanti, quid esset pietas. Quumque ille sciscitaretur caussam silentii: *Tace*, inquit, *quia de rebus nihil ad te pertinentibus quaeris.* *Diog. Laert. in Bian. segm. 86.*

2. Puras deus, non plenas, adspicit manus. *P. Syr. 701.*

Pietate, et religione, et iustis precibus, deorum mentes, non contaminata superstitione, nequo ad scelus perficiendum caesis hostiis possunt placari. *Cic. pro Cluent. cap. 68.*

Aeschinus dicit apud Terentium patri: *Tu potius deos comprecare; nam tibi eos, certo scio,*
Quo vir melior multo es, quam ego, obtemperaturos magis. *Terent. Adelph. act. 4. sc. 5. v. 70.*

Primus est deorum cultus, deos credere: deinde, reddere illis maiestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla maiestas est. Scire, illos esse, qui praesident mundo: qui vniuersa vi sua temperant: qui humani generis tutelam gerunt, interdum curiosi singulo- *Senec. Ep. 95.*

gulorum. etc. Vis deos propitiare? bonus esto. Satis illos coluit, quisquis imitatus est.

Sexti Sentent. 396.

Optime honorat deum ille, qui mentem suam, quantum fieri potest, similem deo facit.

Sent. 107.

Dilige deum plus, quam animam. Si non diligis deum; non ibis ad deum.

Sent. 458.

Non amabis dominum deum, nisi aliquid simile dei habueris.

Sent. 456.

Conandum est, vt efficiamur similes deo, quantum licet homini.

Plato in Theaet. p. 129. B.

Homo autem efficitur similis deo, prudentia, iustitia, sanctitate.

Caput VIII.

Mens bona, et inuentio artium veniunt a deo

Plato in Menon. 427. F.

1. Virtus vtique nec doctrina, neque natura nobis aderit, verum diuina sorte.

Seneca Epist. 90.

Non dat natura virtutem: etc. etc. Ad hoc quidem, sed sine hoc nascimur: et in optimis quoque, antequam erudias, virtutis materia, non virtus est.

Ep. 41.

Bonus vir sine deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adiutus, exsurgere? Ille dat consilia magnifica, et erecta. In vnoquoque virorum bonorum (quis deus, incertum est) habitat deus, etc. Si hominem videris interritum periculis, inmotum cupiditatibus, inter aduersa felicem, in mediis tempestatibus placidum, ex superiore loco homines videntem, ex aequo deos: non subibit te veneratio eius? Non dices: *Est aliquid maior est altiorque, quam vt credi similis huic, in quo est, corpusculo possit? Vis istuc diuina descendit.*

Ani-

Animum excellentem, moderatum, omnia tanquam minora transeuntem, quidquid timemus optamusque ridentem, caelestis potentia agitat. Non potest res tanta sine adminiculo numinis stare. *ibid.*

Credamus itaque Sextio, monstranti pulcherrimum iter, et clamanti: *hac itur ad astra:* hac, secundum frugalitatem: hac, secundum temperantiam, hac, secundum fortitudinem. Non sunt dii fastidiosi, non inuidi: admittunt, et adscendentibus manum porrigunt. Miraris hominem ad deos ire? Deus ad homines venit: immo (quod propius est) in homines venit. Nulla sine deo mens est. *Ep.* 73

2. P. Scipio Africanus nec quidquam prius coepit, quam in cella Iouis diutissime sedisset, quasi diuinam mentem accepisset, (et consilia salutaria reipublicae.) Propterea solitus erat noctis extremo, priusquam dilucularet, in Capitolium ventitare. *Auctor de vir. ill. c.* 50 *A. Gellius l.* 7 *c.* 1

Cicero oratione pro Sulla palam praedicat, consilium patriae seruandae fuisse iniectum sibi a diis, quum Catilina coniurasset aduersus eam. O dii immortales! (Vobis enim tribuam, quae vestra sunt: nec vero possum, meo tantum ingenio dare, vt tot res, tantas, tam varias, tam repentinas, in illa turbulentissima tempestate reipublicae, mea sponte dispexerim.) Vos profecto animum meum tum conseruandae patriae cupiditate *cap.* 14

incendistis. Vos me ab omnibus ceteris cogitationibus, ad vnam reipublicae salutem conuertistis. Vos denique in tantis tenebris erroris, et inscientiae clarissimum lumen praetulistis menti meae.

Corn. Nepos in Timol. c. 4

Nihil vnquam neque insolens, neque glorioſum, ex ore Timoleontis exiit: qui quidem, quum suas laudes audiret praedicari, numquam aliud dixit, quam se in ea re maximas diis gratias agere atque habere, quod, quum Siciliam recreare constituissent, tum se potissimum ducem esse voluissent: *nihil enim rerum humanarum sine deorum numine agi putabat.*

Diog. Laert. in Bian. segm. 88

3. Quidquid boni egeris, in deos refer: inquiebat Bias.

M. Anton. l. 1 §. 17

M. Antoninus in libro de vita sua, agit gratias diis verbis multis, quod dederint sibi saepius monita, et adiumenta ad instituendam vitam sapienter; quod eripuerint se, et iuuenem, et senem, ab occasionibus multis peccandi: quod concesserint bonos parentes, praeceptores, amicos.

Excerp. Nic. Damas. p. 414 edit. Vales.

Quum diuitiae soleant afferre hominibus aut amorem voluptatis, aut animi superbiam: opus est homini auxilio diuino, vt modestiam colat.

Cic. 2 de nat. c. 66

Multos et nostra ciuitas, et Graecia tulit singulares viros, quorum neminem, nisi iuuante deo, talem fuisse credendum est. Nemo igitur vir magnus sine aliquo afflatu diuino vmquam fuit.

Quod

Landesbibliothek Oldenburg

Quod si ineſt in hominum genere mens, fides, virtus, concordia: vnde haec in terras, niſi a ſuperis, defluere potuerunt? *Ib. c.* 31

4. Cura priſcorum in inueniendo, benignitas in tradendo, eſt donum deorum. Quod ſi quis illa forte ab homine excogitari potuiſſe credit, ingrate munera deorum intelligit. *Plin. l.* 27 *c.* 1. 2

Neque enim noſtra iſta, quae inuenimus, dixeris: etc. Inſita ſunt nobis omnium aetatum, omniumque artium ſemina, magiſterque ex occulto deus producit ingenia. *Seneca* 4 *benef. c.* 6

Caput VIIII.

Templa ad augendam pietatem exſtructa ſunt.

Patrum delubra eſſe in vrbibus cenſeo: nec ſequor magos Perſarum, quibus auctoribus Xerxes inflammaſſe templa Graeciae dicitur, quod parietibus includerent deos, quibus omnia deberent eſſe patentia ac libera, quorumque hic mundus omnis templum eſſet, et domus. Melius Graeci, atque noſtri: qui, vt augerent pietatem in deos, easdem illos, quas nos, vrbes incolere voluerunt. Affert enim haec opinio religionem vtilem ciuitatibus: Siquidem et illud bene dictum eſt a Pythagora, doctiſſimo viro, tum maxime, et pietatem, et religionem verſari in animis, quum rebus diuinis ope- *Cic. 2 legg. c.* 10 *et* 11

operam daremus. Et quod Thales, qui sapientissimus in septem fuit, homines existimare oportere, omnia, quae cernerentur, deorum esse plena; fore enim omnes castiores, veluti qui in fanis essent maxime religiosis. Est enim quadam opinione species deorum in oculis, non solum in mentibus.

Arrianus in Epict. l. 4 c. 11 Olim tanta reuerentia praestabatur templis, vt in iis exscreare aut mungere nefas esset.

Caput. X

Tuta et honorata inter hostes pietas.

Liuius l. 5 c. 46 1. Quum Galli, capta vrbe Roma, Capitolium obsiderent, et ad id tantum intenti essent, ne quis hostium euadere inter stationes posset: repente iuuenis Romanus admiratione in se ciues, hostesque conuertit. Sacrificium erat statum in Quirinali colle genti Fabiae. Ad id faciendum C. Fabius Dorso, Gabino cinctu, sacra manibus gerens, quum de Capitolio descendisset, per medias hostium stationes egressus, nihil ad vocem cuiusquam, terroremue motus, in Quirinalem collem peruenit, ibique omnibus solenniter peractis, eadem reuertens similiter constanti vultu graduque, satis sperans, *propitios esse deos, quorum cultum ne mortis quidem metu prohibitus deseruisset*, in Capitolium ad suos rediit: seu attonitis Gal-

Gallis miraculo audaciae, seu religione etiam motis, cuius haudquaquam negligens gens est.

2. Quum Camillus pergeret ad delendam vrbem Veios, decimam partem praedae voverat Apollini. Vrbe capta ac direpta, vt sine mora voti liberaretur, senatus misit nunc tres legatos, qui ferrent Delphos crateram auream, donum Apollini. Hi haud procul freto Siculo, a piratis Liparensium excepti, deuecti sunt Liparas. Mos erat ciuitatis, velut publico latrocinio, partam praedam diuidere. Forte eo anno in summo magistratu erat Timasitheus quidam, Romanis vir similior, quam suis: qui legatorum nomen, donumque, et deum, cui mitteretur, et doni causam veritus ipse, multitudinem quoque, quae semper ferme regenti est similis, religionis iustae impleuit: adductosque in publicum hospitium legatos, cum praesidio etiam nauium Delphos prosecutus, Romam inde sospites restituit. Hospitium cum eo senatusconsulto est factum: donaque publice data. *Liuius l. 5. c. 21 et 28*

Caput. XI

Publica religio priuatis affectibus praelata.

1. Quum Galli ad Romam ferro et igne vastandam accelerare dicerentur, et nulla spes esset, vrbem posse defendi; multi Romanorum per agros dilapsi sunt, multi vr- *Liu. l. 5 c. 40*

bes

bes petierunt finitimas, apportantes quaecumque habebant pretiosissima.

Interim virgines Vestales, omissa rerum suarum cura, quae sacrorum secum ferenda, quae (quia vires ad omnia ferenda deerant) relinquenda essent consultantes, quisue ea locus fideli asseruaturus custodia esset; optimum ducunt, condita in doliolis sacello proximo aedibus flaminis Quirinalis, vbi nunc despui religio est, defodere; cetera inter se onere partito ferunt, via, quae sublicio ponte ducit ad Ianiculum. In eo cliuo eas quum L. Albinius, de plebe Romana homo, conspexisset, plaustro coniugem ac liberos vehens inter ceteram turbam, quae inutilis bello vrbe excedebat: saluo etiam tum discrimine diuinarum humanarumque rerum: irreligiosum ratus sacerdotes publicos, sacraque populi Romani pedibus ire, ferrique; se ac suos in vehiculo conspici; descendere vxorem ac pueros iussit, virgines sacraque in plaustrum imposuit: et Caere, quo iter sacerdotibus erat, peruexit. Adeo tunc quoque in vltimis religio publica priuatis affectibus antecellebat.

Florus l. 1. c. 13

Caput XII

Impii serius ocius dant pœnas.

1. Dionysius, quum fanum Proserpinae Locris expilauisset, nauigabat Syracusas: isque quum secundissimo vento cursum teneret, ridens: *videtisne*, inquit, *amici, quam*

Cic. 3 de nat. c. 34

quam bona a diis immortalibus nauigatio sacrilegis detur? Atque homo acutus, quum bene planeque percepisset, in eadem sententia perseuerabat: qui, quum ad Peloponnesum classem appulisset, et in fanum venisset Iouis Olympii, aureum ei detraxit amiculum, grandi pondere, quo Iouem ornarat ex manubiis Carthaginensium tyrannus Gelo: atque in eum etiam cauillatus est, *aestate graue esse aureum amiculum, hieme frigidum:* eique laneum pallium iniecit, quum id esse ad omne anni tempus diceret. Idemque Aesculapii Epidauri barbam auream demi iussit. *Neque enim conuenire, barbatum esse filium, quum in omnibus fanis pater imberbis esset.* Non exsoluit quidem statim Dionysius debita impietati supplicia: at postea insidiis suorum oppressus, interfectus est. Lento enim gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatemque supplicii grauitate compensat. *Iust. l. 20 c. 5* *Valer. l. 1 c. 1*

2. Quum Pyrrhus, rex Epiri, ex Sicilia rediens, Locros classe praeterueheretur; inter alia foeda, quae propter fidem erga vos in ciuitatem nostram facinora edidit, thesauros quoque Proserpinae, intactos ad eam diem, spoliauit: atque ita pecunia in naues imposita, ipse terra est profectus. Quid ergo euenit, P. C? Classis postero die foedissima tempestate lacerata, omnesque naues, quae sacram pecuniam habuerunt, in litora nostra eiectae *Liu. l. 29 c. 18*

sunt.

sunt. Qua tanta clade edoctus tandem deos esse superbissimus rex, pecuniam omnem conquisitam in thesauros Proserpinae referri iussit. Nec tamen illi vnquam postea prosperi quidquam euenit: pulsusque Italia, ignobili atque inhonesta morte, temere noctu ingressus Argos, occubuit Lancea primum leuiter vulneratus fuerat a iuuene quodam Argiuo. Matrem habebat hic anum pauperculam, quae inter alias mulieres spectans proelium e tecto domus, quum videret Pyrrhum ferri toto impetu in auctorem vulneris sui; timens vitae filii, protinus tegulam corripuit, et vtraque manu libratam demisit in caput regis. Quo vulnere dejectus ex equo Pyrrhus, a Zopyro quodam est obtruncatus.

Plut. in Pyrrho p. 405

3. Longo post tempore Q. Pleminius, praepositus praesidio Romanorum in vrbe Locrorum, quum a sacrorum spoliatione non abstinuisset, et eosdem Proserpinae thesauros diripuisset, quos olim Pyrrhus; ex senatus consulto Praetor et legati Locros profecti, primum, sicuti mandatum erat, religionis curam habuere. Omnem enim sacram pecuniam, quaeque apud Pleminium, quaeque apud milites erat, conquisitam cum ea, quam ipsi secum attulerant, in thesauris reposuerunt, ac piaculare sacrum fecerunt. Ipse Pleminius, antea a suis hostiliter laceratus, et naso auribusque mutilatis, prope exanimis relictus, Romam missus est, cauſ-

Liv. l. 29 c. 19. 21

ibid. cap. 9

sam

sam dicturus. Sed ante caussae dictionem teterrimo genere morbi in carcere consumtus est. *Valer. l. 1 cap. 1*

4. Ante naualis praelii congressionem miserat Xerxes quatuor millia armatorum Delphos, ad templum Apollinia diripiendum: prorsus quasi non cum Graecis tantum, sed et cum diis immortalibus bellum gereret. Quae manus tota imbribus et fulminibus deleta est: vt intelligeret, *quam nullae essent hominum aduersus deos vires.* *Iustin. l. 2 cap. 12*

5. Contra Agesilaus, Rex Lacedaemoniorum, magnam templis reuerentiam habuit. Maxima laus fuit victoriae, quam de Athenienſibus et Bœotis apud Coroneam adeptus est, quod antetulit irae religionem. Quum enim plerique ex fuga se in templum Mineruae coniecissent, quaerereturque ab eo, quid his fieri vellet? eos vetuit violari: etsi aliquot vulnera acceperat eo praelio, et iratus videbatur omnibus, qui aduersus arma tulerant. Neque vero hoc solum in Graecia fecit, vt templa deorum sancta haberet: sed etiam apud barbaros, summa religione, omnia simulacra arasque conseruauit. Sic Alexander Magnus, quum Thebas euerteret, non est oblitus pietatis erga deos: sed cauit summo studio, ne deorum aedes, et alia sacra loca violarentur. In expeditione quoque Asiatica quum a Persis repeteret pœnas, abstinuit a locis omnibus, quae diis dicata erant: quamuis *Corn. Nep. in Agesil. cap. 4* *Polyb. l. 5*

Per-

Persae hoc potissimum iniuriae genere saeuiissent in Graecia.

Caput XIII

Quae vota facienda sint deo.

Senec. ep. 10

1. Votorum tuorum veterum licet diis gratiam facias: alia de integro suscipe: roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis. Quidni tu ita vota saepe facias? etc. Tunc scito, esse te omnibus cupiditatibus solutum, quum eo perueneris, vt nihil deum roges, nisi quod rogare possis palam. Nunc enim, quanta dementia est hominum, turpissima vota diis insusurrant: si quis admouerit aurem, conticescent; et quod scire homines nolunt, deo narrant. etc. Sic viue cum hominibus, tanquam deus videat; sic loquere cum deo, tanquam homines audiant.

Ex Nic. Damasc.

Paedalii, gens Indica, nihil aliud petebant a diis, quam iustitiam.

Philostr. l. 1 cap. 2

Dicebat Apollonius, has tantum preces esse profundendas ab homine, accedente ad deorum templa: *O Dii, quae mihi conueniunt, praestate.*

Valer. l. 7 cap. 1

2. Socrates, humanae sapientiae quasi quoddam terrestre oraculum, nihil vltra petendum a diis immortalibus arbitrabatur, quam vt bona tribuerent: quia ii demum scirent, quid vnicuique esset vtile; nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetrasse melius foret. Etenim densissimis tenebris inuoluta mortalium mens, in quam late patentem errorem caecas precatio-

tiones tuos spargis! Diuitias appetis, quae multis exitio fuerunt: honores concupiscis, qui complures pessum dederunt: regna tecum ipse voluis, quorum exitus saepenumero miserabiles cernuntur: splendidis coniugiis manus iniicis, at haec, vt aliquando illustrant, ita nonnunquam funditus domos euertunt. Desine igitur stulta futuris malorum tuorum caussis, quasi felicissimis rebus, inhiare, teque totum caelestium arbitrio permitte: quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissima possunt.

Permittes ipsis expendere numinibus, quid *Iuuen.*
Conueniat nobis, rebusque sit vtile nostris. *Sat.* 10 *v.*
Nam pro iucundis aptissima quaeque da- 345 *ff.*
bunt dii:
Carior est illis homo, quam sibi. etc.

Laudabat Socrates has antiqui poëtae preces: *O Iupiter, ea quae bona sunt, nobis orantibus, aut non orantibus, tribue: quae vero mala, etiam orantibus ne concede.* *Plat. in Alcib. 2 p.* 454 *D.*

Caput XIIII

Homo praecipuum opus dei.

1. Animal hoc prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem, praeclara quadam conditione generatum est a supremo deo. Solum est enim, ex tot animantium generibus atque naturis, particeps rationis et cogitationis, quum cetera sint omnia expertia. Quid est autem, non dicam *Cic. 1 legg. cap.* 7

in

in homine, sed in omni cœlo atque terra, ratione diuinius? Quae quum adoleuit atque perfecta est, nominatur rite sapientia.

Cap. 8 Propter ingeneratam homini a deo rationem, est aliqua ei cum deo similitudo, cognatio, societas. Itaque ad hominum commoditates, et vsus tantam rerum vbertatem natura (hoc est deus) largita est, vt ea, quae gignuntur, donata consulto nobis, non fortuito nata videantur: etc. Artes praeterea innumerabiles repertae sunt, docente natura: quam imitata ratio, res ad vitam necessarias sollerter consecuta est.

Cap. 9 2. Ipsum hominem eadem natura non solum celeritate mentis ornauit, sed etiam sensus, tanquam satellites, attribuit, ac nuntios: et rerum plurimarum obscuras, et necessarias intelligentias enudauit, quasi fundamenta quaedam scientiae: figuramque corporis habilem, et aptam ingenio humano dodit. Nam quum ceteras animantes abiecisset ad pastum, solum hominem erexit, ad caelique quasi cognationis domiciliique pristini conspectum excitauit.

Ouid. 1 *Met. v.* 84 Pronaque quum spectent animalia cetera terram;
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Iussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Cic. ibid. c. 9 Omitto opportunitates habilitatesque reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim, quae conciliatrix est humanae maxime societatis.

Senec. 6 3. In prima rerum constitutione, quum

Dii

dii vniuersa disponerent, rationem hominis habuerunt. Non est homo tumultuarium et incogitatum opus. Cogitauit nos ante natura, quam fecit. Ita est: carissimos nos habuerunt dii, habentque: et qui maximus honos tribui potuit, in orbe proximos ab ipsis collocauerunt. *benef. c. 23. et 2. cap. 29.*

Qui se ipse norit, primum aliquid sentiet se habere diuinum, ingeniumque in se suum, sicut simulacrum aliquod, dedicatum putabit; tantoque munere deorum semper dignum aliquid et faciet, et sentiet. *Cicero. 1 leg. c. 12.*

Omnes homines, qui sese student praestare ceteris animalibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant, veluti pecora, quae natura prona, atque ventri obedientia finxit. Sed nostra omnis vis in animo, et corpore sita est. Animi imperio, corporis seruitio magis vtimur. Alterum nobis cum diis, alterum cum belluis commune est. Quo magis prauitas eorum admiranda est, qui, dediti corporis gaudiis, per luxum atque ignauiam aetatem agunt: ceterum ingenium, quo neque melius, neque amplius aliud in natura mortalium est, incultu, atque socordia, torpescere sinunt. *Sallust. bell. Catil. c. 1. Bellum Iugurth. c. 8.*

Caput XV.

Virtus proprium atque vnicum hominis bonum.

Hi non viderunt, vt ad cursum, equum; ad arandum, bouem; ad indagandum, canem *Cic. 2. de fin. c. 13.*

nem: sic hominem ad duas res, vt ait Aristoteles, intelligendum et agendum, esse natum, quasi mortalem deum.

Seneca Ep. 76. Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantum aret, quantum foeneret, a quam multis salutetur, quam pretioso incumbat lecto, quam pellucido poculo bibat: sed quam bonus sit. Bonus autem est, si ratio explicata et recta est, et ad naturae voluntatem accommodata. Haec vocatur virtus: hoc est honestum, et vnicum hominis bonum.

Cic. 1. off. c. 5. et 2. In quatuor partes Honestum diuidi solet, Prudentiam, Iustitiam, Forditudinem, et Temperantiam. Ex singulis autem illis virtutibus certa officiorum genera nascuntur, in quibus colendis sita est honestas omnis vitae, et in negligendis turpitudo. Itaque de vnaquaque seorsim agemus, et quatuor libris complectemur, quae pertinent ad quatuor illas virtutes.

LIBER SECVNDVS DE PRVDENTIA

CAPVT I.

Ineſt mentibus inſatiabilis cupiditas veri videndi.

Munus proprium ſapientiae et prudentiae eſt indagatio atque inuentio veri. Vt enim quisque maxime perſpicit, quid in re quaque veriſſimum ſit, quique acutiſſime poteſt et celerrime videre, et explicare rationem, is prudentiſſimus et ſapientiſſimus rite haberi ſolet. *Cicer. 1. Offic. c. 5.*

Generi animantium omni eſt a natura tributum, vt ſe, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quae nocitura videantur; omniaque, quaecunque ad viuendum ſint neceſſaria, acquirat et paret. At veri inquiſitio atque inueſtigatio hominis eſt propria, quod rationis eſt particeps: et natura ineſt mentibus noſtris inſatiabilis quaedam cupiditas veri videndi. Itaque quum ſumus neceſſariis negotiis, curisque vacui, tum auemus aliquid videre, audire, addiſcere: cognitionemque rerum, aut occultarum, aut admirabilium, ad beate viuendum neceſſariam ducimus. In ſcientia excellere, pulchrum putamus: labi autem, errare, neſcire, decipi, malum et turpe ducimus. *Ibid. c. 4. 1. Tuſc. c. 9. 1. Offic. cap. 4. et 6.*

CAPVT II.

Scientia pabulum animi.

Cicer. 5. de fin. 18. s. 1. Tantus est innatus in nobis cognitionis amor et scientiae, vt nemo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento inuitata rapiatur. Quid enim? qui ingenuis studiis atque artibus delectantur, nonne videmus eos, nec valetudinis, nec rei familiaris habere rationem? omniaque perpeti, ipsa cognitione et scientia captos? et cum maximis curis et laboribus compensare eam, quam ex discendo capiant, voluptatem? Quem ardorem studii censetis fuisse in Archimede, qui dum in puluere describit quaedam attentius, ne patriam quidem captam esse senserit? Quid de Pythagora? quid de Platone loquar, qui quum iudicassent, veniendum sibi esse eo, vbi aliquid esset, *ibid. c. 29.* quod disci posset, tantas regiones barbarorum pedibus obierunt, tot maria transmiserunt? Cur haec eadem Democritus, qui dicitur oculis se priuasse? certe vt quam minime animus a cogitationibus abduceretur, patrimoniam neglexit, agros deseruit incultos; quid quaerens aliud, nisi beatam vitam?

Valer. l. 8. c. 7. 2. Carneades, laboriosus et diuturnus sapientiae miles; siquidem nonaginta expletis annis, idem illi viuendi ac philosophandi finis fuit. Ita se mirificum doctrinae operibus addixerat, vt quum cibi capiendi causa recubuisset, cogitationibus inhaerens manum ad mensam porrigere obliuiscceretur.

Cic. 4. Acad. c. 41 Est animorum ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum, consideratio contem-

templatioque naturae: etc. Indagatio ipsa rerum tum maximarum, tum etiam occultissimarum, habet oblectationem.

Caput III.

Pertinax labor et disciplina naturam vincunt.

1. In Demosthene tantum studium fuisse, tantusque labor dicitur, vt primum impedimenta naturae diligentia industriaque superarit. Quumque ita balbus esset, vt eius ipsius artis, cui studeret, primam litteram non posset dicere, perfecit meditando, vt nemo planius eo locutus putaretur. Deinde perduxit ad gratum auribus sonum vocem suam, quae propter exilitatem acerba erat. Laterum firmitate destitutus, quas corporis habitus vires negauerat, a labore mutuatus est. Coniectis in os calculis, summa voce versus multos vno spiritu pronunciare consueuescebat: neque is consistens in loco, sed inambulans, atque adscensu ingrediens arduo. *Cic. 1. de Orat. c. 61 Valer. l. 8. c. 7. Quinctil. l. 10. c. 3. l. 11. cap. 3.* *Cic. l. c. c. 61.*

Declamitans in litore, in quod se fluctus illidebat, consueuescebat concitatarum concionum fremitus non expauescere. Cellam quoque aedificasse subterraneam dicitur, in qua duos, tresue menses continuos, aliquando inclusus, operam dabat gestui et voci, et quidem media parte capitis abrasa, vt in publicum sine verecundia prodire non posset. Sic diu proeliatus aduersus naturam, victor abiit, *Val. l. 1.*

iit, et malignitatem eius pertinaciſſimo animi robore ſuperauit.

Senec. Epiſt. 50. Nihil eſt, quod non expugnet pertinax opera, et intenta ac diligens cura.

Virgil. 1. Georg. v. 145. ſ. - - - Labor omnia vincit Improbus.

Diog. Laert. in Clean. ſegm. 168. 169. 2. Erat Cleanthi tardum obtuſumque ingenium: erat et ſumma rerum omnium inopia. At vbi eius animum ſapientiae amor occupauit, tarditatem ingenii acri ſtudio ac diligentia vicit, Zenoni interdiu adſiſtens auditor: inopiam vero, aquam e puteo noctu hauriens, accepta ab hortulano mercede. Aiunt, eum aliquando in iudicium vocatum fuiſſe, quod robuſto admodum ac pingui corpore eſſet, quum nullam artem, vnde viueret, videretur profiteri. At vbi quaeſtus fui ac victus teſtes adhibuit, hortulanum, cui aquam hauriebat, et mulierem, apud quam pinſebat; non ſolum eſt dimiſſus, ſed etiam ab Areopagitis iudicibus donatus decem minis, quas Zeno accipere illum vetuit.

Cic. de Fato, cap. 5 3. Stilponem, Megareum Philoſophum, acutum ſane hominem et probatum, temporibus illis accepimus. Hunc, ſcribunt ipſius familiares, et ebrioſum, et mulieroſum fuiſſe: neque hoc ſcribunt vituperantes, ſed potius ad laudem. Vitioſam enim naturam ab eo ſic edomitam, et compreſſam eſſe doctrina, vt nemo vnquam vinolentum illum, nemo in eo libidinis veſtigium viderit.

ibid. Zopyrus, phyſiognomon, qui ſe profitebatur hominum mores, naturasque ex corpore,

pore, oculis, vultu, fronte, pernoscere, stupidum esse Socratem dixit et hardum, etc. addidit etiam, mulierosum: in quo Alcibiades cachinnum dicitur sustuliſſe. Ipse vero Socrates, *haec vitia sibi ingenita fuisse natura* non dissimulauit; *sed ratione a se deiecta*, dixit. Sed haec ex naturalibus causis vitia nasci possunt: exstirpari autem, et funditus tolli, vt is ipse, qui ad ea propensus fuerit, a tantis vitiis auocetur, non est id positum in naturalibus causſis, sed in voluntate, studio, disciplina.

Animus hominis, quidquid sibi imperat, obtinet. *P. Syr. v. 48.*

Cicero Quintum fratrem laudans, quod eos, quibus praeerat in Asia prouincia, contineret; ostendit his verbis, quid doctrina posset efficere: *Tibi et fuit hoc semper facillimum, et vero esse debuit: cuius natura talis est, vt etiam sine doctrina videatur moderata esse potuisse; ea autem adhibita doctrina est, quae vel vitiosissimam naturam attollere possit.* *Cic. Ep. ad Quint I. ep. 1. c. 2*

Caput IIII.

Quaesita vitae periculo scientia.

1. Philosophus Taurus, vir, memoria nostra, in disciplina Platonica celebratus, quum aliis bonis multis salubribusque exemplis hortabatur ad Philosophiam capessendam, tum vel maxime ista re animos iuuenum expergebat, Euclidem quam dicebat Socraticum factitauisse. Decreto, inquit, suo Athenienses cauerant, vt, qui Megaris *A. Gellius l. 6. c. 10.*

garis ciuis esset, si intulisse Athenas pedem prehensus esset, vt ea res ei homini capitalis esset; tanto Athenienses, inquit, odio flagrabant finitimorum hominum Megarensium. Tum Euclides, qui *in diem Megaris erat, quique etiam ante id decretum, et esse Athenis, et audire Socratem consueuerat, postquam id decretum sanxerunt, sub noctem,* priusquam adueſperascceret, tunica longa muliebri indutus, et pallio versicolore amictus, et caput * et ora velatus, e domo sua Megaris Athenas ad Socratem commeabat: vt vel noctis aliquo tempore consiliorum, sermonumque eius fieret particeps: rursusque sub lucem, millia passuum paullo amplius viginti, eadem veste illa tectus redibat.

** al.* indidem.

** al.* quum

** al.* rica.

Aelian. V. H. l. 10. *c.* 16. *Diog. Laert. in Diog. segm.* 21.

2. Antisthenes discipulos hortabatur ad dandam operam sedulam sapientiae: at pauci obtemperabant. Itaque tandem indignatus dimisit a se omnes, inter quos erat et Diogenes. Quum vero hic, incensus magno audiendi philosophi studio, ad eum tamen ventitaret, eique adhaereret pertinaciter; minatus est Antisthenes, se percussurum illi caput baculo, quem solebat manu gestare: et his minis non territum, reipsa percussit aliquando. Non recessit propterea Diogenes; sed animo obstinato ad imbuendum pectus Philosophiae praeceptis: *Percute*, inquit, *si ita placet. Ego tibi caput praebeo. Neque vero tam durum fustem inueneris, quo me a tuis disputationibus abigas.* Admisit tandem

tam

tam cupidum doctrinae discipulum Antisthenes, et eum maxime amauit.

Caput V.

Doctus indocto multum praestat.

1. Accessit ad Aristippum Philosophum paterfamilias, rogauitque, vt filium suum susciperet erudiendum. Quum vero ille pro mercede petisset quingentas drachmas; pater deterritus pretio, quod ignaro auaroque homini nimium videbatur: tanti, dixit, emere mancipium possum. Tum philosophus: *Eme*, inquit, *et habebis duo.* *Diog. Laert. in Arist. segm. 72.*

Alius paterfamilias quaesiuit ab eodem Aristippo, quid commodi consecuturus esset filius suus, si eum litteris institui curaret? *Si nullum alium fructum percipiet*, respondit ille, *hunc certe, quod in theatro* (cuius tum erant sedilia marmorea) *non sedebit lapis super lapidem.* Hoc gemino responso innuebat vir prudens, eos, quorum ingenium excultum non fuisset, similes videri posse aut mancipiorum, aut lapidum. Tantumque doctrinae tribuebat, vt, interrogatus, quodnam discrimen esset inter homines doctrina excultos, et indoctos? responderit: *Idem, quod inter equos domitos et indomitos.* *segm. eod.* *segm. 69.*

2. Vt ager, quamuis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest: sic sine doctrina animus. Cultura autem animi, Philosophia est: haec extrahit vitia radicitus, et praeparat animos ad satus accipien- *Cic. 2. Tusc. c. 5.*

dos, eaque mandat his, et, vt ita dicam, ferit, quae adulta fructus vberrimos ferant.

Aelian. V. H. l. 12. *c.* 56. Salse ridebat Diogenes, Sinopensis, inertiam et incuriam Megarensium, qui liberos nullis bonis artibus instruebant, curam vero pecorum diligentem habebant. Dicebat enim: *Malle se Megarensis alicuius arietem esse, quam filium.* Non absimili sententia, sed aliam ob caussam, dixit de Herode, Iudaeorum rege, Augustus. Quum enim audisset inter pueros, quos in Syria Herodes, rex Iudaeorum, intra bimatum iussit interfici, filium quoque eius occisum, ait: *Melius est, Herodis porcum esse, quam filium.*

Macrob. 2. Satur. c. 4.

Caput VI.

Vir doctus potius non vult ditescere, quam non potest.

Cicero 1 *diuin. c.* 49. *Aristot.* 1. *polit. c.* 11. 1. Quum Thaleti Milesio paupertatem verterent vitio ciues eius, et contenderent, studium philosophiae esse inutile ad rem augendam, etiam cupienti; voluit ille obiurgatores suos conuincere, ostendereque, Philosophum facere posse pecuniam, si ei ita visum fuerit: eaque arte est vsus. Intellexerat, vt aiunt, ex astrologia, olearum vbertatem hoc anno fore. Itaque hyeme nondum exacta, paucorum numorum copia instructus, conduxit paruo pretio omnia prela et trapeta, quae Mileti, et in Chio, insula, erant; quum nemo contra licitaretur. Vbi vero conficiendi olei tempus venit, multis vndique, et simul, ad prela accedentibus, ille ea elocauit tanti

tanti, quanti voluit, et magna inde pecunia coacta, probauit, facile esse Philosophis diteſcere, si velint: sed eos, in alia longe praestantiora studium conferre.

2. Ego, inquit Vitruuius de se ipso, quum et parentum cura, et praeceptorum doctrinis, auctas haberem copias disciplinarum, philologis et philotechnis rebus, commentariorumque scripturis me delectans, eas possessiones animo paraui, e quibus haec est fructuum summa, nullam plus habendi necessitatem, eamque esse proprietatem diuitiarum maxime, nihil desiderari. Sed forte nonnulli haec leuia iudicantes, putant, eos esse tantum sapientes, qui pecunia sunt copiosi. Itaque plerique ad id propositum contendentes, audacia adhibita cum diuitiis etiam notitiam sunt consecuti. Ego autem, Caesar, non ad pecuniam parandam ex arte dedi studium: sed potius tenuitatem cum bona fama, quam abundantiam cum infamia sequendam putaui. Neque est mirandum, quid ita pluribus sim ignotus. Ceteri architecti rogant et ambiunt, vt architectentur: mihi autem a praeceptoribus est traditum, rogatum, non rogantem, oportere suscipere curam. *Vitruu. praef. l. 6.*

Caput VII.

Ea viatica paranda sunt, quae cum naufragio enatent.

1. Aristippus, Philosophus Socraticus, de quo supra, interrogatus, quid differret sapiens *Diog. Laert. in Aristipp. segm. 73.*

sapiens ab insipiente? *Mitte*, inquit, *ad ignotos ambos rudos, et disces.* Quae responsio quam vera esset, ipsius exemplo probatum est. Quum eiectus ad Rhodiensium litus, animaduertisset geometrica schemata; exclamauisse ad comites ita dicitur: *Bene speremus, hominum vestigia video*; statimque in oppidum Rhodum contendit, et recta gymnasium deuenit, ibique de philosophia disputans, muneribus est donatus: vt non tantum se ornaret, sed etiam eis, qui vna fuerant, vestitum, et cetera, quae opus essent ad victum, praestaret. Quum autem eius comites in patriam reuerti voluissent, interrogarentque eum, quidnam vellet domum renuntiari; tunc ita mandauit dicere: *Eiusmodi possessiones et viatica liberis oportere parari, quae etiam e naufragio vna possent enatare.* Namque ea vera sunt praesidia vitae, quibus neque fortunae tempestas, neque publicarum rerum mutatio, neque belli vastatio potest nocere.

Vitruuius in praef. l. 6.

Ibid. 2. Theophrastus hortandos doctos potius esse, quam pecuniae confidentes, ita ponit: *Doctum, ex omnibus solum, neque in alienis locis peregrinum, neque, amissis familiaribus et necessariis, inopem amicorum: sed in omni ciuitate esse ciuem; difficilesque fortunae, sine timore, posse despicere casus.*

Ibid. Omnium Graecorum leges cogunt parentes ali a liberis, Athenienſium non omnes, nisi eos, qui liberos artibus erudissent. Omnia enim munera fortunae quum dantur, ab ea facillime adimuntur: disciplinae vero

con

coniunctae cum animis, nullo tempore deficiunt, sed permanent stabiliter ad summum exitum vitae. Itaque ego, inquit Vitruuius, maximas infinitasque parentibus ago atque habeo gratias, quod Athenienſium legem probantes, me arte erudiendum curauerunt, et ea, quae non potest esse probata sine litteratura, encycliaque doctrinarum omnium disciplina.

3. Multi ex iis Athenienſibus, qui, accepta magna clade in Sicilia, domum reuerti ſospites potuere, adierunt Euripidem, se ei salutem ſuam debere confitentes; dixeruntque: alios fuisse emissos e vinculis, quod edocuissent dominos ſuos quaedam ipsius carmina, quae memoria tenuerant: alios, qui post aduersam pugnam errabant per agros omnium egeni, fuisse cibo et potu recreatos, propter decantatos eius versus aliquos. Erant quippe Siculi prae ceteris Graecis studiosissimi, atque appetentissimi tragoediarum Euripidis: quarum si quid afferretur ab iis, qui in insulam appellebant, illud auide arripiebant, laetique secum inuicem communicabant. Quin etiam memoriae proditum est, quum nauis Caunia, quam lembi praedatorii premebant, ad Siculum litus confugisset; Siculos primo noluisse eam recipere: at vbi interrogati Caunii, an nossent Euripidis carmina, se nosse, responderunt; tum vero liberum eis receptum patuisse. *Plut. in Nicia T. I. p.* 54

CAPVT VIII.

Litterae ornamenta hominum sunt et solatia.

Cic. pro Archia c. 7

1. Si non tantus fructus perciperetur ex liberalium artium studiis, quantum percipi constat; sed ex his delectatio sola petereturr, tamen haec animi remissio iudicanda esset libero homine dignissima. Nam ceterae neque temporum sunt, neque aetatum omnium, neque locorum. Haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium ac solatium praebent; delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

Senec. de Tranq. c. 3

Si te ad studia reuocaueris, omne vitae fastidium effugeris: nec noctem fieri optabis taedio lucis, nec tibi grauis eris, nec aliis superuacuus: etc.

Cicer. 5 de fin. c. 19

Videmus litteras et ingenuas artes non solum beatae vitae oblectationem esse, sed etiam leuamentum miseriarum. Itaque multi quum in potestate essent hostium aut tyrannorum, multi in custodia, multi in exilio, dolorem suum doctrinae studiis leuauerunt. Demetrius Phalereus, quum patria pulsus esset iniuria, ad Ptolemaeum se regem Alexandriam contulit, qui, quum in hac ipsa philosophia, ad quam te hortamur, excelleret, Theophrastique esset auditor, multa praeclara in illo calamitoso otio scripsit, etc. Dicitur tum monuisse regem, cuius hospitio vtebatur, vt conscriptos de regno imperioque libros sibi compararet atque perlegeret: *Quia,*

Plutarch. Apophth. T. II. p. 98

inquiebat, *quae amici non audent monere reges, haec in libris scripta sunt.*

2. Quamdiu respublica (Romana) per eos gerebatur, quibus se ipsa commiserat, omnes suas curas cogitationesque in eam conferebat Cicero, et plus in agendo, quam in scribendo operae ponebat. Quum autem dominatu vnius (Iulii Caesaris) omnia tenerentur; nec se angoribus dedidit, quibus esset confectus, nec rursum indignis homine docto voluptatibus. Fugiens conspectum sceleratorum, quibus omnia redundabant, vrbe relicta, rura peragrabat, abdebatque se, quantum licebat, et saepe solus erat. Quum vero nihil agere animus eius non posset, neque vellet languere eam solitudinem, quam ipsi adferebat necessitas, non voluntas; existimauit honestissime molestias posse deponi, si se ad philosophiam retulisset, cui multum adolescens, discendi caussa, temporis tribuerat: omne studium curamque conuertit ad scribendum: atque vt, qui antea occupatus profuerat ciuibus suis, aliquid quoque iis prodesse posset otiosus; elaborauit, vt doctiores fierent et sapientiores: pluraque breui tempore euersa, quam multis annis stante republica, scripsit. Sic paruit virorum sapientum praecepto, qui docent, non solum ex malis eligere minima oportere, sed etiam excerpere ex his ipsis, si quid insit boni.

Cicer. 2. Offic. c. 1 3. Offic. 1

id 1. Tusc. cap. 3.

3. Doctrinae studia et optime felicitatem extollunt, et facillime minuunt calamitatem: eademque et ornamenta hominum maxima sunt, et solatia.

Senec. ad Polyb. c. 36

Ipse

Plutarch. Apophth. T. II. p. 146. Ipse Dionysius, iunior, quum tyrannide excidisset, interrogatus, quid Plato philosophiaque ipsi profuissent? *Vt*, inquit, *tantam fortunae mutationem aequo animo feram.*

Plin. l. 8. Ep. 19. Et gaudium mihi, *inquit Plinius*, et solatium in litteris: nihilque tam laetum, quod his laetius: nihil tam triste, quod non per has sit minus triste. Itaque et infirmitate vxoris, et meorum periculo, quorundam vero etiam morte turbatus, ad vnicum doloris leuamentum, studia, confugio: quae praestant, vt aduersa magis intelligam, sed patientius feram.

Caput VIIII.

Quae in scientiae studio sint vitanda.

Cic. 1. Of. fic. 5. 6. 1. In hoc genere et naturali, et honesto, duo vitia vitanda sunt: Vnum, ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere adsentiamus. Quod vitium effugere qui volet, (omnes autem velle debent) adhibebit ad considerandas res, et tempus, et diligentiam. Alterum est vitium, quod quidam nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias. Quibus vitiis declinatis, quid in rebus honestis, et cognitione dignis, operae curaeque ponetur, id iure laudabitur.

cap. 43 Si quis tamen ita teneatur discendi studio, vt eos deserat, quos tutari debet; ab officio discedit, et a iustitia, quae in hominum tuendis commodis maxime cernitur, et contemplationi, cognitionique rerum antepone-

ponenda est. Quod optimus quisque iudicat, et re ipsa ostendit. Quis enim est tam cupidus in perspicienda cognoscendaque rerum natura, vt si ei tractanti, contemplantique res cognitione dignissimas, subito sit allatum periculum, discrimenque patriae, cui subuenire opitularique possit, non illa omnia relinquat atque abiiciat?

2. Omnia scire, cuiuscunque modi sint, cupere curiosorum: duci vero maiorum rerum contemplatione ad cupiditatem scientiae, summorum virorum esse, est putandum. *Cicer. 5. de. fin. c. 18*

Ii operose agendo nihil agunt, qui in litterarum inutilium studiis detinentur. Ecce Romanos quoque inuasit studium superuacua discendi. Cuius ista errores minuent? cuius cupiditates prement? quem fortiorem, quem iustiorem, quem liberaliorem facient? *Senec. de breu. c. 13* *ib. c. 14*

Quum gloriaretur quidam, quod multa didicisset; dixit ei Aristippus: *Sicuti non, qui plurima comedunt et exercentur, melius valent, quam qui sumunt necessaria: ita non qui plurima, sed qui vtilia legerunt, studiosi habendi sunt, et eruditi.* *Diog. Laert. in Arist. segm. 71*

3. Anniceris Cyrenaeus magnifice de se sentiebat, ob artem equitandi, et curruum regendorum peritiam. Volens igitur specimen artis Platoni exhibere, iuncto curru multos cursus circumegit in Academia, sic seruans primam orbitam, arenae impressam a rotis currus sui, vt ne tantillum quidem ab ea declinaret. Obstupuere omnes rei miraculo, et aurigam ad coelum laudibus extule- *Aelian. l. 2. c. 27*

extulere. Vni Platoni talis peritia reprehensione potius, quam gloria, digna visa est; dixitque: *Fieri non posse, vt, qui curam impenderet adeo diligentem rebus tam exilibus, et nullius vtilitatis, ea non negligeret, quae essent multo potiora, et vere digna admiratione.*

Quint. l. 2. c. 20 Quaedam superuacua est artis imitatio, quae nihil sane nec boni nec mali habeat, sed vanum laborem. Qualis illius fuit, qui grana ciceris, ex spatio distante missa, in acum continuo et sine frustratione inserebat. Quem quum spectasset Alexander, donasse dicitur eiusdem leguminis modio. Quod quidem praemium fuit illo opere dignissimum.

Mart. 2. Epig. 86 v. 9. f. Turpe est, difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.

De corr. Eloq. c. 29 In vtero matris concipi mihi videntur, histrionalis fauor, et gladiatorum equorum studia. Quibus occupatus et obsessus animus, quantulum loci bonis artibus relinquit!

Seneca Ep. 48 4. Etiamsi multum supereſſet aetatis, parce iam dispensandum esset, vt sufficeret necessariis. Nunc quae dementia est, superuacua discere in tanta temporis egestate?

Ep. 117. Non tam benignum ac liberale tempus natura nobis dedit, vt aliquid ex illo vacet perdere, et vide, quam multa etiam diligentissimis pereant. Aliud valetudo sua cuique abstulit, aliud suorum: aliud necessaria negotia, aliud publica occupauerunt: vitam nobiscum diuidit somnus. Ex hoc tempore tam angusto, et rapido, et

nos

nos auferente, quid iuuat maiorem partem mittere in vanum?

Caput X.

Qui recte viuit, is scientiam vtilem et necessariam est adeptus.

Si quis animum virtuti consecrauit, et quaecumque vocat illa, planum putat: si sociale animal est, et in commune genitus, mundum vt vnam domum spectat, et conscientiam suam diis aperit, semperque tanquam in publico viuit: si sciat, nec malum esse vllum, niſi turpe; nec bonum, niſi honestum: hac regula vitae opera distribuat, ad hanc legem et agat cuncta et exigat: miserrimosque mortalium iudicet, in quantiscunque opibus refulgebunt, ventri ac libidini deditos, quorum animus inerti otio torpet; consummauit scientiam vtilem atque necessariam. Reliqua oblectamenta otii sunt. *Senec. 7. benef. c. 1. ibid. c. 2*

Plus prodest, si pauca praecepta sapientiae teneas, sed illa in promtu tibi et in vsu sint, quam si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum.

Caput XI.

Natura tam docere cupimus, quam discere.

1. Impellimur natura, vt prodesse velimus quam plurimis, inprimisque docendo, rationibusque prudentiae tradendis. Itaque non facile est inuenire, qui, quod sciat ipse, non tradat alteri. Ita non solum *Cicer. 3 de fin. 6. 20.*

ad

ad discendum propensi sumus, verum etiam ad docendum.

Seneca Ep. 6

Cupio, dicebat olim Seneca, scribens ad Lucilium, in te transfundere omnia, quae ad sanandos animi morbos efficacia expertus sum, et in hoc gaudeo aliquid discere, vt doceam: nec me vlla res delectabit, licet eximia sit et salutaris, quam mihi vni sciturus sum. etc. Nullius boni, sine socio, iucunda possessio est. Mittam itaque ipsos tibi libros: et ne multum operae impendas, dum passim profutura sectaris, imponam notas, vt ad ea ipsa protinus, quae probo et miror, accedas. Plus tamen tibi et viua vox et conuictus, quam oratio proderit. Primum quia homines amplius oculis, quam auribus, credunt: deinde quia longum est iter per praecepta, breue et efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expressisset, si eum tantummodo audisset. Vitae eius interfuit, secreta perspexit, obseruauit illum, an ex formula sua viueret. Plato et Aristoteles plus ex moribus, quam ex verbis Socratis traxere.

Polyb. l. 31

Ex commodato librorum vsu, ac sermone de iis habito, fluxit illa studiorum animorumque coniunctio Polybii et Scipionis Aemiliani, cuius fama non Italiam modo ac Graeciam peruasit, sed remotissimas etiam gentes.

Diog. Laert. in Xenoph. segm. 47

2. Xenophontem in angiportu obuium habuit Socrates. Quumque videret adolescentem vultu specioso admodum et verecundo; porrecto baculo, vetuit, ne praeteriret. Vt constitit, interrogauit eum Socrates,

crates, vbinam venderentur, quae essent necessaria variis vsibus ciuium? Ad quae quum expedite respondisset Xenophon; percontatus est, *vbinam boni ac probi homines fierent?* Id vero nescire se, respondente adolescente: *sequere igitur, et disce:* inquit Socrates. Ex eo tempore Xenophon cœpit esse Socratis auditor.

3. Protagoram, virum in studiis doctrinarum egregium, cuius nomen Plato libro suo illi incluto inscripsit, adolescentem aiunt, victus quaerendi gratia, * mercede missum; vecturasque onerum corpore suo factitauisse. Quod genus Graeci βαστάζοντας vocant; Latine *baiulos* appellamus. Is de proximo rure in Abderam oppidum, cuius popularis fuit, caudices ligni plurimos, funiculo breui circumdatos, portabat. Tum forte Democritus, ciuitatis eiusdem ciuis, homo ante alios virtutis et philosophiae gratia venerandus, quum egrederetur extra vrbem, videt eum cum illo genere oneris tam impedito, ac tam incoibili, facile atque expedite incedentem. Et prope accedit, et iunctu ram * posituramque ligni, scite periteque factam, considerat, petitque, vt paullum acquiescat. Quod vbi Protagoras, vti erat petitum, fecit, atque itidem Democritus aceruum illum, et quasi orbem caudicum, breui vinculo compressum *, ratione quadam quasi geometrica librari continerique animaduerit; interrogauit, quis id lignum ita composuisset? Et, quum ille a se compositum dixisset; desiderauit, vt solueret, ac denuo in modum eundem

A. Gell. l. 5. cap. 3.

* *al.* in mercedem

* *al.* vincturam

* *al.* comprehensum

Landesbibliothek Oldenburg

dem collocaret. At postquam ille soluit, ac similiter composuit: tum Democritus, animi aciem, solertiamque hominis, non docti, demiratus: *Mi adolescens*, inquit, *quum ingenium bene faciendi habeas, sunt maiora melioraque, quae facere mecum possis.* Abduxitque eum statim, secumque habuit, et sumtum ministrauit, et philosophias docuit, et esse eum fecit, quantus postea fuit.

Seneca Ep. 108

4. Hoc et docenti, et discenti, debet esse propositum: vt ille prodesse velit, hic proficere. Qui ad Philosophorum scholas venit, quotidie secum aliquid boni ferat: aut sanior domum redeat, aut sanabilior. Aliquid praecipientium vitio peccatur, qui nos docent disputare, non viuere: aliquid discentium, qui propositum afferunt ad praeceptores suos, non animum excolendi, sed ingenium. Haec nobis praecipere Attalum memini, inquit ipse de se Seneca, quum scholam eius obsideremus, et primi veniremus, et nouissimi exiremus.

Valer. l. 6 *c.* 9.

Perditae luxuriae Athenis adolescens Polemo, quum e conuiuio, non post occasum solis, sed post ortum surrexisset, domumque repetens, Xenocratis Philosophi, patentem ianuam vidisset, vino grauis, vnguentis delibutus, sertis capite redimito, pellucida veste amictus, refertam turba doctorum hominum scholam eius intrauit, nec contentus tam deformi introitu, consedit etiam, vt clarissimum eloquium, et prudentissima praecepta temulentiae lasciuiis eluderet. Orta deinde, vt par erat, omnium indignatione, Xenocrates vultum in eodem habitu continuit, omissaque re,

re, quam differebat, de modestia ac temperantia loqui coepit. Cuius grauitate sermonis resipiscere coactus Polemo, primum coronam, capite detractam, proiecit, paullo post brachium intra pallium reduxit, procedente tempore oris conuiualis hilaritatem deposuit, ad vltimum totam luxuriam exuit; vniusque orationis saluberrima medicina sanatus, ex infami ganeone maximus philosophus euasit. Peregrinatus est huius animus in nequitia, non habitauit.

Caput XII.

Stultum est, ea docere ceteros, quae ipse expertus non es.

Quum Hannibal, Carthagine expulsus, Epheſum ad Antiochum venisset exsul: proque eo, quod eius nomen erat magna apud omnes gloria, inuitatus esset ab hospitibus suis, vt Phormionem, Peripateticum, si vellet, audiret: quumque se non nolle dixisset; locutus esse dicitur homo copiosus aliquot horas de Imperatoris officio, et de omni re militari. Tum, quum ceteri, qui illum audierant, vehementer essent delectati, quaerebant ab Hannibale, quidnam ipse de illo philosopho iudicaret? Hic Pœnus, non optime Graece, sed tamen libere respondisse fertur: *Multos se deliros senes saepe vidisse, sed qui magis, quam Phormio, deliraret, vidisse neminem.* Neque mehercule iniuria. Quid enim aut arrogantius, aut loquacius fieri potuit, quam Hannibali, qui tot annos de imperio cum populo Romano, omnium gentium victore, certasset, Graecum hominem

Cic. 2. de Orat. c. 18

nem, qui nunquam hostem, nunquam castra vidisset, nunquam denique minimam partem vllius publici muneris attigisset, praecepta de re militari dare? Hoc mihi facere omnes isti, qui de arte dicendi praecipiunt, videntur. Quod enim ipsi exper- non sunt, id docent ceteros.

Caput XIII.

Etiam seni discere decorum est.

Cicer. de Senect. c. 8. Valer. l. 8. cap. 7.

1. Gloriabatur Solon, se aliquid quotidie addiscentem, senem fieri. Quod et supremo vitae die confirmauit, quod adsidentibus amicis, et quadam de re sermonem inter se conferentibus, satis iam pressum caput erexit, interrogatusque, quapropter id feciisset? respondit: *Vt quum istud, quidquid est, de quo disputatis, percepero, moriar.*

Cic. l. c. Val. l. c.

Cato, maior, graecas litteras senex didicit: quas quidem sic auide arripuit, quasi diuturnam sitim explere cupiens.

Cic. l. c. cap. 7.

Sophocles ad summam senectutem tragoedias fecit. Quod propter studium, quum rem familiarem negligere videretur, a filiis in iudicium vocatus est, vt quemadmodum nostro more male rem gerentibus patribus, bonis interdici solet: sic illum, quasi desipientem, a re familiari remouerent iudices. Tum senex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat, et proxime scripserat, Oedipum Coloneum recitasse iudicibus, quaesisseque, num illud carmen hominis desipientis esse videretur? Quo recitato, sententiis iudicum est liberatus.

Dio-

Diogenem admonebat quidam, vt iam senex quieſceret a laboribus. Cui ille: *Quid?* inquit, *ſi in ſtadio currerem, oporteretne me iam vicinum metae, curſum remittere? an non potius intendere?* *Ex Eraſm. Apophth.*

2. Senecam, aetate prouectum, non pudebat ire ad Philoſophos, vt ipſe refert his verbis: Philoſophum audio, et quidem quintum iam diem habeo, ex quo in ſcholam eo, et ab octaua diſputantem audio. Quid ergo, inquis, idem facies, quod iuuenes? Bene mecum agitur, ſi hoc vnum ſenectutem meam dedecet. In theatrum ſenex ibo, ad Philoſophum ire erubeſcam? Quid ſtultius, quam non diſcere, quia diu non didiceris? Tamdiu diſcendum eſt, quamdiu neſcias: et tamdiu diſcendum eſt, quemadmodum viuas, quamdiu viuis. *Senec. Ep. 76.*

Pudet autem me generis humani. Mihi Metronactis domum petenti tranſeundum eſt praeter theatrum. Illud quidem, factum eſt: et hoc ingenti ſtudio, quis ſit pithaules bonus, iudicatur. At in illo loco, in quo vir bonus diſcitur, pauciſſimi ſedent: et hi plerisque videntur nihil boni negotii habere, quod agant: inepti et inertes vocantur. Mihi contingat iſte deriſus. Aequo animo audienda ſunt imperitorum conuicia: et ad honeſta vadenti contemnendus eſt iſte contemtus.

Cur neſcire, pudens praue, quam diſcere, malo? *Horat. A. P. v. 88.*

Turpe eſt, quempiam multos annos continenter laborare atque exerceri, vt vel bonus Grammaticus, vel Rhetor, vel Geome- *Galenus de adfect. curand.*

tra, vel Medicus fiat: vt autem vir bonus euadat, nunquam quidquam laboris in tanto temporis spatio insumere.

Philostr. l. 7. 3. M. Aurelius, Imperator, in sapientiae studia incumbebat apud Sextum Philosophum, ad eius aedes propterea ventitans. E regia aliquando egredientem rogauit Lucius Philosophus, qui modo Romam aduenerat, quo pergeret, et ad quod negotium? Tum Marcus: *Seni etiam* inquit, *discere, decorum est. Itaque ad Sextum Philosophum eo, vt sciam, quae nondum scio.* Lucius, manibus in caelum sublatis, exclamauit: O *Iupiter! Romanorum Imperator iam senescens, tabellis e zona suspensis, ad ludimagistrum pergit, puerorum instar!*

Caput XIIII.

Honos doctis habitus.

Plin. l. 7. c. 30. 1. Platoni, sapientiae antistiti, Dionysius tyrannus, alias saeuitiae superbiaeque natus, vittatam nauem misit obuiam: Ipse quadrigis albis egredientem in litore excepit.

Consule aedes aliquas ingressuro, earum fores virga a lictore percutiebantur, monendi caussa, adesse consulem: nisi aedes essent eius hominis, cui habendus ab ipso magistratu honos videretur. Itaque Cn. Pompeius, confecto Mithridatico bello, intraturus Posidonii, sapientiae professione clari, domum, fores percuti de more a lictore vetuit: et fasces lictorios ianuae submisit is, cui se Oriens Occidensque submiserat.

Ibid.

Nun-

Nunquamne legisti, Gaditanum quendam, Titi Liuii nomine gloriaque commotum, ad visendum eum ab vltimo terrarum orbe venisse, statimque, vt viderat, abiisse? *Plin. l. 2. Ep. 3.*

2. Alexander Magnus Pindari, vatis, familiae penatibusque iussit parci, quum Thebas caperet. Inter spolia Darii, Persarum regis, vnguentorum scrinio capto, quod erat auro, gemmisque ac margaritis pretiosum; varios eius vsus amicis demonstrantibus, (quando taedebat vnguenti bellatorem et militia sordidum:) *Immo hercule*, inquit, *librorum Homeri custodiae detur:* vt pretiosissimum humani animi opus quam maxime diuiti opere seruaretur. Praedicabat, hunc poëtam complexum esse omnia bellandi ac regnandi praecepta; eumque tanto amore atque honore prosecutus est, vt Homeri amator cognominaretur. Interrogante aliquando Philippo patre, cur tantopere hoc vno poëta delectaretur, ceteros vero negligeret? *Ideo*, inquit, *pater, quod non quaeuis poësis regem decere mihi videtur, sicut nec quoduis vestimentum. Vnius Homeri ingenua est, et magnifica, et vere regia.* Itaque Homeri libros secum inter bella ferre solitus erat; et, quum quiesceret, eos vna cum pugione sub puluino, cui incumbebat, reponere; *militiae viaticum et bellicae virtutis institutionem appellans.* Quum quidam prospere gestae rei nuntius citato cursu accederet, vultu *Aelian. l. 13. c. 7. Plin. l. 7. c. 29. Dio Chrys. or. 2. Plut. in Alex. T. I. p. 668. Idem de prosec. virtut. T. II. p. 58*

vultu ingentem laetitiam praeferens? *Quid mihi nuntiaturus es*, inquit, *tanto gaudio dignum? nisi forsan Homerus renixit.*

Aelian. l. 13. c. 38. 3. Alcibiades quoque Homerum magno in pretio habuit. Itaque quum forte in scholam puerorum venisset, Homerum sibi petiit exhiberi. Quum vero ludimagister se nihil Homeri habere respondisset; colaphum ei durum inflixit, et abiit, *imperitum*, dicens, *et qui tales redderet pueros.*

Vitruu. praef. l. 7. Quum Zoilus, qui Homeromastix, id est, Homeri flagellum, est vocatus, Alexandriam venisset, suaque scripta, contra Iliadem et Odysseam comparata, Ptolomaeo Philadelpho recitasset; animaduertens rex, Poëtarum parentem, philologiaeque omnis ducem absentem vexari, et cuius ab cunctis gentibus scripta susciperentur, ab eo vituperari: indignatus, nullum ei dedit responsum. Zoilus autem, quum diutius in regno fuisset inopia pressus, summisit ad regem, postulans, vt aliquid sibi tribueretur. Rex vero respondisse dicitur: *Homerum, qui ante annos mille decessisset, aeuo perpetuo multa millia hominum pascere: idem debere, qui meliore ingenio se profiteretur, non modo se vnum, sed etiam plures alere posse.*

Cicer. pro Arch. c. 10 4. Sulla, quum Hispanos et Gallos donaret, credo, hunc petentem repudiasset: quem nos in concione vidimus, quum ei libellum malus poëta de populo subiecisset, quod epigramma in eum feciisset tantummodo alternis versibus longiusculis, statim

ſtatim ex iis rebus, quas tunc vendebat, iubere ei praemium tribui, ſub ea conditione, *ne quid poſtea ſcriberet.* Qui ſedulitatem mali poëtae duxerit aliquo tamen praemio dignam, cuius ingenium, et virtutem in ſcribendo, et copiam non expetiiſſet? Iulius Caeſar, liberalium artium doctores, et medicinam Romae profeſſos, quo libentius et ipſi vrbem incolerent, et ceteri appeterent, ciuitate donauit. Optime ille quidem: ſolet quippe eo labor impendi, vnde emolumentum atque honos ſperatur. At ſublatis ſtudiorum praemiis, etiam ſtudia pereunt. *Sueton. in Caeſ. c. 42.* *Liu. l. 4. c. 35. Tacit. an. 11. c. 7.*

5. Memoriae mandatum eſt, Platonem Philoſophum tenui admodum pecunia familiari fuiſſe; atque eum tamen tres Philolai Pythagorici libros decem millibus denarium mercatum. Id ei pretium donaſſe quidam ſcripſerunt amicum eius Dionem Syracuſanum. Ariſtotelem quoque traditum libros pauculos Speuſippi Philoſophi, poſt mortem eius, emiſſe talentis Atticis tribus. Viginti talentis vnam orationem Iſocrates vendidit. Dicitur Octauia, quum Virgilium audiuiſſet recitantem illos de filio ſuo verſus, *Tu Marcellus eris*, etc. deliquium animi paſſa eſſe; deinde, recepto animo, Virgilio dari iuſſiſſe pro ſingulis verſibus dena ſeſtertia. *A. Gell. l. 3. c. 7.* *Plin. l. 7. c. 30.* *Auctor vitae Virgil.*

6. Nobilibus Athletis, qui Olympia, Pythia, Iſthmia, Nemea viciſſent, Graecorum maiores ita magnos honores conſtituerunt, vti non modo in conuentu ſtantes cum palma et corona ferant laudes, ſed etiam, quum reuertantur in ſuas ciuitates cum victoria, *Vitruu. lib. 9. praefat.*

triumphantes quadrigis in moenia, et in patrias inuehantur, reque publica perpetua vita constitutis vectigalibus fruantur. Quum ergo id animaduertam, inquit Vitruuius, admiror, quid ita non scriptoribus iidem honores, etiamque maiores sint tributi, qui infinitas vtilitates aequo perpetuo omnibus gentibus praestant. Id enim magis erat iustitia dignum, quod Athletae sua corpora exercitationibus efficiunt fortiora; scriptores non solum suos sensus perficiunt, sed etiam omnium libris ad discendum et animos exacuendos praeparantes praecepta. Quid enim Milo Crotoniates, quod fuit inuictus, prodest hominibus, aut ceteri, qui eo genere fuerunt victores? Pythagorae vero praecepta, Democriti, Platonis, Aristotelis, ceterorumque sapientum, omnibus gentibus recentes et floridos edunt fructus, e quibus, qui a teneris aetatibus doctrinarum abundantia satiantur, optimos habent sapientiae sensus, instituuntque ciuitatibus humanitatis mores, aequa iura, leges: quibus absentibus, nulla potest esse ciuitas incolumis. Quum ergo tanta munera a scriptorum prudentia priuatim publiceque fuerint hominibus praeparata; non solum arbitror palmas et coronas his tribui oportere, sed etiam decerni triumphos, et inter deorum sedes eas dedicandas iudicari.

Seneca Ep. 64. Animi remedia inuenta sunt ab antiquis Philosophis. Suspiciendi propterea sunt, et ritu deorum colendi. Quam venerationem praeceptoribus meis debeo, eandem illis

illis praeceptoribus generis humani, a quibus tanti boni initia fluxerunt. Si consulem videro aut praetorem, omnia, quibus honor haberi solet, faciam, equo desiliam, caput adaperiam, semita cedam. Quid ergo? Marcum Catonem vtrumque, et Laelium Sapientem, et Socratem cum Platone, et Zenonem, Cleanthemque, in animum meum sine dignatione summa recipiam? Ego vero illos veneror, et tantis nominibus semper adsurgo.

Caput XV.

Modestia coniuncta cum doctrina.

Dicebat doctissimus, idemque sapientissimus Socrates: *Scire se nihil, praeter hoc ipsum, quod nihil sciret.* *Diog. Laert. in Socrat. segm. 38. Aelian. V. H. l. 4. c. 9.*

Quum venisset Plato ad ludos Olympicos, frequentissimum omnium in Graecia conuentuum; Olympiae contubernium iniit cum ignotis hominibus, ignotus iis et ipse. Ita vero eos cepit, ac sibi deuinxit, tum morum suauitate, tum sermonibus ab omni affectatione sapientiae alienis, vt peregrini illi plurimum gauderent fortuito talis viri contubernio ac conuictu. Neque vero Academiae aut Socratis mentionem vllam fecit. Hoc solum illis declarauit, se Platonem appellari. Quum peractis ludis Athenas venissent, perhumaniter eos excepit. Tum hospites: *Age*, inquiunt, *monstra nobis illum tibi cognominem Socratis discipulum, cuius magna vbique fama est. Duc nos in Academiam, et siste viro, vt aliquem ex eius quoque colloquio fructum colligamus.* At ille le-

niter subridens, quemadmodum solebat: *Ego vero*, inquit, *ille ipse sum*. Obstupuere illi, quod socium tamdiu habuissent tantum virum, ignorantes: intellexeruntque, posse eum sibi conciliare animos eorum, quibuscum ageret, etiam sine consuetis illis de philosophia sermonibus.

Cicer. 2. Offic. c. 14. Magna est admiratio copiose sapienterque dicentis: quem qui audiunt, intelligere etiam, et sapere plus, quam ceteros, arbitrantur. Si vero inest in oratione mista modestiae grauitas, nihil admirabilius fieri potest: eoque magis, si ea sunt in adolescente.

Caput XVI.

Non refert, quam multos, sed quam bonos libros habeas ac legas.

Senec. Ep. 84. 1. Est lectio necessaria: alit enim ingenium; et studio fatigatum, non sine studio tamen, reficit. Nec scribere tantum, nec tantum legere debemus: inuicem hoc illo commutandum est, et alterum altero temperandum, vt quidquid lectione collectum est, stilus redigat in corpus. Apes debemus imitari, quae vagantur, et flores ad mel faciendum idoneos carpunt: deinde quidquid attulere, disponunt, ac per fauos digerunt.

Alimenta, quum ex eo, quod erant, mutata sunt, tunc demum in vires et sanguinem transeunt. Idem in his, quibus aluntur ingenia, praestemus. Concoquamus illa.

2. Le-

2. Lectio multorum auctorum, et omnis generis voluminum, habet aliquid vagum et instabile. Certis ingeniis immorari, et innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Lectio certa prodest, varia delectat. Qui, quo destinauit, peruenire vult, vnam sequatur viam, non per multas vagetur. *Ep. 2. et 4.*

Librorum inopiam quereris. Non refert, quam multos, sed quam bonos habeas. Distrahit animum librorum multitudo. Modo, inquis, hunc librum euoluere volo, modo illum. Fastidientis stomachi est, multa degustare: quae vbi varia et diuersa sunt, inquinant, non alunt. Probatos itaque semper lege: et si quando ad alios diuertere libuerit, ad priores redi. Aliquid quotidie auxilii aduersus varias animi pestes compara: et quum multa percurreris, vnum excerpe, quod illo die concoquas. Hoc ipse quoque facio.

Plinius maior, libros legens, adnotabat, excerpebatque. Nihil enim legit, quod non excerperet. Dicere etiam solebat, *nullum esse librum tam malum, vt non aliqua parte prodesset.* *Plin. 3. Epist. 5.*

3. Tenerae mentes, non modo quae diserta, sed vel magis, quae honesta sunt, discant. Itaque non auctores modo, sed etiam partes operis elegeris. Nam et Graeci licenter multa: et Horatium in quibusdam nolim interpretari. *Quinct. l. 1. c. 8.*

Lacedaemonii libros Archilochi (poëtae) e ciuitate sua exportari iusserunt, quod eorum *Valer. l. 6 c. 3.*

parum verecundam ac pudicam lectionem arbitrabantur. Noluerunt enim ea liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quam ingeniis prodesset. Itaque maximum poëtam, aut certe summo proximum, quia domum, sibi inuisam, obscoenis maledictis lacerauerat, carminum exsilio multarunt.

Caput XVII.

Bibliotheca ad publicum et priuatum vsum comparetur, non ad ostentationem.

Diodor. l. 1. 1. Antiquissima, cuius ad nos memoria venerit, Bibliotheca, ea est, quam exstruxit apud Aegyptios rex Osymandias, et cuius in fronte inscripta erant haec verba: ψυχῆς ἰατρεῖον, hoc est, medica animae officina.

A. Gell. l. 6. cap. 17. Libros Athenis disciplinarum liberalium publice ad legendum praebendos primus posuisse dicitur Pisistratus tyrannus. Deinde studiosius accuratiusque ipsi Athenienses auxerunt. Sed omnem illam postea librorum copiam Xerxes, Athenarum potitus, vrbe ipsa praeter arcem incensa abstulit, asportauitque in Persas. Hos porro libros vniuersos multis post tempestatibus Seleucus rex, qui Nicanor appellatus est, referendos Athenas curauit.

Gell. l. c. Ingens postea numerus librorum in Aegypto a Ptolomaeis regibus vel conquisitus

tus, vel confectus est, ad millia ferme voluminum septingenta. Sed ea omnia (aut saltem quadringenta millia, auctore Seneca) bello priore Alexandrino, dum diripitur ea ciuitas, non sponte, neque opera consulta, sed a militibus forte auxiliariis incensa sunt. *Lib. de tranquill. c. 9.*

Bibliothecam Aegyptiacam instruxerat Ptolomaeus Philadelphus, tum profanis libris, tum etiam sacris, petitis e Iudaea. Nam quum eius aures fama Hebraeae sapientiae tetigissent; misit Eleazaro, Iudaeorum summo Pontifici, dona multa, et epistolam, qua orabat, vt diuinos libros ad se mittendos curaret cum idoneis hominibus, a quibus in linguam Graecam ex Hebraea verterentur. Vt regis votis ac precibus satis faceret Eleazarus, misit selectos e singulis tribubus senos viros seniores, vtriusque linguae peritissimos; a quibus facta est illa celeberrima sacrorum librorum interpretatio, quae septuaginta interpretum vocatur. Praeerat autem Ptolomaei Bibliothecae vir factis et scriptis illustris, Demetrius Phalereus, quem Athenis pulsum rex benigne exceperat. *Ioseph. l. 13. cap. 2.*

2. Romam primus librorum copiam adduexit Aemilius Paullus, Perseo Macedonum deuicto rege, cuius thesauros ne adspicere quidem dignatus est: libros vero filiis suis, quia erant litterarum studiosissimi, asportandos permisit. Deinde Lucullus e Pontica praeda plures congessit. Nam reges Attalici philologiae dulcedinibus inducti, egregiam *Isidor. l. VI. Plut. in Aemil. T. I. p. 270. Vitruu. l. 7. in praef.*

Bibliothecam ad communem vtilitatem et delectationem Pergami instituerant.

Plut. in Lucul. T. I. p. 519. Laudanda est Luculli impensa et studium in libris. Nam et multos, et optimos, conquisiuit, eosque liberaliter dedit vtendos. Patebat omnibus Bibliotheca, et in porticus ei adiectas, velut ad Musarum aedem, veniebant maxime Graeci, tempusque ibi iucunde inter se traducebant, ab aliis curis liberi. Saepe cum iis versabatur Lucullus, et inter magnam doctorum virorum turbam ambulabat.

Cic. 3. de fin. c. 2. In Tusculano quum essem, inquit Cicero, vellemque e Bibliotheca pueri Luculli quibusdam libris vti; veni in eius villam, vt eos ipse, sicut solebam, inde promerem. Quo quum veniissem, M. Catonem, quem ibi esse nescieram, vidi in Bibliotheca sedentem multis circumfusum Stoicorum libris. Erat enim in eo inexhausta auiditas legendi, nec satiari poterat: quippe qui ne reprehensionem quidem vulgi inanem reformidans, in ipsa curia soleret legere saepe, dum Senatus cogeretur, nihil operae reipublicae detrahens, quo magis tum in summo otio, maximaque copia, quasi heluari libris, si hoc verbo in tam clara re vtendum est, videbatur. Tum ego Catoni: *Certe, Cato, totam hanc copiam iam Lucullo nostro notam esse oportebit. Nam his libris eum malo, quam reliquo ornatu villae, delectari. Aetatem quidem video: sed infici tamen iam debet iis artibus, quas si, dum est tener, combiberit, ad maiora veniet paratior.*

3. Quam studiosus comparandae ornandaeque

que Bibliothecae ipse Cicero fuerit, patet ex multis eius epistolis ad Atticum.

Tu, velim, des operam, vt quam primum habeamus ea, quae te nobis emisse, et parasse scribis: et cogites, quemadmodum Bibliothecam nobis conficere possis. Omnem spem delectationis nostrae, quam, quum in otium venerimus, habere volumus, in tua humanitate positam habemus. Ego quotidie magis, si quid mihi e forensi labore temporis datur, in litteris conquiesco. Summum me librorum studium tenet, sicut odium iam ceterarum rerum. Bibliothecam tuam caue cuiquam despondeas, quamuis acrem amatorem inueneris. Nam ego omnes meas vindemiolas eo reseruo, vt illud subsidium senectuti parem. Noli desperare, fore, vt libros tuos facere possim meos. Quod si adsequor, supero Crassum diuitiis, atque omnium agros, lucos, prata contemno. *Lib.* 1. *Ep.* 7. *ib. Ep.* 11 *ib. Ep.* 10 *ibid. Ep.* 4.

2. Comparandorum librorum impensa liberalissima est. At in ea habendus modus. Quo mihi innumerabiles libros, et Bibliothecas, quarum dominus vix tota vita sua indices perlegit? Onerat discentem turba, non instruit; multoque satius est, paucis te auctoribus tradere, quam errare per multos. Nunc plerisque litterarum ignaris, libri non studiorum instrumenta sunt, sed aedium ornamenta. Paretur itaque librorum quantum satis sit, nihil in apparatum. Honestius, inquis, in hos impensas, quam in Corinthia, pictasque tabulas effuderim. Vitiosum est vbique, quod nimium est. Quid habes, cur *Senec. de Tranq. c.* 9

minus ignoscas nomen marmore atque ebore captanti, quam opera conquirenti aut ignotorum auctorum, aut improbatorum, et inter tot millia librorum oscitanti, cui voluminum suorum frontes maxime placent titulique? Apud desidiosissimos ergo videbis, quidquid orationum historiarumque est, et tecto tenus exstructa loculamenta. Sicque sacrorum opera ingeniorum in speciem et cultum parietum comparantur.

Indoctum gloriantem bibliotheca, ridet Ausonius hoc epigrammate:

Epig. 43. Emtis quod libris tibi bibliotheca referta est,
Doctum, et Grammaticum te, Philomuse, putas?
Hoc genere et chordas, et plectra, et barbita conde:
Mercator hodie, cras citharœdus eris.

Caput XVIII

Memoria augetur cura, negligentia intercidit.

Quinctil. l. 11. *c.* 2. 1. Omnis disciplina memoria constat, frustraque docemur, si, quidquid audimus, praeterfluat. Quidam eam naturae modo munus esse existimauerunt: sed ipsa excolendo, sicut alia omnia, augetur. Nihil aeque vel augetur cura, vel negligentia intercidit, quam memoria.

Ibid. Maxima et vna memoriae augendae ars exercitatio est, et labor. Quare pueri, quorum tenacissima memoria est, statim quam plurima ediscant: et quaecunque aetas opeam

ram iuuandae ſtudio memoriae dabit, deuoret initio taedium illud ſcripta et lecta ſaepius reuoluendi, et quaſi eundem cibum remandendi. Quod ipſum hoc fieri poteſt leuius, ſi pauca primum, et quae taedium non afferant, cœperimus ediſcere; tum quotidie adiicere ſingulos verſus, quorum acceſſio labori ſenſum incrementi non adferat.

2. Quantum natura ſtudioque valeat memoria, vel Themiſtocles teſtis eſt, quem vnum intra annum optime locutum eſſe Perſice conſtat: vel Mithridates, cui notae fuerunt duae et viginti linguae earum, quibus imperabat, nationum; vel Craſſus ille diues, qui, quum Aſiae praeeſſet, ſic tenuit quinque Graeci ſermonis differentias, vt ius cuique redderet eadem lingua, qua quisque poſtulaſſet: vel Cyrus denique, quem omnium militum tenuiſſe nomina traditum eſt. Quin etiam dicitur Theodectes protinus reddidiſſe ſemel auditos quamlibet multos verſus.

Memoriam in Themiſtocle fuiſſe ferunt ſingularem, ita, vt quaecunque audierat, aut viderat, haererent animo. Itaque quum Simonides, aut quis alius, ei artem memoriae polliceretur, quae tum primum proferebatur: *Obliuionis*, inquit, *mallem. Nam memini etiam, quae nolo: obliuiſci non poſſum, quae volo.* *Cic. 4. Academ. c. 1. et 2. fin. c. 32.*

Etiam obliuiſci, quod ſcis, interdum expedit. *P. Syrus v. 112.*

3. Seneca, rhetor, hoc ſcriptum reliquit de ſua memoria. Quum multa mihi ex me deſideranda ſenectus fecerit, oculorum aciem retu- *1. lib. controu. proœ.*

retuderit, aurium sensum hebetauerit, neruorum firmitatem fatigauerit, in memoriam maxime incurrit. Hanc aliquando in me floruisse, vt non tantum ad vsum sufficeret, sed in miraculum vsque procederet, non nego. Nam et duo millia nominum recitata, quo ordine erant dicta, reddebam, et ab his, qui ad audiendum praeceptorem nostrum conuenerant, singulos versus a singulis datos, quum plures, quam ducenti efficerentur, ab vltimo incipiens, vsque ad primum, recitabam. Nec ad complectenda tantum, quae vellem, velox erat mihi memoria, sed etiam ad continenda, quae acceperat. Itaque quaecumque apud illam aut puer, aut iuuenis deposui, quasi recentia et modo audita sine cunctatione profert. Imminuta tamen est et aetate, et longa desidia, quae iuuenilem quoque animum dissoluit. Nam si qua illi intra proximos annos commisi, sic perdidit et amisit, vt, etiamsi saepius ingerantur, toties tanquam noua audiam.

Ibid. Hortensius in auctione persedit diem totum: et omnes res, et pretia, et emtores, ordine suo, argentariis recognoscentibus, ita vt in nullo falleretur, recensuit.

Quidam recitatum a poëta carmen nouum, suum esse dixit, et protinus memoria recitauit: quum hoc ille, cuius carmen erat, facere non posset.

* * *
* * *

LIBER

LIBER TERTIVS
DE IVSTITIA

CAPVT I.

Iustitia omnium regina virtutum.

Iustitia est vna virtus, omnium domina et regina virtutum: in ea est virtutis splendor maximus: ex qua boni viri nominantur. At, vnum Aristidem a Graecis cognominatum fuisse Iustum, accepimus. *Cic. 3. Offic. 6. 1. Off. c. 7. l. 3. c. 4. Corn. Nep. et Plut. in Aristide*

Hic Athenis natus, a pueritia firmo constantique animo fuit, nunquam ab eo, quod iustum videbatur, discedens, et nullam fraudem, nullumque mendacium admittens, ne ioco quidem et in ludo.

Vbi ad rempublicam accessit, non potentium amicorum praesidio niti voluit, sed consiliis factisque vtilibus et iustis. Non animum inflabant secundae res, non frangebant aduersae. Id se patriae debere existimabat, vt ei prodesset, sine vllo pecuniae aut honorum praemio.

Quum aliquando, eo praesente, pronuntiarentur in theatro versus e tragoedia Aeschyli de Amphiarao, qui dicebatur, *non velle videri iustus, sed esse:* omnes conuerterunt in eum oculos, tanquam ad quem haec laus pertineret, eumque cognominauerunt Iustum. Quod cognomen vt nouum erat, et omnium amplissimum, ita Aristidi inuidiam conflauit et Themistoclis aemuli, et concitatae

C. Nepos in Chabr. c. 3.

tatae ab illo multitudinis. Est enim hoc commune vitium in magnis liberisque ciuitatibus, vt inuidia gloriae comes sit: et libenter de his detrahant, quos eminere videant altius. Itaque multatus est decem annorum exsilio, quod ostracismum vocabant.

C. Nepos et Plut. in Arist.

Eo tempore, quo congregatus populus de eiiciendo Aristide ferebat suffragium, testulis pro more inscriptum, dicitur illitteratus quidam, et plane rudis, tradidisse Aristidi ipsi, vt vni e populo, testulam, petiisseque, vt inscriberet Aristidem. Admirante eo, et rogante, num aliquid in illum peccasset Aristides? *Se ignorare*, inquit, *Aristidem: sed sibi non placere, quod cupide elaborasset, vt praeter ceteros Iustus appellaretur.* Aristidem ferunt nihil respondisse, sed inscripsisse testulae nomen suum, hominique reddidisse.

Vrbe excedens, vt in exsilium iret, supinas manus tetendit in caelum, deosque orauit: *Ne vllum tempus populo Athienſi incideret, quo Aristidis reminiſci necesse esset.* Tertio post anno reuocatus in patriam, immemor acceptae iniuriae vtilem operam praebuit ciuibus in bello, et pace, per annos multos. Illius abstinentiae a pecunia nullum est certius indicium, quam quod, quum exercitibus et aerario praefuisset, in tanta paupertate decessit, vt vix reliquerit, quo efferretur. Vnde factum est, vt filiae eius publice alerentur, et e communi aerario dotibus datis collocarentur.

CAPVT

CAPVT II.

Hominem iustum esse gratis oportet.

1. Te iustum esse gratis oportet: et nullum iustae actionis praemium maius est, quam iustum esse. Nihil ad rem pertinet, quam multi aequitatem tuam nouerint. Qui virtutem suam praedicari vult, non virtuti laborat, sed gloriae. Non vis esse iustus sine gloria? At, mehercules, saepe iustus esse debebis cum infamia: et tunc, si sapis, mala opinio bene parta te delectat. Nemo mihi videtur pluris aestimare virtutem, nemo illi magis esse deuotus, quam qui boni viri famam perdidit, ne conscientiam perderet. *Senec. Ep. 113.* *Ep. 81.*

M. Cato, genitus proauo Marco Catone, principe illo familiae Porciae, nunquam recte fecit, vt facere videretur, sed quia aliter facere non poterat: eique id solum visum est rationem habere, quod haberet iustitiam. Esse, quam videri, bonus malebat. Ita, quo minus gloriam petebat, eo magis adsequebatur. *Velleius Paterc. l. 2. c. 35.* *Sallust. Catilin. c. 54.*

2. Inueniuntur, qui honesta in mercedem colant, et quibus non placet virtus gratuita. Quae nihil habet in se magnificum, si quidquam habet venale. Quid enim est turpius, quam aliquem computare, quanti vir bonus sit? Calcatis vtilitatibus ad virtutem eundum est, quocunque vocauit, quocunque misit, sine respectu rei familiaris. Interdum etiam sine vlla sanguinis sui parsimonia vadendum; nec vnquam imperium eius detrectandum. Quid consequar, inquis, *Senec. 4. benef. c. 1.*

quis, si hoc fortiter, si hoc grate fecero? Quod feceris. Rerum honestarum pretium in ipsis
Cicer. 1. de leg. c. 14. est. Si non ipso honesto mouemur, vt boni viri simus, sed vtilitate aliqua atque fructu; callidi sumus, non boni.

Ib. c. 18. Iniustissimum est, iustitiae mercedem quaerere. Reliquae quoque virtutes per se colendae sunt, et in iis sequi officium debemus, non fructum. Vt enim quisque maxime ad suum commodum refert, quae cunque agit, ita minime est vir bonus. Verum, vt olim querebatur Ouidius:

I. 2. de Ponto Epist. 3. v. 11. sqq.

Non facile inuenias multis e millibus vnum,
Virtutem pretium qui putet esse sui.
Ipse decor recti, facti si praemia desint,
Non mouet, et gratis poenitet esse probum.
Nil, nisi quod prodest, carum est. - - -

Caput III.

Cie. 2. Off. c. 12. ## *Omni ratione colenda et retinenda iustitia est.*

1. Quanquam omnis virtus nos ad se alliciat, faciatque, vt eos diligamus, in quibus
Cic. 1. Offic. c. 17. 2. Offic. c. 9 ipsa inesse videatur: tamen iustitia et liberalitas id maxime efficit.

Iustis et fidis hominibus, id est, bonis, ita fides habetur, vt nulla sit in his fraudis, iniuriaeque suspicio. Itaque his salutem nostram, his fortunas, his liberos,
cap. 12. rectissime committi, arbitramur. Mihi quidem videntur bene morati reges olim fuisse constituti ab hominibus iustitiae fruendae

endae cauſſa. Nam quum premeretur inops multitudo ab iis, qui maiores opes habebant: ad vnum aliquem confugiebant, virtute praeſtantem: qui quum prohiberet iniuria tenuiores, aequitate conſtituenda ſummos cum infimis pari iure retinebat. Eademque conſtituendarum legum fuit cauſſa, quae regum. Inuentae enim leges ſunt, quae cum omnibus ſemper vna, atque eadem voce loquerentur.

2. Laudabat Ageſilaus, Lacedaemoniorum rex, iuſtitiam, vt virtutum omnium principem, affirmabatque nullum eſſe fortitudini locum ſine iuſtitia. Quum ei dicerent quidam, a magno rege Perſarum aliquid imperari: *An*, inquit, *ille maior Agiſilao eſt, ſi non ſit iuſtior?* Recte quidem ſentiens, magnitudinem eſſe metiendam iuſtitia, quaſi regia regula. *Plut. in Ageſil. T. I. p. 608.*

Dicente quodam coram rege Antigono, *regibus omnia honeſta et iuſta eſſe*; ſubiecit rex: *Omnino, barbarorum quidem regibus: nobis vero ſola honeſta pro honeſtis, ſola iuſta pro iuſtis, habenda ſunt.* *Plut. Apophth. T. I. p. 182.*

Quum Traianus Praefecto militum praetorianorum gladium daret, quo is cingendus erat ad cuſtodiam Imperatoris: educto eo e vagina, et in altum ſublato: *Accipe*, inquit, *gladium hunc, vt eo, ſi iuſte imperem, pro me vtaris: ſin male, contra me. Quoniam moderatorem omnium peccare minus fas eſt, quam ceteros.* *Dio l. 78.* *A. Vict.*

3. Aethiopes pietatem et iuſtitiam maxime colebant. Aedibus eorum nullae erant fores: *Nicol. Damaſc.*

fores: quumque in viis publicis multa iacerent, nemo quidquam eorum ſurripiebat. Celtae quoque fores aedium nunquam occluſas habebant.

Plut. Apophth. Lacon. T. II. p. 224.

Interrogatus Leon, rex Lacedaemoniorum, in qua vrbe quis maxime tutus eſſet? *Vbi*, inquit, *iuſtitia polleat, et iniuſtitia iaceat.*

Iuſtinian.

4. Iuſtitia eſt conſtans et perpetua voluntas, ius ſuum vnicuique tribuendi. Itaque

Plut. Apophth. Lacon. T. II. p. 211.

quum coram Agide, Lacedaemoniorum rege, laudarentur Elei, quod in Olympicis certaminibus iuſti iudices eſſent: *Quid praeclarii eſt*, inquit, *quod toto quinquennio per vniuerſum diem iuſtitia funguntur?*

Cicer. 2. Offic. c. 11.

5. Nemo iuſtus eſſe poteſt, qui mortem, qui dolorem, qui exſilium, qui egeſtatem timet, aut qui ea, quae his ſunt contraria, aequitati anteponit.

Plut. Apophth. Lacon. T. II. p. 222.

Quo tempore Callicratidas, Lacedaemoniorum claſſi praefectus, pecunia maxime indigebat ad annonam nautis comparandam; acceſſere ad eum quidam amici Lyſandri, et, oblatis talentis quinquaginta, poſtulauerunt vnum quendam ex inimicis ſibi condonari necandum. Quos ille, quia aequitatem pecuniae anteponebat, valere iuſſit. Aderat tum Cleander, qui quum dixiſſet: *Ego vero oblatam pecuniam accepiſſem, ſi Callicratidas fuiſſem. Et ego*, reſpondit Callicratidas, *ſi Cleander.* Sic Alexander Magnus Parmenioni, ſuadenti, vt acciperet pecuniam, a Dario oblatam, ad redimendam pacem, reſpondit: *Et ego pecuniam, quam gloriam, mallem, ſi Parmenio eſſem.*

Q. Curt. l. 4. cap. 11.

Vir

Vir bonus, quod honeste se facturum putauerit, faciet, etiamsi laboriosum erit: faciet, etiamsi damnosum erit: faciet, etiamsi periculosum erit. Rursus quod turpe erit, non faciet, etiamsi pecuniam afferet, etiamsi voluptatem, etiamsi potentiam. Ab honesto nulla re deterrebitur, ad turpia nulla spe inuitabitur. *Senec. Epist. 76.*

Caput IIII.

Communi vtilitati consulere debemus.

1. Sumus ad Iustitiam nati, neque opinione, sed natura, constitutum est ius. *Cic. 1. de Legg. c. 10*

Iustitia versatur in hominum societate tuenda, tribuendoque suum cuique, et rerum contractarum fide. *id. 1. de Offic. c. 5.*

Iustitiae primum munus est, vt ne cui quis noceat, nisi lacessitus iniuria: deinde, vt communibus vtatur pro communibus, priuatis vt suis. Sunt autem priuata nulla, natura: sed quia aliquid eorum, quae natura fuerunt communia, obtigit cuique hominum, varia ratione; id quisque teneat: e quo si quis sibi appetet, violabit ius humanae societatis. *ibid. c. 7*

Sed quoniam (vt praeclare scriptum est a Platone) non nobis solum nati sumus, ortusque nostri partem patria vindicat, partem amici: atqui, (vt placet Stoicis) quae in terris gignuntur, ad vsum hominum omnia creari, homines autem hominis caussa esse generatos, vt ipsi inter se, aliis alii prodesse possent; in hoc naturam debemus *ibid.*

bemus ducem sequi, communes vtilitates in medium adferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo; tum artibus, tum opera, tum facultatibus, deuincire hominum inter homines societatem.

Seneca Ep. 95. 2. Quantulum est, ei non nocere, cui debeas prodesse? Magna scilicet laus est, si homo mansuetus homini est. Praecipiemus, vt naufrago manum porrigat, erranti viam monstret, cum esuriente panem suum diuidat? Quando omnia, quae praestanda sunt ac vitanda, dicam, quum possim, breuiter hanc formulam humani officii tradere? Omne hoc, quod vides, quo diuina atque humana conclusa sunt, vnum est: Membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, quum ex iisdem et in eadem gigneret. Haec nobis amorem indidit mutuum, et sociabiles fecit: illa aequum iustumque composuit: ex illius constitutione miserius est nocere, quam laedi; et illius imperio paratae sunt ad iuuandum manus. Iste versus, et in pectore, et in ore sit:

Homo sum, humani nihil a me alienum puto.

Cic. 3. Offic. c. 6. 3. Si etiam hoc natura praescribit, vt homo homini, quicunque sit, consultum velit: necesse est, secundum eandem naturam omnium vtilitatem esse communem. Quod si ita est, vna continemur omnes, et eadem lege naturae: idque ipsum si ita est, certe violare alterum lege naturae prohibemur.

Vt,

Vt, si vnumquodque membrum sensum hunc haberet, vt posse putaret se valere, si proximi membri valetudinem ad se traduxisset; debilitari et interire totum corpus necesse est: sic, si vnusquisque nostrum rapiat ad se commoda aliorum, detrahatque, quod cuique possit, emolumenti sui gratia: societas hominum et communitas euertatur necesse est. *ibid. c. 5.*

Sibi, vt quisque malit, quod ad vsum vitae pertineat, quam alteri, adquirere, concessum est, non repugnante natura. Illud natura non patitur, vt aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus. *ibid.*

Scite Chrysippus, vt multa: Qui stadium, inquit, currit, eniti et contendere debet, quam maxime possit, vt vincat: supplantare eum, quicum certet, aut manu depellere, nullo modo debet. Sic in vita sibi quemque petere, quod pertineat ad vsum, non iniquum est: alteri deripere, ius non est. *ibid. c. 10.*

4. Forsitan quispiam dixerit: Nonne igitur sapiens, si fame ipse conficiatur, abstulerit cibum alteri, homini ad nullam rem vtili? Minime vero. Non enim mihi est vita mea vtilior, quam animi talis affectio, neminem vt violem commodi mei gratia. Suum cuique incommodum ferendum est potius, quam de alterius commodis detrahendum. *ibid. c. 6.*

Neque vero hoc solum natura, id est, iure gentium, sed etiam legibus populorum, quibus in singulis ciuitatibus respublica continetur, eodem modo constitu- *ibid. c. 5.*

tum est, vt non liceat sui commodi caussa nocere alteri. Hoc enim spectant leges, hoc volunt; incolumem esse ciuium coniunctionem: quam qui dirimunt, eos morte, exsilio, vinculis, damno coërcent.

Caput V.

Ipsa peccandi voluntas peccatum est.

Aelian. V. H. l. 14. *c.* 28.

1. Me quidem iudice, non is solus malus est, qui iniuriam fecit, sed et qui facere in animo habuit.

Senec de Constant. c. 7. 5. *Benef. c.* 14. *v.* 220. *Democr. Sentent. Stobaeus Serm.* 9. *p.* 110. *lin.* 56.

Potest aliquis nocens fieri, quamuis non nocuerit. Omnia scelera, etiam ante effectum operis, quantum culpae satis est, perfecta sunt. Non minus latro est, cuius telum opposita veste elusum est: quia, vt ait P. Syrus:

Exeritur opere nequitia, non incipit.

Vir probus, aut improbus, non ex operibus tantum, sed etiam ex voluntate spectatur.

Bonus est, non qui non iniuriam facit, sed qui ne vult quidem.

Herodot. l. 56.

2. Fuit Lacedaemone ciuis, nomine Glaucus, cuius iustitia maxime celebrabatur. Itaque grandem pecuniae summam eius fidei credere non dubitauit ciuis quidam Milesius. Eam pecuniam repetentibus postea mortui Milesii liberis, retinere in animo habuit Glaucus, et oraculum Apollinis consuluit, an interposito iure iurando abnegare posset depositum apud se auri pondus. Respondit Pythia, ipsum daturum

turum poenas graues propter hanc retinendi depositi voluntatem. Ille poenarum metu deterritus a scelere, non iustitiae studio inductus, depositam apud se pecuniam restituit. Verum in cogitati sceleris poenam cum tota prole et domo interiit. Ipsam quippe peccandi voluntatem superi plectunt, quia qui scelus pectore deliberatum concepit, perinde nocens est, ac si illud admisisset.

Has patitur poenas peccandi sola voluntas: *Iuuen. Sat. 13. v. 208.*

Nam scelus intra se tacitum qui cogitat vllum, *seqq.*

Facti crimen habet.

3. Aristides ille iustus, interrogatus, quid iustum esset? *Aliena non concupiscere*, respondit. *Stobaeus Serm. 9. p. 104. lin. 13.*

Atque hoc multo magis exigit ipsa naturae ratio, quae est lex diuina et humana: cui parere qui velit (omnes autem parebunt, qui secundum naturam volent viuere) nunquam committet, vt alienum appetat, et id, quod alteri detraxerit, sibi adsumat. *Cicer. 3. Offic. c. 5.*

Inimicus est, non solum qui iniuriam infert, sed etiam, qui de inferenda cogitat. *Democr. Sentent.*

Vestalis incesta est, etiam sine stupro, quae cupit stuprum. *Senec. l. 6. Excerp. controu. 8.*

Potestne fieri, vt, qui Ioui amicus fuerit, rem aliquam iniquam concupiscat, aut turpe aliquid cogitet? *Dio Chrys. Orat. 4.*

Vir bonus non modo facere, sed ne cogitare *Cicer. 3. Offic. c. 19.*

gitare quidem quidquam audebit, quod non audeat praedicare.

Idem 4. Bene praecipiunt, qui vetant quidquam
1. *Offic. c.* 9 agere, quod dubites, aequum sit, an ini-
3. *Offic. c.* 4 quum. Etenim non modo pluris putare, quod vtile videatur, quam quod honestum; sed haec etiam inter se comparare, et in his addubitare, turpissimum est.

3. *Offic. c.* 8 Est totum sceleratum, et impium genus eorum hominum, qui deliberant, vtrum id sequantur, quod honestum esse videant, an se scientes scelere contaminent: in ipsa enim dubitatione facinus inest, etiamsi ad id non peruenerint. Ergo ea deliberanda omnino non sunt, in quibus est turpis ipsa deliberatio.

Seneca 5. Actio recta non erit, nisi recta fuerit
Ep. 95. voluntas: ab hac enim est actio. Rursus voluntas non erit recta, nisi habitus animi rectus fuerit: ab hoc enim est voluntas.

Caput VI.

Qui solo metu a peccato abstinet non est innocens.

Philem. 1. Non dicendus est iustus, quisquis non infert iniuriam: sed qui inferre impune quum possit, libenter abstinet.

Democr. Sentent. Non metu, sed officii caussa, peccatis, abstinendum.

Dio Chrys. Orat. 69. Quidam parum curant, spontene, an metu, legibus pareant. Verum non minus fur est, qui metu a furto abstinet, furtum ipsum

ipsum non perosus, nec damnans, quam ii, qui furantur. Et illi homines non sunt belluis meliores: nam illae quoque, si timeant homines, aut canes, gregem custodientes, a rapina abstinent.

Non dicam pudicam, quae amatorem, vt incenderet, repulit: quae aut legem, aut virum timuit. Non immerito in numerum peccantium refertur, quae pudicitiam timori praestitit, et non sibi. *Sene. a Benef. c.* 14.

Si qua, metu demto, casta est; ea denique casta est. *Ouid. 3. Am. Eleg.* 4. *v.* 3.

Non possumus eos, qui a flagitio arcentur infamiae, aut legum, ac iudiciorum metu, pudicos dicere. Nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet, nisi testem, et iudicem? *Cicer. 3. de legg. c.* 19. *et* 14.

Non est diuturnus magister officii timor. *Idem 2. Philip. c.* 36.

2. Etsi infamiae ac suppliciorum metus hominem, qui a peccato abstinet, non praestat innocentem; saepe tamen non nihil confert, vt ille tandem vir bonus fiat. Nam dum illum a scelere auocat, paullatim adsuefacit parere diuinis humanisque legibus, quibus docemur non infinitis, concertationumque plenis disputationibus, sed auctoritate, nutuque legum domitas habere libidines, coërcere omnes cupiditates, nostra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abstinere. Itaque sapienter admodum antiqui legum conditores, vt efferato agresti vita, aut militia, populorum animos mitigarent, et ad mansuetudinem ac iustitiam traducerent, deo- *Idem 1. de Orat. c.* 43. *Liuius l.* 1. *c.* 19.

rum primum metum iis iniiciendum esse rati sunt: deinde ad terrorem impietatis, audaciae, flagitii, carceres, vincula, variaque
Cicer. pro Rosc. Amer. c. 25. supplicia instituerunt: vt quos amor honesti in officio non retineret, ii magnitudine poenae maleficio summouerentur.

Caput VII.

Oderunt peccare boni, virtutis amore.

Horat. 1. Ep. 16. v. 52.
Cicer. 3. Offic. c. 8.

1. Nobis persuasum esse debet, si omnes deos hominesque celare possimus, nihil tamen auare, nihil iniuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum.

A. Gell. l. 12. c. 11.

Philosophum, nomine Peregrinum, cui postea cognomentum Proteus factum est, virum grauem atque constantem, vidimus, inquit A. Gellius, quum Athenis essemus, diuersantem in quodam tugurio extra vrbem. Quumque ad eum frequenter ventitaremus, multa, hercle, dicere eum vtiliter et honeste audiuimus. In quibus id fuit, quod praecipuum auditu meminimus. *Virum quidem sapientem non peccaturum esse*, dicebat, *etiamsi peccasse eum dii atque homines ignoraturi forent. Non enim poenae aut infamiae metu non esse peccandum censebat, sed iusti honestique studio, et officio.*

Cicer. 3. Offic. c. 9.

2. Quum olim, in Lydia, terra discessisset magnis quibusdam imbribus, in illum hiatum descendit, (Candaulis, regis pastor) Gyges, aeneumque equum (vt ferunt fabulae) animaduertit, cuius in lateribus fo-

res

res essent: quibus apertis, hominis mortui vidit corpus magnitudine inusitata, annulumque aureum in digito: quem vt detraxit, ipse induit: (erat autem regius pastor) tum in concilium pastorum se recepit. Ibi quum palam eius annuli ad palmam conuerterat, a nullo videbatur, ipse autem omnia videbat. Idem rursus videbatur, quum in locum (suum) annulum inuerterat. Itaque hac opportunitate annuli vsus, reginae stuprum intulit: eaque adiutrice, regem dominum interemit, (ac) sustulit, quos obstare (sibi) arbitrabatur: nec in his eum quisquam facinoribus potuit videre. Sic repente annuli beneficio rex exortus est Lydiae.

Atque hoc loco philosophi quidam, minime mali illi quidem, sed non satis acuti, fictam et commentitiam fabulam dicunt prolatam a Platone. Hunc igitur ipsum annulum si habeat sapiens, nihil plus sibi licere putet peccare, quam si non haberet. Honesta enim bonis viris, non occulta, quaeruntur. Haec est vis huius annuli, et huius exempli: si nemo scitурus, nemo ne suspicaturus quidem sit, quum aliquid diuitiarum, potentiae, dominationis, libidinis caussa, feceris, si id diis, hominibusque futurum sit semper ignotum, sisne facturus. Negant id fieri posse: quanquam potest id quidem. Sed quaero, quod negant posse, id si posset, quidnam facerent? Vrgent rustice sane. Negant enim posse, et in eo perstant: hoc verbum quid valeat, non vident. Quum enim quaerimus, si possint celare, quid facturi sint: non *ibid.*

quaerimus, possintne celare: sed tanquam tormenta quaedam adhibemus, vt, si responderint, se, impunitate proposita, facturos, quod expediat, facinorosos se esse fateantur: si negent, omnia turpia per se ipsa fugienda esse concedant.

CAPVT VIII.

Ea sola vtilia sunt, quae iusta et honesta.

Cicer. 3. *Offic. c.* 19. 1. Homo autem iustus, isque, quem sentimus virum bonum, nihil cuiquam, quod in se transferat, detrahet. etc. Immo intelligat, nihil nec expedire, nec vtile esse, quod sit iniustum. Hoc qui non didicerit, (nec persuasum habuerit,) bonus vir esse non poterit.

ibid. c. 18. Atqui in talibus rebus aliud vtile interdum, aliud honestum videri solet. Falso: nam eadem vtilitatis, quae honestatis est regula: qui hoc non peruiderit, ab hoc nulla fraus aberit, nullum facinus. Sic enim cogitans: *Est istuc quidem honestum, verum hoc expedit:* res a natura copulatas, audebit errore diuellere: qui fons est fraudum, maleficiorum, scelerum omnium.

Sallust. Iugurth. c. 64. *Cicer. ibid. c.* 20. 2. C. Marium consulatus ingens cupido exagitabat. A quo adipiscendo quum longe abesse se cerneret; Q. Metellum, cuius legatus erat, summum virum, et ciuem, criminari statuit, vt, erepta ei gloria confecti belli Iugurthini, ipse mitteretur in Numidiam cum imperio consulari. Itaque nec facto vllo, nec dicto abstinuit, quo conciliare sibi mili-

militum animos posset. Multa criminose de Metello est locutus, multa de se magnifice. Dixit: *Bellum ab imperatore trahi consulto, quod homo inanis, et superbiae regiae, imperio nimis gauderet: se paucis diebus habiturum Iugurtham in catenis, si dimidia pars exercitus sibi permitteretur.* Deinde a Metello Romam missus, quum ad populum eadem dixisset, quae prius in castris, et de se ingentia esset pollicitus: voti tandem compos fuit. Itaque factus est ille quidem consul: *Cicer. ib.* sed a fide iustitiaque discessit, qui (imperatorem suum) optimum et grauissimum ciuem, cuius legatus, et a quo missus esset, in inuidiam falso crimine adduxerit.

3. Nec (alter quoque Marius, cognomento) *Cicer. ib.* Gratidianus, officio boni viri functus est tum, quum praetor esset, collegiumque praetorum tribuni plebis adhibuissent, vt res nummaria de communi sententia constitueretur. Iactabatur enim temporibus illis nummus, sic, vt nemo posset scire, quid haberet. Conscripserunt communiter edictum cum poena atque iudicio; constitueruntque, vt omnes simul in rostra (praetores ac tribuni) post meridiem * descenderent: (renuntiaturi edictum illud, quod videbatur futurum gratissimum omnibus ciuibus:) et ceteri quidem, alius alio, (discessere:) Marius a subselliis in rostra recta, (iuit,) idque, quod communiter compositum fuerat, solus edixit. Et ea res, si quaeris, ei (apud populum) magno honori fuit: omnibus vicis statuae (erectae:)

al. escenderent.

stae:) ad eas thus, et cerei (incensi). Quid multa? Nemo vnquam multitudini fuit carior.

Cicer. ib. 4. Haec sunt, quae conturbant homines nonnunquam in deliberatione, quum id, in quo violatur aequitas, non ita magnum; illud autem (commodum), quod ex eo paritur, permagnum videtur. Vt Mario, (Gratidiano) praeripere collegis, et tribunis plebis, popularem gratiam, non ita turpe: Consulem ob eam rem fieri, quod sibi tunc proposuerat, valde vtile videbatur. Sed omnium vna regula est, quam cupio esse notissimam: aut illud, quod vtile videtur, turpene sit; aut, si turpe est, ne videatur esse vtile. Quid igitur? Possumusne aut illum Marium, virum bonum iudicare, aut hunc? Cadit ergo in virum bonum, mentiri emolumenti sui caussa, criminari, praeripere, fallere? Nihil profecto minus. Est ergo vlla res tanti, aut commodum vllum tam expetendum, vt (propterea) viri boni et splendorem, et nomen amittas? Quid est, quod afferre tantum vtilitas ista, quae dicitur, possit, quantum auferre, si boni viri nomen eripuerit, fidem iustitiamque detraxerit? Nunquam igitur est vtile peccare, quia semper est turpe: et, quia semper est honestum, virum bonum esse, semper est vtile.

cap. 15.

P. Syrus v. 63. Damnum appellandum est, cum mala fama lucrum.

Cic. 3. Off. c. 11. Val. l. 6. c. 5 5. Themistocles, post victoriam eius belli, quod cum Persis fuit, dixit (Athenis) in concione, se habere consilium reipubli-

publicae salutare, sed id sciri opus non esse: postulauit, vt aliquem populus daret, quicum communicaret: datus est Aristides. Huic ille, classem Lacedaemoniorum, quae subducta esset ad Gytheum (portum) clam incendi posse: quo facto, frangi Lacedaemoniorum (quoque) opes necesse esset, (quibuscum de Graeciae principatu contendebant Athenienses.) Quod Aristides quum audisset; in concionem magna exspectatione venit, dixitque: *Perutile esse consilium, quod Themistocles afferret: sed minime honestum.* Itaque Athenienses, quod honestum non esset, id ne vtile quidem putauerunt: totamque eam rem, quam ne audierant quidem, auctore Aristide repudiauerunt. Vbi nunc in viro inueneris eum amorem honesti, qui tunc populi vniuersi fuit? *Liuius l. 4 cap. 6.*

CAPVT IX.

Qui adipisci veram gloriam volet, iustitiae fungatur officiis. *Cicer. 2. Offic. c. 12.*

1. Facillime autem ad res iniustas impellitur, vt quisque est altissimo animo (principatus) et gloriae cupiditate. Quocirca nemo, qui fortitudinis gloriam consecutus est insidiis et malitia, laudem est adeptus. Nihil enim honestum (et glorioſum) esse potest, quod iustitia vacat. *Id. 1. Off. c. 19.*

An eos aliquid verae laudis adeptos putas, qui exitio gentium clari, non minores fuere pestes mortalium, quam inundatio et conflagratio? Agebat infelicem Ale- *Senec. 3. Quaest. in prooem. et Ep. 94.*

Alexandrum furor aliena deuastandi. Non contentus paterno regno, toto orbe arma circumferebat: nec substitit vsquam lassa crudelitas: immanium ferarum modo, quae
Ep. 53. plus, quam exigit fames, mordent. Quum ei ciuitas quaedam partem agrorum, et dimidium rerum omnium promitteret: *Eo*, inquit, *proposito veni in Asiam, non vt id acciperem, quod dedissetis: sed vt id haberetis, quod reliquissem.*

Q. Curt. l. 7. c. 8. 2. Vbi ad fines Scytharum vincendo peruenit, vnus ex eorum legatis haec ei inter alia multa dixit, quibus eius iniustitiam et ambitionem argueret: *Quid nobis tecum est? Numquam terram tuam attigimus. Qui sis, vnde venias, licetne ignorare in vastis siluis viuentibus? Nec seruire vlli possumus, nec imperare desideramus*, &c. *Vt maior fortiorque sis, quam quisquam: tamen alienigenam dominum pati nemo vult. Tu, qui te gloriaris, ad persequendos latrones venire, omnium gentium, quas adisti, latro es. Lydiam cepisti: Syriam occupasti: Persidem tenes: Bactrianos habes in potestate: Indos petisti: iam etiam ad pecora nostra auras et insatiabiles manus porrigis. Quid tibi diuitiis opus est, quae te esurire cogunt? primus omnium satietate parasti famem, vt quo plura haberes, acrius, quae non habes, cupe-*
res? &c. *Denique si deus es, tribuere mortali-*
S. Aug. l. 4. de Ciuit. c. 4. ex Cicer. *bus beneficia debes, non sua eripere: sin autem homo es, id quod es, semper esse te cogita.*

Eleganter et veraciter Alexandro illi magno, quidam comprehensus pirata respon-

spondit. Nam quum rex hominem interrogasset, quo iure mare infestaret? ille libera contumacia: *Eodem*, inquit, *quo tu orbem terrarum: sed quia id ego exiguo nauigio facio, latro vocor; tu, quia magna classe, Imperator.*

Caput X.

Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.

1. Alexander Seuerus in procinctu, atque in expeditionibus, apertis papilionibus prandit atque cœnauit, quum militarem cibum, cunctis videntibus atque gaudentibus, sumeret; circumiret prope tota tentoria, a signis neminem abesse pateretur. Si quis de via in alicuius possessionem deflexisset; pro qualitate loci aut fustibus subiiciebatur in conspectu eius, aut virgis, aut condemnationi: aut si haec omnia transiret dignitas hominis, grauissimis contumeliis: quum diceret: *Visne hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis?* Clamabatque saepius, quod a quibusdam, siue Iudaeis, siue Christianis, audierat, et tenebat, idque per praeconem, quum aliquem emendaret, dici iubebat: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Quam sententiam vsque adeo dilexit, vt in palatio, et in publicis operibus, praescribi iuberet. *Lampriđ. in Al. Seuer. c. 51.*

2. Ab alio exspectes, alteri quod feceris. Syracusis pulsus a Dionysio tyranno Dion, Megaram perierat. Vbi quum Theodorum, principem eius vrbis, domi conuenire vellet, neque admitteretur, mul- *P. Syrus. v. 3. Val. l. 4. c. 1.*

tum diuque ante fores retentus, comiti suo: *Patienter hoc ferendum est*, ait; *forsitan enim et nos, quum in gradu dignitatis nostrae essemus, aliquid tale fecimus.* Qua tranquillitate consilii, ipse sibi conditionem exsilii placidiorem reddidit.

Phaedr. l. 1. Fab. 26

3. Vulpes ad coenam dicitur ciconiam
Prior inuitasse, et illi in patera liquidam
Posuisse sorbitionem, quam nullo modo
Gustare esuriens potuerit ciconia:
Quae vulpem quum reuocasset, intrito cibo
Plenam lagenam posuit: huic rostrum inserens
Satiatur ipsa, et torquet conuiuam fame:
Quae quum lagenae frustra collum lamberet,
Peregrinam sic locutam volucrem accepimus:
Sua quisque exempla debet aequo animo pati.

Caput XI.

Iniuriam pati, satius est, quam facere.

Plut. Apophth. Lacon. T. II. p. 216

Agis, Lacedaemoniorum rex vltimus, ex insidiis captus, et indicta caussa ab Ephoris damnatus, quum ad laqueum abduceretur, conspiceretque quendam ex ministris flentem: *Desine*, inquit, *o homo, meam vicem flere. Nam sic inique, et contra leges moriens, superior feliciorque sum iis, qui mihi vitam eripi iubent.* Haec locutus, vltro collum laqueo induit.

Athe-

Athenienſes, quos multis beneficiis affecerat, ingratos expertus Phocion, in concionem prodiit, et ſapientiſſime dixit: *Malo a vobis, Athenienſes, malum accipere, quam ipſe vobis malum inferre.* *Aelian. V. H. l. 2. c. 16.*

Caput XII.

Quod meum non eſt, redeat ad dominum.

Pythagoricus quidam emerat a ſutore phaecaſia, rem magnam, non praeſentibus nummis. Poſt aliquot dies venit ad tabernam, redditurus. Et quum clauſam diu pulſaret, fuit, qui diceret: *Quid perdis operam tuam? Sutor ille, quem quaeris, elatus, combuſtus eſt. Quod nobis fortaſſe eſt moleſtum, qui in aeternum noſtros amittimus: tibi minime, qui ſcis futurum, vt renaſcatur.* (Quibus verbis) iocatus in Pythagoricum, (qui metempſychoſin, hoc eſt, migrationem animarum in alia corpora, fieri credebat.) At Philoſophus noſter tres aut quatuor denarios, non inuita manu, domum retulit, ſubinde concutiens. Deinde quum reprehendiſſet hanc ſuam non reddendi taciram voluptatem, intelligens, arriſiſſe ſibi illud lucellum, redit ad eandem tabernam, et ait: *Ille tibi viuit. Tu redde, quod debes.* Deinde per cloſtrum, qua ſe commiſſura laxauerat, quatuor denarios in tabernam inſeruit, ac miſit, poenas a ſe exigens improbae cupiditatis, ne alieno adſueſceret. *Senec. 7. benef. c. 20.* *ibid. c. 21.*

CAPVT

CAPVT XIII.

Verbis non minus, quam factis, fit iniuria.

Quinctil. l. 12. c. 9. 1. Maledicus a malefico non distat, nisi occasione.

Liu. l. 3. c. 72. Famae ac fidei damna maiora sunt, quam quae aestimari possint.

Cic. pro Planc. c. 23. Nihil est tam volucre, quam maledictum: nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur, nihil latius dissipatur.

Idem 1. Off. c. 37. In primis prouideat, ne sermo (noster) vitium aliquod indicet inesse in moribus (nostris): quod maxime tum solet euenire, quum studiose de absentibus, detrahendi caussa, aut per ridiculum, aut seuere, maledice, contumelioseque dicitur.

Horat. l. 1. Sat. 4. v. 81. seqq.

---- Absentem qui rodit amicum;
Qui non defendit, alio culpante; solutos
Qui captat risus hominum, famamque dicacis;
Fingere qui non visa potest; commissa tacere
Qui nequit; hic niger est: hunc tu, Romane, caueto.

P. Syrus v. 174. v. 180.

Lingua est maliloquax mentis indicium malae.
Difficilem oportet aurem habere ad crimina.

v. 349. In iudicando criminosa est celeritas.

Liu. l. 38. c. 49. Caeca inuidia est, nec quidquam aliud scit, quam detrectare virtutes, corrumpere honores ac praemia earum.

Herodot. l. 7. 2. Quum Mardonius Xerxem ad bellum Graecis inferendum excitaret, deprimendo eorum

eorum in armis virtutem, iisque detrahendo; Artabanus ei respondit longa oratione, in qua haec dixit de alienae famae detractione, ceu calumnia. Res est teterrima alienae famae detractio: in qua duo sunt, qui iniuriam faciunt, vnus, cui iniuria fit. Qui enim detrahit, iniurius est, quod accusat non praesentem. Iniurius quoque est, qui credit detrahenti, antequam rem compertam habeat. Sic absenti fit duplex iniuria: ab altero enim insimulatur vt malus, ab altero talis temere putatur.

Caput XIIII.

Ex omni vita simulatio dissimulatioque tollenda est.

1. Quum autem duobus modis, id est, aut vi, aut fraude fiat iniuria; fraus, quasi vulpeculae; vis, leonis videtur: vtrumque homine alieniſſimum: sed fraus odio digna maiore. Totius autem iniustitiae nulla capitalior est, quam eorum, qui tum, quum maxime fallunt, id agunt, vt viri boni esse videantur. *Cicer. 1. Offic. c. 13.*

Bonitatis verba imitari, maior malitia. *P. Syrus.*

Malus bonum vbi se simulat, tunc est pessimus.

C. Canius, eques Romanus, (homo) nec infacetus, et satis litteratus, quum se Syracusas, otiandi (vt ipse dicere solebat), non negotiandi caussa, contulisset, dictitabat, se hortulos aliquos velle emere, quo inuitare amicos, et vbi se oblectare sine interpellatoribus posset. Quod quum percrebuisset, Pythius ei quidam, qui argentariam face- *Cic. 3. Off. c. 14.*

faceret Syracusis, venales quidem se hortos non habere, sed licere vti Canio, si vellet, vt suis. Et simul ad coenam hominem in hortos inuitauit in posterum diem. Quum ille promisisset, tum Pythius, qui esset, vt argentarius, apud omnes ordines gratiosus, piscatores ad se conuocauit, et ab his petiuit, vt ante suos hortulos postridie piscarentur; dixitque, quid eos facere vellet.

Ad coenam tempore venit Canius. Opipare a Pythio apparatum conuiuium: cymbarum ante oculos multitudo: pro se quisque, quod ceperat, afferebat: ante pedes Pythii pisces abiiciebantur. Tum Canius: *Quaeso*, inquit, *quid est hoc, Pythi? tantumne piscium, tantumne cymbarum?* Et ille: *Quid mirum?* inquit, *hoc loco est, Syracusis quidquid est piscium; hic aquatio: hac villa isti carere non possunt.* Incensus Canius cupiditate, contendit a Pythio, vt venderet. Grauate ille primo. Quid multa? impetrat, emit homo cupidus et locuples, tanti, quanti Pythius voluit, et emit instructos: nomina facit: negotium conficit.

Inuitat Canius postridie familiares suos. Venit ipse mature. Scalmum nullum videt. Quaerit ex proximo vicino, num feriae quaedam piscatorum essent, quod eos nullos videret? *Nullae*, (*quod sciam*,) inquit ille: *sed hic piscari nulli solent; itaque heri mirabar, quid accidisset.* Stomachari Canius.

Sed

Sed quid faceret? Nondum enim Aquillius protulerat de dolo malo formulas.

2. Ergo et Pythius, et omnes aliud agentes, aliud simulantes, perfidi, improbi, malitiosi sunt. Ex omni vita simulatio dissimulatioque tollenda est. Ratio igitur postulat, ne quid insidiose, ne quid simulate, ne quid fallaciter. Ita nec vt emat melius, nec vt vendat, quidquam simulabit, aut dissimulabit vir bonus. Si vero vir bonus est is, qui prodest, quibus potest, nocet nemini; certe istum virum bonum non facile reperimus.

Hoc quanquam video, propter depravationem consuetudinis, neque more turpe haberi, neque aut lege sanciri, aut iure ciuili: tamen naturae lege sancitum est.

ibid.

cap. 15.

cap. 17.

cap. 15.

cap. 17.

Caput XV.

Improbi hominis est, mendacio fallere.

Cic. p. Muraen. c. 30.

1. Vera dicere, iustum est; mentiri vero iniustum.

Plato de Iusto.

Cadit ergo in virum bonum, mentiri emolumenti sui caussa, criminari, praeripere, fallere? nihil profecto minus.

Cicer. 3. *Offic. c.* 20.

Qui mentitur, fallit, quantum in se est. Vir bonus praestare debet, ne mentiatur.

A. Gell. l. 11. *c.* 11.

Viros fortes, magnanimos, eosdem bonos, et simplices, veritatis amicos, minimeque fallaces esse volumus. Quae virtutes ad iustitiam pertinent. Itaque Aristides apud Athenienses, et Epaminondas apud Thebanos, tam alieni a mendacio, et tam

Cic. 1. *Offic. c.* 19. *Plut. in Arist. C. Nep. in Epam. et Attico.*

tam veritatis diligentes fuisse traduntur, vt ne ioco quidem vnquam mentirentur. Et Atticus ille, quicum Cicero vixit coniunctissime, mendacium neque dicebat, neque pati poterat. *Illum odi,* aiebat Achilles, *aeque ac portas Plutonis, qui aliud quidem recondit in mente, aliud vero dicit.*

Homerus Iliad. 9. v. 312. s.

M. Anton. l. 3. sect. 16. et l. 4. sect. 33.

2. Quid est, in quo maxime elaborare debemus? Vt mens sit iusta, oratio mendacii expers. Hoc viri boni proprium est, nihil a veritate alienum loqui, vt et nihil a iustitia alienum exsequi.

Idem l. 9. sect. 1.

Qui iniuste agit, impie agit. Quum enim natura homines ediderit, vt sibi inuicem prosint, nec vlla ratione obsint; qui hoc naturae placitum violat, aduersus eam est impius. Eadem natura Veritas quoque nuncupatur, estque prima omnium, quae vera sunt, caussa. Itaque qui sciens volensque mentitur, impie agit: quia fallendo iniuste agit.

Cic. 1. Offic. c. 4.

Quod verum, simplex, sincerumque est, id est naturae hominis aptissimum.

Senec. Ep. 68. Plut. de Educ. puer. c. 14. Philost. in ep. Apoll.

3. Adsuesce et dicere verum, et audire. Adsuefaciendi maxime sunt pueri, vt vera dicant: mentiri enim seruile est, et omnium hominum odio dignum vitium. Eadem sententia dixit Apollonius: *Illiberale est, mentiri: ingenuum veritas decet.*

Cicer. 1. Offic. c. 42.

Illiberales autem et sordidi quaestus mercenariorum, omniumque, quorum operae, non quorum artes emuntur, etc. Sordidi etiam putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod statim vendant: nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur. Nec vero quid-

quidquam est turpius vanitate, (id est, mendacio.)

Persae liberos suos a quinto anno ad vicesimum tria edocebant, equitare, sagittas arcu mittere, vera loqui. Turpissimum apud eos habebatur mentiri. Secundum mendacium, in proximo turpitudinis loco, ponebant aes alienum: maxime quod qui aere alieno obstringitur, mendacio obnoxius esse soleat, et plerumque verba pro re dare. *Herodot. l. 1.*

Iustitiam quoque liberi Persarum edocebantur a pueritia. Ac quemadmodum pueri in Graecia in scholas itabant, litterarum liberaliumue artium discendarum caussa: sic apud Persas pueri scholas frequentabant, ad accipiendam iustitiae disciplinam. Quam quidem vt citius et certius discerent, non solum eorum auribus praecepta iustitiae inculcabantur, sed etiam docebantur iustas ferre sententias de iis, quae inter ipsos exoriebantur, controuersiis; et legitimas pro cuiusque delicti modo pœnas irrogare. Itaque bonam diei partem impendebant publici iustitiae praeceptores in audiendis, diiudicandisque puerorum disceptationibus. *Xenoph. l. 1. Cyrop. p. 4. seq.*

4. *Hoc consequuntur mendaces*, inquiebat Aristoteles, *vt, quum vera dixerint, non illis credatur.* Similiter Cicero dixit: *Mendaci homini, ne verum quidem dicenti, credere solemus.* *Diog. Laërt. in Arist. 2. de Divin. c. 71.*

Iis, qui peccarunt, non facile delicti venia conceditur, si interrogati deprehendantur mendaces. *Xenoph. l. 3. Cyrop. p. 63.*

Quid

Cicer. pro Q. Rosc. Comoed. c. 16

Quid interest inter periurum et mendacem? Qui mentiri solet, peierare consueuit. Quem ego, vt mentiatur, inducere possum; vt peieret, exorare facile potero. etc. Propterea quae poena a diis immortalibus periuro, haec eadem mendaci constituta est.

Ammian. l. 14. c. 31.

Veritas sermo est simplex.

Veritas vel mendacio corrumpitur, vel silentio.

Caput XVI.

In vitio est, qui non obsistit, si potest, iniuriae.

Cic. 1. Offic. cap. 7.

1. Iniustitiae genera duo sunt: vnum eorum, qui inferunt; alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, si possint, non propulsant iniuriam. Nam, qui iniuste impetum in quempiam facit, aut ira, aut aliqua perturbatione incitatus, is quasi manus afferre videtur socio. Qui autem non defendit, nec obsistit, si potest, iniuriae, tam est in vitio, quam si parentes, aut amicos, aut patriam deserat.

cap. 9.

Praetermittendae defensionis, deserendique officii, plures solent esse caussae. Nam, aut inimicitias, aut laborem, aut sumtus suscipere nolunt: aut etiam negligentia, pigritia, inertia, aut suis studiis quibusdam, occupationibusue sic impediuntur, vt eos, quos tutari debeant, desertos esse patiantur. etc. Qui altero iniustitiae genere vacant, in alterum incurrunt. Deserunt enim vitae societatem, quia nihil conferunt in eam studii, nihil operae, nihil facultatum.

Diod. Sic. l. 2.

2. Apud Aegyptios legibus cautum erat, vt,

vt, si quis iter faciens videret quempiam a latronibus circumueniri, aut aliquid iniuriae perpeti, nec ei auxilium ferret, quum posset, morte damnaretur. Si opem dare non posset: rem deferre ad iudices, et iniuriae auctorem accusatione persequi iubebatur. Quod facere si neglexisset, plagis multabatur; et triduum carebat cibo.

Si is, qui iniuriam non propulsat ab aliis, quum potest, iniuste facit: qualis habendus est is, qui non modo non repellit, sed etiam adiuuat iniuriam? L. Minutii Basili, locupletis hominis, falsum testamentum quidam e Graecia Romam attulerunt: quod quo facilius obtinerent, scripserunt heredes secum M. Crassum, et Q. Hortensium, homines eiusdem aetatis potentissimos: qui, quum illud falsum esse suspicarentur, sibi autem nullius essent conscii culpae; alieni facinoris munusculum non repudiauerunt. Grauiter deliquisse mihi quidem videntur; qui etiam veras hereditates honestas non puto, si sint blanditiis et simulata amicitia quaesitae.

Cic. l. 3. Offic. c. 18.

Caput XVII.

Inhumanum verbum est Vltio.

1. Non vlcisci decet, vt vulgus putat, neque male facere cuiquam hominum, quodcunque ab aliis ipse passus fueris. Nullo enim modo iniuria facienda est.

Plato in Critone.

Sunt autem quaedam officia etiam aduersus eos seruanda, a quibus iniuriam acceperis. Est enim vlciscendi et puniendi modus. Atque haud scio, an satis sit, eum, qui lacess-

Cicer. 1. Offic. c. 11.

lacessierit, iniuriae suae pœnitere: vt et ipse ne quid tale posthac, et ceteri sint ad iniuriam tardiores.

P. Syrus Ignoscere hominum est, vbi eum pudet, cui ignoscitur.

Sall. Catil. c. 9. Liu. l. 30. c. 42. Veteres Romani, accepta iniuria, ignoscere, quam persequi malebant. Et plus paene parcendo victis, quam vincendo, imperium auxerunt.

Plut. in Cat. Omnibus noxis veniam dare se dicebat Cato maior, praeterquam suis.

P. Syrus. Ignoscito saepe alteri, nunquam tibi.

Sen. 2. de ira c. 32. et l. 3. cap. 5. 2. Beneficia beneficiis repensare honestum est: non autem iniurias iniuriis. Illic, vinci turpe est: hic, vincere. Vltio, inhumanum verbum est, et quidem pro iusto receptum. Quam pulchrum est, hominem, velut nulli penetrabilem telo, omnes iniurias contumeliasque respuere. Vltio, doloris confessio est: M. Catonem in balneo quidam percussit imprudens: quis enim illi sciens feciſſet iniuriam? Postea satisfacienti Cato: *non memini*, inquit, *percussum me*. Melius putauit, non agnoscere, quam vindicare. Nihil, inquis, post tantam * contumeliam mali factum est? Imo multum boni. Coepit Catonem nosse. Magni animi est, iniurias despicere.

* *al. petulantiam.*

Iuuen. Sat. v. 189.

------- Quippe minuti
Semper, et infirmi est animi, exiguique voluptas
Vltio. ---

Ille magnus et nobilis est, qui, more magnae ferae, latratus minutorum canum securus exaudit. Saepe satius fuit dissimulare, quam vlcisci. Co-

Commessatores quidam quum in vxorem Pisistrati incidissent, multaque proterue et feciſſent, et dixiſſent; postero die facti veniam a Pisistrato postulauerunt. Quibus ille respondit: *Vos deinceps magis operam date modestiae. Mea vero vxor heri nusquam prodiit.* *Plut. Apophth.*

3. Quum Cumani Pittaco vinctum traditissent hominem, a quo filius eius fuerat interfectus; illum impunitum dimisit, haec praefatus: *Venia vltione melior est: illa namque mitis est ingenii, haec ferini.* Simili sensu dixit Musonius philosophus: *Ferae non hominis est, quaerere, quomodo morsum pro morsu, malum pro malo, reddat.* *Stobaeus serm. 19.*

Non oblitus erat Aristides, Themistoclem sibi diu clam, aut aperte, fuisse aduersatum in administranda republica. Nouerat quoque, se eius maxime opera pulsum fuisse in exsilium. At ostendit, quam alieno ab vltione animo esset, quum deliberaretur de ipso Themistocle e ciuitate eiiciendo testarum suffragiis. Opportuna certe oblata erat expetendae vindictae occasio. Nihil tamen ab eo aut dictum, aut factum est, quod nocere posset inimico. Et vt prius ei non inuiderat florenti opibus et rerum gestarum gloria, sic tum noluit premere periclitantem, et eo deiecto exsultare. *Plut. in Themist.*

T. Pomponius Atticus nullas inimicitias gessit, quod neque laedebat quenquam, neque si quam iniuriam acceperat, non malebat vlcisci, quam obliuisci. *C. Nepos in Attic. c. 11.*

Magnanimo iniuriae remedium obliuio est. *P. Syrus v. 411.*

Quos in priuata vita inimicos habuit Adria- *Spartian. c. 17.*

drianus Imperator, tantum neglexit, ita vt vni, quem capitalem habuerat, diceret: *Euasisti.*

Liu. l. 40. *cap.* 46. Vulgatum illud, quia verum erat, in proverbium venit: *Amicitias immortales, inimicitias mortales debere esse.*

Plat. in Dion. 4. Quum Dion expugnasset Syracusas, quas ab impotenti tyrannorum dominatu liberare cupiebat; Heraclides et Theodotes, infensi eius hostes, se vltro dedidere, culpam fatentes rantesque, vt benignior in ipsos esset, quam ipsi in eum fuerant. Admonuerunt quoque, decere Dionem, qui multis aliis virtutibus ornatus esset, irae imperare, et vltionis cupidum non esse. Haec illis precantibus et monentibus, hortabantur amici Dionem, ne improbis hominibus, funestarum turbarum auctoribus, parceret: sed eos militum furori permitteret. Tum Dion: *Ceteris*, inquit, *ducibus atque imperatoribus plerumque sola belli et armorum exercitia cordi sunt. Mihi vero, qui plurimum temporis in Academia consumsi, cura fuit, id discere, vt iram, vltionem, inuidiam, pertinaciam, et alias eiusmodi pestes possem vincere: cuius victoriae argumentum certum est, non in amicos et viros bonos benignitas, sed erga iniquos et infensos inimicos placabilitas et lenitas. Heraclidem superare mihi animus est, non potentia et prudentia, at humanitate et iustitia: in his enim virtutibus vera fortitudo, magnitudo, gloria posita est: quum miles, aut saltem fortuna, sibi vindicet par-*

tem

tem gloriae bello quaesitae. Quod si Heraclides et inuidus, et infidus, et malus est, ideone Dionem oportet virtuti suae labem inurere irae impotentia? Lege quidem humana definitum est, eum minus peccare aduersus iustitiam, qui acceptam iniuriam vlciscitur, quam qui prior infert: at natura vtrumque ab eadem animi infirmitate proficiscitur. Nullius porro hominis tam aspera, tamque effera est improbitas, quae non possit frequentibus beneficiis mansuescere et expugnari. His vsus rationibus Dion, Heraclidem et Theodotem missos fecit.

CAPVT XVIII.

Speciosius aliquanto iniuriae beneficiis vincuntur, quam mutui odii pertinacia pensantur.

Val. l. 4. c. 2

1. Vsque ad vltimum vitae finem in actu erimus; non desinemus communi bono operam dare, adiuuare singulos, opem ferre etiam inimicis. *Senec. de otioc. 28.*

Optimus iniuriam vlciscendi modus est, ne similis sis eam inferenti. Contemnit me quisquam? ipse viderit. Ego mihi cauebo, ne quid contemtu dignum vel egisse, vel dixisse deprehendar. Odit me quisquam? ipse viderit. At ego mitis esse et beneuolus cuique pergam; et huic etiam *M. Anton. l. 6. c. 6. l. 11. c. 13.*

ipsi, qui me odit, errorem ostendere paratus ero, non contumelioſe, neque vt patientiam meam ostentem, sed benigne, et ingenue: interius enim me ita affectum esse oportet, vt ipsi dei videant, me eum esse, qui nihil indigne aegreue feram.

Diog. Laert. in Pittac. segm. 78.

Amico noli maledicere, ac ne inimico quidem: inquiebat Pittacus.

Plut. Apophth.

Laudante quodam Cleomenis dictum, qui interrogatus, quodnam esset boni regis officium? responderat: *Amicis bene, inimicis male, facere: quanto rectius erat,* inquit Socrates, *amicis benefacere, ex inimicis autem amicos facere.*

Diog. Laert. in Pythag. segm. 13.

Sic inuicem viuendum esse dicebat Pythagoras, vt non ex amicis inimicos, verum ex inimicis amicos faciamus.

Valer. l. 4. c. 1.

2. M. Marcellus, etc. quum in consulatu eius Siculi de eo questum in vrbem venissent, nec Senatum vlla de re habuit, quia collega Valerius Laeuinus forte aberat, ne ob id Siculi in querendo timidiores essent: at vt is rediit, vltro de his admittendis retulit, querentesque de se patienter sustinuit: iussos etiam a Laeuino discedere, remanere, vt suae defensioni interessent, coëgit: ac deinde vtraque parte perorata, etiam excedentes curia subsecutus est, quo liberius Senatus sententiam ferret. Improbatis quoque eorum querelis, supplices et orantes, vt ab eo in clientelam reciperentur, clementer excepit: nullas aduersus illos inimicitias exercuit: et per reliquam vitam illis benefacere non destitit.

Plut. in Marcel.

Plut. in

Quum e carcere, atque ipsa vrbe Atheni-

ensium

ensium, profugisset orator Demosthenes; respexit aliquos ex inimicis, citato cursu vestigia sua subsequentes, et latebras pauidus quaesiuit. At illi eum saepius nomine compellatum tandem adsecuti, orauerunt, vt, posita formidine, pecuniam acciperet, quam domo ei attulerant in viaticum et subsidium; adhortatique sunt, ne casum ferret acerbius. Quibus Demosthenes: *Quomodo*, inquit, *possum non grauiter ferre, me ea vrbe carere, vbi tales inimicos habeam, quales alibi amici inueniri vix queant?* *Demosth.*

3. Magni animi est, iniurias in summa potentia pati: nec quidquam est gloriosius, principe impune laeso. *Sen. 1. de Clem. c. 20*

Cicero hanc laudem eximiam Caesari tribuit. Sed parum est, dicens, me hoc meminisse: spero etiam te, qui obliuisci nihil soles, nisi iniurias, quoniam hoc est animi, quoniam etiam ingenii tui, te aliquid de huius illo quaestorio officio cogitantem, etiam de aliis quibusdam quaestoribus reminiscentem recordari. Omnium victor regressus in vrbem, quod humanam excedat fidem, omnibus, qui contra se arma tulerant, ignouit. Simultates omnes, occasione oblata, libens deponebat. C. Memmii, cuius asperrimis orationibus non minore acerbitate rescripserat, etiam suffragator mox in petitione consulatus fuit. C. Caluo, post famosa epigrammata de reconciliatione per amicos agenti, vltro ac prior scripsit. Valerium Catullum, a quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stig- *Cicer. pro Ligar. c. 12.* *Vell. Pat. lib. 2. c. 56.* *Sueton. in Caes. c. 73.*

mata impoſita non diſſimulauerat, ſatisfacientem, eadem die adhibuit coenae.

A. Vict. Ep. c. 17. Veſpaſiani, inter cetera bona, illud ſingulare fuit, inimicitias obliuiſci: adeo, vt Vitellii hoſtis ſui filiam, locupletiſſime dotatam, ſplendidiſſimo coniungeret viro. Ferebat parienter amicorum motus, reſpondens contumeliis eorum, vt erat facetiſſimus, dictis iocularibus.

CAPVT XVIIII.

Iuſtitia victrix odii.

Valer. l. 6. cap. 5. 1. Cn. Domitius, tribunus plebis, M. Scaurum, principem ciuitatis, in iudicium populi Romani deuocauit, vt ſi fortuna adſpiraſſet, ruinam: ſin minus, certe ipſa obtrectatione ampliſſimi viri incrementum claritatis apprehenderet. Cuius opprimendi quum ſummo ſtudio flagraret, ſeruus Scauri ad eum noctu peruenit, *inſtructurum ſe eius accuſationem multis et grauibus domini criminibus*, promittens. Erat in eodem pectore inimicus et Domitius diuerſa aeſtimatione nefarium indicium perpendens: iuſtitia tamen vicit odium. Continuo enim, et ſuis auribus obſeratis, et indicis ore clauſo, duci eum ad Scaurum iuſſit. Accuſatorem etiam reo ſuo, ne dicam diligendum, certe laudandum: quem populus tum propter alias virtutes, tum hoc nomine libentius, et Conſulem, et Cenſorem, et Pontificem Maximum fecit.

Id. ibid. 2. Nec aliter ſe L. Craſſus in eodem iuſtitiae experimento geſſit. Cn. Carbonis nomen

nomen infesto animo, vtpote inimicissimum sibi, detulerat: sed tamen scrinium eius, a seruo adlatum ad se, complura continens, quibus facile opprimi posset, vt erat signatum, cum seruo catenato ad eum remisit. Quo pacto igitur inter amicos viguisse tunc iustitiam credimus, quum eam inter accusatores quoque et reos, tantum virium obtinuisse videamus?

Caput XX.

Vtilitas ex inimicis capienda.

1. Vulgus hominum satis habet, nullo malo ab inimicis affici: at viri prudentes etiam vtilitatem ex iis capiunt. Inimicus dicta, factaque nostra obseruare infenso animo non cessat, captans nocendi occasionem: quam ne praebeamus, cauemus. Haec autem cautio sensim affert studium et consuetudinem, rectam et inculpatam vitam agendi. *Plut. de vtilit. capienda ex inimic.*

Vis inimicum molestia afficere? Noli eum illiberalem, libidinosum, sceleſtum nominare: ipse esto humanus, castus, probus. Hinc Diogenes, quum eum interrogasset quidam, qua ratione vlciscereturinimicum? *Si ipse,* inquit, *quam optimus fias.* *Plut. Apophth.*

Quum accepisset Philippus, Macedoniae rex, se ab oratoribus Athenienſibus proscindi conuitiis in concione: *Magnam,* inquit, *ciusmodi hominibus gratiam habeo. Dabo enim operam deinceps, et verbis, et factis, vt illos mendacii coarguam.* *Plut. de vtilit. capiend. ex inimic.*

Plut. ibid. 2. Vere dictum est ab Antisthene, eum, qui probitatem suam saluam esse velit, opus habere vel veris amicis, vel inimicis vehementissimis: quod illi admonendo, hi criminando a vitiis auertant. Sed quoniam nostra aetate amicitia voce valde exili ad liberas reprehensiones est praedita, loquax in adulando, muta in castigando; audienda est nobis ex inimicis veritas. Quemadmodum enim Telephus, vt ferunt fabulae, domestico medico destitutus, vulnus hostili hastae sanandum praebuit: ita necesse est, vt ii, quos deficit beneuolus castigator, sermonem audiant infensi inimici, peccata eorum insectantis, non considerantes animum maledicentis, sed reprehensionis veritatem atque vtilitatem.

3. Sicut, qui volebat Iasonem Thessalum interficere, gladio vomicam eius aperuit, eaque rupta, salutem illi attulit: sic saepe conuicium ab irato homine, aut inimico iactum in nos, aperuit et sanauit morbum animi latentem, aut neglectum. At plerique maledictis impetiti, non dispiciunt, an vere aliquid ipsis obiiciatur, sed quid vicissim possint arguere in maledicentibus.

Ab inimico tuo notatus aliquo crimine; illud, si verum sit, maiore studio expurgare debes, quam commonstratam aliquam vestis tuae maculam. Si falsum; quaerenda tamen est caussa, quae criminationi occasionem dedit, cauendumque, ne deinceps committas aliquid aut affine, aut simile eius, quod obiectum fuit.

Multa

4. Multa sunt, quae inimicus magis deprehendit in nobis, quam amicus: quoniam, vt ait Plato, *caecus amor est.* Hiero, quum ei quidam inimicus oris foetorem exprobrasset, domum se ad vxorem recipiens: *Quid hoc*, inquit, *rei est? Cur tu mihi oris vitium non indicauisti?* Illa vero, vt erat pudica et simplex: *Existimabam*, ait, *omnes viros sic olere.* Adeo non animi tantum, sed etiam corporis vitia, saepe nobis nota fiunt ab inimicis prius, quam ab amicis.

Caput XXI.

A litibus est abhorrendum.

1. Conuenit cum in dando munificum esse, tum in exigendo non acerbum; in omnique re contrahenda, vendendo, emendo, conducendo, locando; vicinitatibus et confiniis aequum et facilem; multa multis de iure suo cedentem; a litibus vero, quantum liceat, et nescio, an paullo plus etiam, quam liceat, abhorrentem. Est enim non modo liberale, paullum nonnunquam de suo iure decedere, sed interdum etiam fructuosum: et *Cicer. 2. Off. c. 18.*

Pecuniam in loco negligere, maximum interdum est lucrum. *Terent. Adelph. act. 2. sc. 2. v. 8.*

Habenda quidem est ratio rei familiaris, quam dilabi sinere, flagitiosum est: sed ita, vt illiberalitatis auaritiaeque absit suspicio. Res autem familiaris quaeri debet *Cicer. ib. ib. c. 24.*

iis rebus, a quibus abest turpitudo: conseruari autem diligentia et parsimonia.

Isocrat. de permut.

2. Isocrates, vocatus in ius anno aetatis octogesimo secundo, orationem habuit, in qua his verbis ostendit, quam alieno a litibus animo semper fuisset: Sic adhuc vixi, vt nemo vnquam me vllius iniuriae, aut contumeliae, accusauerit; neque iudex, neque arbiter fuerit, qui de meis aduersus quenquam factis, aut dictis pronuntiauerit. Etenim caui, ne quid ipse erga quenquam delinquerem. Mihi vero si qua facta fuit iniuria, non iudicio quaesiui vindictam de inimicis, sed eorum amicis controuersiam dirimendam permisi.

Lysias Orat. 9.

3. Parum liberale, et nimis litigiosum esse existimo, vocare aliquem in ius propter maledicta.

Stobaeus Serm. 19.

Negabat Musonius, se vocaturum quenquam in ius. Se enim neque iniuria, neque contumelia affectum putabat, si maledictis lacessi, conspui, verberari contigisset: *Qui ignorant*, inquiebat, *quid honestum, aut turpe re vera sit, iniuriam se pati censent, si quis aut toruis oculis intueatur, aut irrideat, aut percutiat, aut conuiciis lacessat. At vir sapiens his omnibus non perturbatur: non illa pati, sed facere, turpe ducens. Itaque nemo mente praeditus propterea ad accusationem et forum conuertetur, vtpote qui sibi nullam accepisse iniuriam videatur.*

CAPVT

CAPVT XXII.

Paci consulendum, nec bella acerbe gerenda.

1. Quum sint duo genera decertandi; vnum per disceptationem, alterum per vim: quumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum: confugiendum est ad posterius, si vti non licet superiore. Paci, quae nihil habitura sit insidiarum, semper est consulendum. Quare suscipienda quidem bella sunt eam ob caussam, vt sine iniuria in pace viuatur. Parta autem victoria, conseruandi ii, qui non crudeles in bello, non immanes fuerunt. Vt Romani Tusculanos, Aequos, Volscos, Sabinos, Hernicos, in ciuitatem etiam acceperunt: at Carthaginem et Numantiam funditus sustulerunt. *Cicer. I. Offic. c. II.*

2. Quum vero de imperio decertatur, belloque quaeritur gloria, causssas omnino subesse tamen oportet easdem, quas dixi iustas causssas esse bellorum. Sed ea bella, quibus imperii gloria proposita est, minus acerbe gerenda sunt. Quod egregie praestiterunt Ptolemaeus, rex Aegypti, et Demetrius, Antigoni filius. Quum a Ptolemaeo Demetrius victus esset, maior Ptolemaei moderationis gloria, quam ipsius victoriae fuit. Siquidem et amicos Demetrii non solum cum suis rebus dimisit, verum etiam additis insuper muneribus honorauit, et ipsius Demetrii priuatum omne instrumentum ac familiam reddidit, adiecto honore verborum: *Se non propter praedam, sed propter* *Ib. c. 12.* *Iustin. l. 13. cap. I.*

Ibid. c. 2. *dignitatem iniisse bellum.* Non multo post Ptolemaeus iterum congressus cum Demetrio nauali praelio, et amissa classe, hostique concessa victoria, in Aegyptum refugit. Demetrius filium Ptolemaei, Leontiscum, et fratrem, Menelaum, amicosque eius, cum priuati instrumenti ministerio, pari prouocatus antea munere, Aegyptum remisit, vt appareret, eos non odio, sed dignitatis gloria accensos, donis muneribusque inter ipsa bella contendere. Tanto honestius tunc bella gerebantur, quam nunc amicitiae coluntur.

Caput XXIII.

Iustitia hostes vincere glorioſius est, quam armis.

Polyb. l. 5. 1. Factis honestis atque iustitia hostes vincere, non minor, immo etiam vtilior res est, victoria armis parta. Hic enim necessitate compulsi hostes cedunt, illic sponte. Haec victoria magnis cum damnis reuocat ad officium male sanos: illa vero sine detrimento in viam rectam reducit aberrantes. Praeterea vbi armis res geritur, pars potissima victoriae opus est militis: vbi vero iustitia, totum decus eorum est, qui praesunt.

Liuius l. 5 c. 27. Romani, Camillo duce, obsidebant iam dudum Falerios, Falisco rum vrbem. Mos erat Falisc is, eodem magistro liberorum et comite vti: simulque plures pueri vnius curae demandabantur. Principum liberos, sicut fere fit, qui scientia videbatur praecelle-

cellere, erudiebat. Is quum in pace instituisset pueros ante vrbem lusus exercendique caussa producere; nihil eo more per belli tempus intermisso, dummodo breuioribus, modo longioribus spatiis trahendo eos a porta lusu, sermonibusque variatis longius solito, vbi res dedit, progressus, inter stationes eos hostium, castraque inde Romana in praetorium ad Camillum perduxit. Ibi sceleſto facinori sceleſtiorem sermonem addidit: Falerios se in manus Romanis tradidisse, quando eos pueros, quorum parentes capita ibi rerum sint, in potestatem dediderit.

Quae vbi Camillus audiuit: *Non ad similem*, inquit, *tui, nec populum, nec imperatorem sceleſtus ipse cum sceleſto munere veniſti. Nobis cum Faliſcis, quae pacto fit humano, ſocietas non eſt; quam ingenerauit natura vtrisque, eſt eritque. Sunt et belli, ſicut pacis, iura; iusteque ea non minus, quam fortiter, didicimus gerere. Arma habemus, non aduerſum eam aetatem, cui etiam, captis vrbibus, parcitur: ſed aduerſus armatos, et ipſos, qui nec laeſi, nec laceſſiti a nobis, caſtra Romana ad Veios oppugnarunt. Eos tu, quantum in te fuit, nouo ſcelere viciſti: ego Romanis artibus, virtute, opere, armis, ſicut Veios, vincam.*

Denudatum deinde eum, manibus post tergum illigatis, reducendum Falerios pueris tradidit: virgasque eis, quibus proditorem agerent in vrbem verberantes, dedit. Ad quod spectaculum concursu populi primum facto, deinde a magistrati-

bus de re noua vocato senatu: tanta mutatio animis est iniecta, vt, qui modo efferati odio iraque, Veientium exitum, paene quam Capenatium pacem mallent, apud eos paeem vniuersa posceret ciuitas. *Fides Romana, iustitia imperatoris, in foro et curia celebrantur:* consensuque omnium legati ad Camillum in castra, atque inde, permissu Camilli Romam ad senatum, qui dederent Falerios, proficiscuntur. Introducti ad senatum ita locuti traduntur: *Patres conscripti, victoria, cui nec deus, nec homo quisquam inuideat, victi a vobis et imperatore vestro, dedimus nos vobis: rati, quo nihil victori pulchrius est, melius nos sub imperio vestro, quam legibus nostris victuros. Euentu huius belli duo salutaria exempla prodita humano generi sunt. Vos fidem in bello, quam praesentem victoriam maluistis: nos fide prouocati, victoriam vltro detulimus. Sub ditione vestra sumus. Mittite, qui arma, qui obsides, qui vrbem patentibus portis accipiant: nec vos, fidei nostrae, nec nos imperii vestri poenitebit.* Camillo, et ab hostibus, et a ciuibus gratiae actae. Pace data, exercitus Romam reductus.

Cic. 1. *Offic. c.* 13. 3 *Off. c.* 22.

3. Pyrrhi bello maximum exemplum est iustitiae in hostem a maioribus nostris constitutum. Quum enim rex Pyrrhus populo Romano bellum vltro intulisset, quumque de imperio certamen esset cum rege generoso ac potente; perfuga

fuga ab eo venit in castra Fabricii, eique est pollicitus, si praemium sibi proposuisset, se, vt clam venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum, et eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curauit ad Pyrrhum: idque factum eius a senatu laudatum est: Atqui si speciem vtilitatis, opinionemque quaerimus, magnum illud bellum perfuga vnus, et grauem aduersarium imperii sustulisset. Sed magnum dedecus, et flagitium, quicum laudis certamen fuisset, (venenis certasse cum hoste, non armis;) eum non virtute, sed scelere superatum.

Hanc Fabricii magnitudinem animi admirans Pyrrhus, exclamasse fertur: *Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quam sol a cursu suo, auerti potest.* Gratias et Fabricio et populo Romano egit; et ne ipse beneficio victus videretur, quoscunque tum habebat captiuos Romanos, dimisit sine pretio, et bene vestitos. Quin etiam ad pacem et amicitiam impetrandam misit Romam Cineam, legatum, cum muneribus pretiosis, tam feminarum, quam virorum, aptis vsui. Quae munera quum adspernati essent ii, quibus primum oblata fuerant, et ad alios ostiatim deferrentur; tanta Romani omnes abstinentia fuere, vt nullus vir, nulla mulier, patere ianuam suam regiis donis recipiendis voluerit. Et ne captiui, quos rex remiserat, gratis reciperentur, totidem pro his Tarentinorum Samnitumque remissi sunt ad Pyrrhum.

Eutrop. l. 2. cap. 8.

A. Gell. l. 3. c. 8.

Plut. in Pyrrho.

Valer. l. 4. c. 3. Liuius l. 34 c. 4.

Iisdem

Iustin. l. 18. *c.* 2. Iisdem ferme temporibus, vt refert Iustinus, simile huic totius populi continentiae exemplum fuit quorundam legatorum Romanorum. Nam missi a senatu in Aegyptum legati, quum ingentia sibi a Ptolemaeo, rege, missa munera spreuissent; interiectis diebus, ad coenam inuitatis, aureae coronae missae sunt, quas illi honoris caussa receptas, postero die statuis regis imposuerunr.

Caput XXIIII.

Cic. 3. Off. c. 29. ***Fides iurisiurandi saepe cum hoste seruanda.***

Id. 1. *Off. c.* 13. *et l.* 3. *c.* 29. 1. Atque etiam si quid singuli, temporibus adducti, hosti promiserint, est in eo ipso fides seruanda. Est enim iusiurandum affirmatio religiosa: quod autem affirmate, quasi deo teste, promiseris, id tenendum est.

ibid. l. 1. *c.* 13. Vt primo Punico bello Regulus captus a Poenis, quum de captiuis commutandis Romam missus esset, iurasserque se rediturum.

3. *ibid. c.* 27. Quid fecit? in senatum venit: mandata exposuit: sententiam ne diceret, recusauit: quamdiu iureiurando hostium teneretur, non esse se senatorem. Atque illud etiam reddi captiuos, negauit esse vtile; illos enim adolescentes esse, et bonos duces, se iam confectum senectute. Cuius quum valuisset auctoritas, captiui retenti sunt,

sunt: ipse Carthaginem rediit: neque eum caritas patriae retinuit, nec suorum.

Neque vero tum ignorabat, se ad crudelissimum hostem, et ad exquisita supplicia proficisci: sed iusiurandum conseruandum putabat. Itaque tum, quum vigilando necabatur, erat in meliore caussa, quam si domi senex captiuus, periurus, consularis remansisset. Senatui nisi ipse auctor fuisset, captiui profecto Poenis redditi essent Ita incolumis in patria Regulus restitisset. Quod quia patriae non vtile putauit, idcirco sibi honestum et sentire illa, et pati credidit. *ibid.* *ibid. 3. c.* 30.

Sed ex tota hac laude Reguli, vnum illud est admiratione dignum, quod captiuos retinendos censuerit. Nam quod rediit, nobis nunc mirabile videtur: illis quidem temporibus, aliter facere non potuit. Itaque ista laus non est hominis, sed temporum. Nullum enim vinculum ad adstringendam fidem iureiurando maiores arctius esse voluerunt. *ibid. 3. c.* 31.

2. Octo Romanorum millia, post Cannensem pugnam, in Poenorum manus venerant. Quum Hannibal illis redimendi se copiam feciſſet; decem elegerunt, qui Romam ad senatum irent. Nec Poeni pignus aliud fidei ab eis postularunt, quam vt iurarent, se in castra redituros, nisi a senatu impetrassent, captiuos redimi. Quum egressi e castris essent; vnus ex iis, in castra paullo post reuersus, quasi aliquid esset oblitus, *Liuius l.* 22. *c.* 58. *Cicer.* 1. *Offic. c.* 13 *et l.* 3. *c.* 32. *ibid. l.* 3. *cap.* 32.

ante

ibid. 1. *c.* 13. ante noctem comites adsecutus est. Iureiurando se solutum putabat: et erat verbis, re non erat.

Liu. l. 22. *c.* 59. Legatis captiuorum in senatum introductis, eorum princeps M. Iunius multa dixit, cur captiui redimendi essent, et ad mouendam

ibid. c. 60. Patrum misericordiam nihil omisit. Vbi is finem fecit, extemplo ab ea turba, quae in comitiis erat, clamor flebilis est sublatus, manusque ad curiam tendebant, orantes, vt sibi liberos, fratres, cognatos, redderent. Feminas quoque metus ac necessitas turbae huic virorum in foro immiscuerat. Consulti ex ordine senatores decreuerunt, captiuos non esse redimendos, quum id parua pecunia fieri posset: vt esset insitum militibus Romanis,

cap. 61. aut vincere, aut mori. Quum triste responsum, *non redimi captiuos*, redditum esset, nouusque super veterem luctus tot iactura ciuium adiectus esset, cum magnis fletibus questibusque legatos ad portam prosecuti sunt. Vnus ex iis domum abiit, quod fallaci reditu in castra iureiurando se exsoluisset. Quod vbi innotuit, relatum ad senatum est. Omnes censuerunt, comprehendendum, et custodibus publice datis deducendum ad Hannibalem esse.

Cicer. 1. *Offic. c.* 10. 3. Exsistunt etiam saepe iniuriae calumnia quadam, et nimis callida, sed malitiosa iuris interpretatione. Ex quo illud, summum ius, summa iniuria, factum est iam tritum sermone prouerbium. Quo in genere etiam in republica multa peccantur. Vt ille, qui, quum triginta dierum essent cum hoste

hoſte pactae induciae, noctu populabatur agros: quod dierum eſſent pactae, non noctium induciae.

Q. Labeonem ferunt, quum a rege Antiocho, quem bello ſuperauerat, ex foedere icto, dimidiam partem nauium accipere deberet, medias omnes ſecuiſſe, vt eum tota claſſe priuaret. *Valer. l. 7. cap. 3.*

Idem Labeo, arbiter Nolanis et Neapolitanis de finibus a ſenatu datus, quum ad locum veniſſet, cum vtrisque ſeparatim eſt locutus, vt ne cupide quid agerent, ne appetenter; atque vt regredi, quam progredi mallent. Id quum vtrique feciſſent, aliquantum agri in medio relictum eſt. Itaque illorum fines, ſicut ipſi dixerant, terminauit: in medio relictum quod erat, populo Romano adiudicauit. Decipere hoc quidem eſt, non iudicare. Quocirca in omni re fugienda eſt talis ſolertia. *Cic. 1. Offic. c. 10.*

CAPVT XXV.

Iusiurandum colito.

1. Iusiurandum optime coles, ſi eo nec frequenter vtaris, nec temere: ſed in rebus tantum neceſſariis, aut grauiſſimis, adhibeas. Inuenient autem iuramenta tua fidem apud eos, qui audient, ſi ita vixeris, vt iis perſuaſum ſit, nihil tibi ſiue iurato, ſiue iniurato, videri veritate ſanctius in rebus mortalium. *Hierocles in carm. Pyth.*

Iurandi conſuetudine in periurium facile prolabimur. Contra quum parce iuratur, ſancte iuratur.

In

Quinctil. l. 9. cap. 2. In totum iurare, nisi vbi necesse est, gravi viro parum conuenit.

Epict. c. 44. Simpl. in Epict. Iusiurandum refuge, si possis, prorsus: si minus, quum licet. Quum enim iusiurandum deum citet testem eorum, quae dicuntur; parum pium et religiosum videtur esse, diuinum numen aduocare ob res humanas, quarum plurimae, paruae vilesque sunt.

Isocrat. ad Dem. 2. Iusiurandum si postulabitur, duabus de caussis dabis: vel vt temet ipsum turpi crimine liberes, vel vt amicos periculis eripias. Pecuniae vero caussa, per nullum deum iurabis, etiamsi id vere facere possis.

Diod. Sic. l. 6. Diog. Laert. in Pythag. segm. 22. S. Basil. de legend. lib. gent. Pythagoras discipulis praecipiebat, vt ad iurandum raro et tarde accederent; se vero dignos praeberent, quibus non iurantibus fides haberetur, propter vitae integritatem. Itaque Clinias Pythagoricus, quum trium talentorum multam iureiurando effugere posset, maluit tantae pecuniae damnum facere, quam iurare: quum tamen non esset falso iuraturus.

Valer. l. 2. c. 10. Cic. pro Balbo c. 5. Quantum porro honoris Athenis Xenocrati, sapientia pariter ac sanctitate claro, tributum est? Qui quum testimonium publice dixisset, et (vt mos Graecorum est) iurandi caussa ad aras accederet; vna voce omnes iudices, ne is iuraret, reclamarunt: quodque sibimet ipsis postmodum dicendae sententiae loco remissuri non erant, sinceritati eius concedendum existimarunt.

Plato l. 12. de Rep. 3. Olim, quum hominibus deorum cura et reuerentia esset, iureiurando in singulis caussis a litigantibus requisito, res cito simul

et

et tuto diiudicabantur: nunc vero, quoniam pessimi homines, quorum magna multitudo est, deos res humanas curare non credunt, aut eos hostiis et blanditiis ita sibi conciliari posse putant, vt liceat impune vel grandem pecuniam aliis eripere, vel impositam sibi grauem multam effugere; commutandae leges sunt. Itaque prudens legum lator in iudiciorum disceptatione prohibebit iusiurandum litigantium, ne, si iurandi licentia cuique detur, plures periuri fiant.

Phryges ab omni abstinebant iuramento, ita, vt nec ipsi iurarent, nec alios ad iusiurandum adigerent. *Nicol. Damasc.*

Rarus fuit priscis Romanis vsus iurisiurandi, immo et testium et signorum, in priuatis pactionibus: quia vix inueniebatur, qui datam fidem falleret. *Grotius ex Polyb.*

4. Apud Aegyptios periuri capite multabantur, vt qui pietatem in deos violarent, et fidem inter homines tollerent, maximum vinculum societatis humanae. *Diod. Sic. l. 1.*

Si quis peieret, a diis poenam, ab hominibus dedecus exspectet. Latere quidem homines potest: at deos non potest. *Aristot. Rhetor. c. 18.*

Periurii poena diuina, exitium: humana dedecus. *Cic. 2. leg. c. 9.*

Qui iuramento hostem circumuenit, fatetur, se hominem timere, deum vero contemnere. *Plutarch. in Lys.*

Si

Hesiod. Theog. v. 793. ſ.

Si quis deorum, vt fingunt poëtae, per Stygem iurando peieraſſet: per annum totum nihil ambroſiae et nectaris deguſtabat; iacebat lecto affixus, vocis et ſpiritus expers, graui veterno oppreſſus: nouem quoque annos agebat procul a ceteris diis, non eorum conciliis intererat, non epulis.

CAPVT XXVI.

Seruis imperare moderate, laus eſt.

Cicer. I. Offic. c. 13.

1. Meminerimus, etiam aduerſus infimos iuſtitiam eſſe ſeruandam. Eſt autem infima conditio et fortuna ſeruorum: quibus, non male praecipiunt, qui ita iubent vti, vt mercenariis: operam exigendam, iuſta praebenda.

Seneca I. de Clem. c. 18.

Seruis imperare moderate, laus eſt: et in mancipio cogitandum eſt, non quantum illud impune pati poſſit, ſed quantum tibi permittat aequi bonique natura: quae parcere etiam captiuis, et pretio paratis, iubet. Quum in ſeruum omnia liceant, eſt aliquid, quod in hominem licere commune ius animantium vetet: quia eiusdem naturae eſt, cuius tu.

Idem 3. de ira c. 40.

2. Quis non Vedium Pollionem oderit, quod muraenas ſanguine humano ſaginabat; et ſeruos, qui ſi aliquid offenderent, in viuarium obiici iubebat? O hominem mille mortibus dignum! Quum aliquando apud eum coenaret Auguſtus; fregerat vnus ex ſeruis eius vas cryſtallinum. Rapi eum (ad

mor-

mortem) Vedius iussit, nec vulgari quidem periturum morte: muraenis obiici iubebatur, quas ingens piscina continebat. Euasit e manibus puer, et confugit ad Caesaris pedes, nil aliud petiturus, quam vt aliter periret, nec esca piscium fieret. Motus est nouitate crudelitatis Caesar, et illum quidem mitti, crystallina autem omnia coram se frangi iussit, complerique piscinam. Fuit Caesari sic castigandus amicus: bene vsus est viribus suis.

3. Superbissima consuetudo coenanti domino stantium seruorum turbam circumdedit. Est ille plus, quam capit, et ingenti auiditate onerat distentum ventrem, etc: at infelicibus seruis mouere labra, ne in hoc quidem, vt loquantur, licet. etc. Nocte tota ieiuni, mutique perstant. Sic fit, vt isti de domino loquantur, quibus coram domino loqui non licet. *Idem Ep. 47.*

Prouerbium iactatur: *Totidem esse hostes, quot seruos.* Non habemus illos hostes, sed facimus, quod nec tanquam hominibus quidem, sed tanquam iumentis abutimur. Cogitemus, istum, quem seruum nostrum vocamus, ex iisdem seminibus ortum, eodem frui coelo, aeque spirare, aeque viuere, aeque mori. *ibid.*

4. Sic cum inferiore viuas, quemadmodum tecum superiorem velles viuere, etc. Viue cum seruo clementer. Comiter quoque et in sermonem admitte, et in consilium, in conuictum. etc. Non est, quod amicum in foro, et in curia tantum quaeras: si diligenter attenderis, et domi inuenies. Virtus nulli *ibid.*

prae-

id. 3. de benef. c. 18. praecluſa eſt, omnes admittit, ingenuos, ſeruos, reges, exſules. Non cenſum eligit: nudo homine contenta eſt. Poteſt ſeruus iuſtus eſſe, fortis, magnanimus. Dicitur Nicol. Damaſcenus, ſcriptor celeberrimus, maximam in erudiendis famulis curam poſuiſſe, et eos ad morum ſuorum ſimilitudinem formaſſe quotidiana cum illis viuendi conſuetudine. Itaque eos expertus eſt non deteriores amicis ſuis.

Nicol. Damaſc.

Seneca Ep. cit. 5. Ego non miniſteriis ſeruos aeſtimabo, ſed moribus. Quemadmodum ſtultus eſt, qui, equum emturus, non ipſum inſpicit, ſed ſtratum eius ac frenos: ſic ſtultiſſimus eſt, qui hominem aeſtimat aut ex veſte, aut ex conditione. Seruus eſt? ſed fortaſſe liber animo. Seruus eſt? oſtende, quis (noſtrum) non ſit? Alius libidini ſeruit, alius auaritiae, alius ambitioni, (fere) omnes timori. Nulla ſeruitus turpior eſt, quam voluntaria.

ibid. Ne te faſtidioſi iſti, ſuperbique domini deterreant, quo minus ſeruis tuis hilarem te praebeas. Colant potius te, quam timeant, etc. Id non debet dominis parum eſſe, quod deo ſatis eſt, qui colitur, et amatur. Non poteſt amor cum timore miſceri. Rectiſſime ergo te facere iudico, quod timeri a ſeruis tuis non vis, quod verborum (tantum) caſtigatione vteris. Verberibus muta animalia admonenda ſunt.

Lucian. in Demon. T. II. p. 580. Lacedaemonio cuidam, flagris ſaeuienti in ſeruum: *deſine*, inquit Demonax, *te ſeruo tuo ſimilem oſtendere.*

Diod. Sic. Apud Aegyptios ſi quis ſeruum ſponte occide-

ciderat, eum morte damnari, aeque ac si liberum occidisset, iubebant leges, non respicientes hominis occisi fortunam, sed facinoris atrocitatem. *l. 1.*

6. Quum Adrianus, Imperator, stilo oculum serui cuiusdam sui vulnerasset, ac postea eum vidisset factum ex illo vulnere vnoculum: vocauit ad se, fecitque ei potestatem petendi munus pro amisso oculo. Quum autem ille miser taceret; rursus hortatus est Adrianus, vt quidquid vellet, peteret. Tum ille negauit, *se quidquam petere, desiderare autem atque optare oculum, quem amisisset.* Enimuero quod tandem munus inueniri possit, quo oculus amissus rependatur? *Galen. de affect.*

7. Roma redeunti mihi, inquit Galenus, itineris comes factus est quidam patria Cretensis, vir bonis moribus, in amicos beneuolus, et liberalis, sed sic iracundus, vt suis ipsius manibus aduersus seruos vteretur. Is furore percitus, quod serui duo, de supellectili sua interrogati, nihil respondissent, eos in caput ita percussit, vt sanguis multus effluueret. Quum ipsum deinde facti poenituisset; me manu adreptum introducit in aedes quasdam: deinde lorum porrigens, vbi se ipsum exuit, iubet verberare, pro iis, quae furore nefario, vt ipse vocabat, correptus patrauerat. Quum autem ego, vt par erat, in risum prorumperem; ille mihi ad genua procumbens instabat, obsecrabatque, vt eius precibus adnuerem. Ego contra eo maiores risus edebam, quo diutius illum perseuerantem videbam in proposito, vt caederetur. Tandem *Galen. ib.*

promisi, me facturum, quod petebat, hoc est, ei verbera illaturum, si ipse quoque valde exiguum quiddam, quod ego eram petiturus, mihi vicissim praestaret. Vbi illi conditio placuit: rogaui hominem, vt me, quaedam dicentem, audire vellet. Quod ille se facturum, aequo animo dixit. Tum ego longiori sermone illum docui, quemadmodum ratione emendari et coërceri oporteat, quidquid est in nobis iracundiae et furoris. Et multa attuli, vt probarem, non verberibus, sed alio modo peccata esse corrigenda. Quum ille interea ad se ipsum rediisset; longe postea se ipso melior effectus est.

CAPVT XXVII.

Dominorum benignitas in seruos.

Iustin. l. 43. *c.* 1. 1. Antiquissimus Italiae rex, Saturnus, tantae iustitiae fuisse traditur, vt neque seruierit sub illo quisquam, neque quidquam priuatae rei habuerit; sed omnia communia, et indiuisa omnibus fuerint, veluti vnum cunctis patrimonium esset. Haec aetas aurea vocata est. Ad seruandam tam felicis temporis memoriam, instituta sunt apud Graecos et Romanos Saturnalia, in quibus dominorum ac seruorum ius aequabatur. Immo per eos dies serui habitum herilem sumentes, sedebant ad mensam, dominis ministrantibus, aut vna sedentibus: honores in aedibus gerebant: ius dicebant. Causidici Romae non veniebant in forum. Clausae erant scholae. Gestabantur pilei. Bellum sumere nefas habitum: poenas a nocente iisdem diebus exigere, piaculare erat.

Athen. l. 14. *c.* 10. *Dio l.* 58. *Senec. Ep.* 47. *Martial. passim. Macrob.* 1. *Sat. c.* 10.

2. Non-

2. Nonnulli Romanorum seruos, quorum fideli opera vsi erant, donabant libertate, numerabant inter amicos, heredes scribebant. Patet ex Plinii epistolis, quae fuerit eius benignitas in manumittendis seruis, et in concedenda testamenti conficiendi licentia: qui dolor de eorum infirmitatibus aut mortibus: quae cura et sollicitudo, vt aegris nihil deesset ad conualescendum ex morbo. *Plinius lib. 2. Ep. 16. l. 5. Ep. 19. l. 8 Ep. 1. et 16.*

3. Exstant quoque plurimae Ciceronis epistolae, quae declarant eius sollicitudinem de valetudine Tironis serui, quem Patris, in Achaia, aegrum reliquerat; simulque quam parum propterea sumtui pepercerit, et quam studiose eum amicis suis commendauerit. Haec autem est summa illarum epistolarum. *Cicer. Ep. ad fam. l. 16.*

Paullo facilius putaui posse me ferre desiderium tui: sed plane non fero. Et quanquam magni ad honorem nostrum interest, quam primum ad vrbem me venire: tamen peccasse mihi videor, qui a te discesserim. etc. Tu autem hoc tibi persuade, si commodo valetudinis tuae fieri possit, nihil me malle quam te esse mecum: si autem intelliges opus esse, te Patris, conualescendi caussa, paullum commorari, nihil me malle, quam te valere. etc. Quod valetudini tuae maxime conducet, si feceris, maxime obtemperaris voluntati meae. Haec pro tuo ingenio considera. Innumerabilia tua sunt in me officia domestica, forensia, vrbana, prouincialia: in re priuata, in publica, in studiis, in litteris nostris. Omnia viceris, si, vt spero, te validum videro. Illud, mi Tiro, te rogo, *Cicero l. c. Ep. 1. Epist. 4.*

rogo, sumtui ne parcas vlla in re, quod ad valetudinem opus sit. Scripsi ad Curium, quod dixisses, daret medico: ipsi puto aliquid dan-
Epist. 5. dum, quo sit studiosior. Ego omnem spem tui diligenter curandi in Curio habeo. Nihil potest illo fieri humanius, nihil nostri amantius. Ei te totum trade. A. quoque Varroni, quem tum amantissimum mei cognoui, tum etiam valde tui studiosum, diligentissime te commendaui: quem omnia facturum confido: recepit enim, et mecum locutus est suauissime. Festinare te nolo. Nihil laboro,
Epist. 9. nisi vt saluus sis. Tuam prudentiam, tuum erga me animum, noui. Scio, te omnia facturum, vt nobiscum quamprimum sis. Sed
Epist. 8. tamen ita velim, vt ne quid properes. Quanquam videre te tota cogitatione cupio: tamen te penitus rogo, ne te tam longae nauigationi, et viae per hiemen, nisi bene fir-
Epist. 7. mum, committas. Cura igitur te, et confirma: et quum commode, et per valetudinem, et per anni tempus nauigare poteris, ad nos, amantissimos tui, veni. Nemo nos amat, qui te non diligat. Carus omnibus exspectatusque venies. Vale, mi Tiro, vale, vale, et salue.

Ad Attic. l. 7. Ep. 5. Hunc Tironem, quem postea manumisit, vere amabat Cicero, vt ipse his verbis scribit ad Atticum: De Tirone, video tibi curae esse: quem quidem ego, etsi mirabiles vtilitates mihi praebet, quum valet, in omni genere vel negotiorum, vel studiorum meorum: tamen propter humanitatem, et modestiam, malo saluum, quam propter vsum meum.

Stob. serm. 4. Quam iucunda res est seruis, bonos dominos

minos nanciſci, et dominis, ſeruos bene- 60. *ex Eu-*
uolos. *rip.*

Quum ſtipendia faceret Cato maior, in *Plutarch.*
agmine ferebat ipſe arma ſua. Seruus eum *in Cat.*
vnus ſequebatur, qui cibaria portabat: cui *Mat.*
quidem prandium, aut coenam quamlibet apponenti, nunquam ſuccenſuiſſe dicitur, turpiſſimum eſſe exiſtimans, cum ſeruis ventris cauſſa rixari: immo eum ipſe, expletis militaribus muneribus, ſaepius adiuuit ad coquendos et parandos cibos. In pace, reuerſus ad villam, iisdem, quibus ſerui, operibus vacabat, eidem cum illis menſae accumbebat, eodem veſcebatur pane, atque idem bibebat vinum. In multis aliis rebus tam benignum in ſeruos herum agebat, vt illi vbique praedicarent magnam eius moderationem, aſſiduos labores, facete aut grauiter dicta.

Vnum tamen fuit, in quo Catonis deſide- *ibid.*
rabatur humanitas. Nempe ſeruos, vbi conſenuiſſent, venundandos putabat, neque alendos inutiles. Quod quidem quid aliud erat, quam ſeruis, ſicut iumentis, abuti? atque exiſtimare, nullam homini cum homine intercedere ſocietatem, niſi quaeſtus cauſſa. Ego vero, inquit Plutarchus, ne bouem quidem operarium velim domo abigere ob ſenium, et pecuniola aliqua venundare, nedum hominem. Exercenda enim manſuetudine erga bruta animantia adſuefacere nos debemus benignitati in homines, quae latius certe patet, quam conſtituta legibus iuſtitia.

CAPVT XXVIII.

Seruorum in dominos fides.

Senec. Ep. 47. 1. Serui, quibus non tantum coram dominis, sed cum ipsis erat sermo, quorum os non consuebatur, parati erant, pro domino porrigere ceruicem, periculum imminens in caput suum auertere. In conuiuiis loquebantur, sed in tormentis tacebant.

Valer. l. 6 cap. 8. C. Plotius Plancus, a Triumuiris, Antonio, Lepido et Octauio, proscriptus, latebat. etc. Ab iis, qui latentem quaerebant, comprehensi serui eius, multum ac diu torti, negabant se scire, vbi dominus esset. Non sustinuit deinde Plancus tam fideles, tamque boni exempli seruos vlterius cruciari: sed processit in medium, iugulumque gladiis militum obiecit. Quod certamen mutuae beneuolentiae arduum dignosci facit, vtrum dignior dominus fuerit, qui tam constantem seruorum fidem experiretur; an serui, qui tam iusti domini misericordia quaestionis saeuitia liberarentur.

Vid. 2. M. Antonius, auorum nostrorum temporibus clarissimus orator, incesti reus agebatur; cuius in iudicio accusatores seruum in quaestionem perseuerantissime postulabant; quod ab eo, quum ad stuprum iret, laternam praelatam contenderent. Erat autem is etiam tum imberbis, et stabat coram, videbatque rem ad suos cruciatus pertinere, nec tamen eos fugitauit. Ille vero, vt domum ventum est, Antonium hoc nomine vehementius confusum et sollicitum, vltro est hortatus, vt se iudicibus ad torquendum trade-

traderet; affirmans, nullum ore suo verbum exiturum, quo caussa eius laederetur. Ac promissi fidem mira patientia praestitit; plurimis etiam laceratus vulneribus, equuleoque impositus, candentibus etiam laminis vstus, omnem vim accusationis, custodita rei salute, subuertit. Argui fortuna merito potest, quod tam pium, et tam fortem spiritum seruili nomine inclusit.

3. Quid Vrbinii Panopionis seruus, quam admirabilis fidei? Qui quum ad dominum proscriptum occidendum, domesticorum indicio certiores factos milites in Reatinam villam venisse cognosceret, commutata cum eo veste, permutato etiam annulo, illum postico clam emisit, se autem in cubiculum ac lectulum recepit, et vt Panopionem occidi se passus est. *Ibid.*

Seruus barbarus Asdrubalem, quod dominum suum occidisset, grauiter ferens, subito adgressus, interemit. Quumque comprehensus omni modo cruciaretur; laetitiam tamen, quam ex vindicta ceperat, in ore constantissime retinuit. *Valer. l. 3. cap. 3.*

Caput XXVIIII.

Omnes omnium caritates patria complectitur.

1. Iustitia, vt ante dictum est, versatur in communi societate tuenda, tribuendoque suum cuique. Quoniam vero varii sunt necessitudinum gradus in ea, quae latissime patet, omnium hominum inter se societate, suntque officia, quae aliis magis, quam aliis, *Cicero* I *Off. cap.* 17. *et* 18.

sup. 17. debeantur: si quaeratur, quibus plurimum tribuendum officii; principes sunt, patria, et parentes, quorum beneficiis maxime obligati sumus: proximi, liberi, totaque domus, quae spectat in nos solos, neque aliud vllum potest habere perfugium: deinceps, bene conuenientes propinqui, quibuscum etiam communis plerumque fortuna est.

ibid. Omnium societatum nulla est grauior, nulla carior, quam ea, quae cum republica est vnicuique nostrum. Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium caritates patria vna complexa est, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus?

Cicero pro Sex. c. 21. 2. Vitae breuis est cursus, gloriae sempiternus. Quum sit omnibus definita mors, optandum est, vt vita patriae potius donata, quam reseruata naturae videatur.

Pro Plancio, c. 37. Ego vero ne immortalitatem quidem contra remp. accipiendam putarem, nedum emori cum pernicie reipublicae vellem. Nam qui pro republica vitam dediderunt, nunquam eos mortem potius, quam immortalitatem, adsecutos putaui.

Somn. Scip. c. 3. Quo sis, Africane, alacrior ad tutandum rempublicam, sic habeto: omnibus, qui patriam conseruarint, adiuuerint, auxerint, certum esse in coelo, ac definitum locum, vbi beati, aeuo sempiterno fruantur.

1. de Or. sup. 44. 3. Si nos, id quod maxime debet, nostra patria delectat, cuius rei tanta est vis, ac natura, vt Ithacam illam, in asperrimis saxulis, tanquam nidulum, affixam, sapien-

tissi-

tissimus vir immortalitati anteponeret.

Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, et immemores non sinit esse sui. *Ouid. 1. de Ponto Ep. 3. v. 35. s.*

Caput XXX.

Dulce et decorum est, pro patria mori. *Horat. l. 3. Od. 2. v. 13*

1. Rex Athenienſium, Codrus, quum ingenti exercitu Attica regio debilitata, ferro inique vaſtaretur, diffidentia humani auxilii, ad Apollinis Delphici oraculum confugit, perque legatos ſciſcitatus eſt, quonam modo illud tam graue bellum diſcuti poſſet. Reſpondit deus: ita illi finem fore, ſi ipſe hoſtili manu occidiſſet. Quod quidem non ſolum in totis Athenienſium caſtris, ſed etiam contrariis percrebuit. Eoque factum eſt, vt ediceretur, ne quis Codri corpus vulneraret. Id poſtquam cognouit, depoſitis inſignibus imperii, * familiarem cultum induit: ac pabulantium hoſtium globo ſeſe obiecit: vnumque ex his falce percuſſum, in caedem ſuam compulit. Cognito regis corpore, Dorienſes ſine proelio diſcedunt. Atque ita Athenienſes virtute ducis, pro ſalute patriae morti ſe offerentis, bello liberantur. Quis Codrum non miretur, qui iis artibus mortem quaeſierit, quibus ab ignauis vita quaeri ſolet? *Valer. l. 5. cap. 6.* *Iuſtin. l. 2. cap. 6.* * *al.* famularem. *Iuſtin. l. c.* *Patercul. l. 1. c. 2.*

2. Apud Romanos ſanguinem liberorum, ac ſuum patriae impendit L. Iunius Brutus, cuius hiſtoria videtur altius repe-

Liv. l. 1. cap. 56.

tenda. Hic, quum fratrem suum, et primores vrbis, a Tarquinio Superbo, auunculo suo, interfectos audisset; neque in animo suo quidquam regi timendum, neque in fortuna concupiscendum relinquere statuit: contemtu tutus esse, vbi in iure parum praesidii esset. Ergo ex industria factus ad imitationem stultitiae, quum se suaque praedae esse regi sineret, Bruti quoque haud abnuit cognomen: vt, sub eius obtentu cognominis, liberator ille populi Romani, animus latens aperiretur tempore suo. Is tum ab Tarquiniis ductus Delphos, ludibrium verius, quam comes, aureum baculum, inclusum corneo cauato, ad id baculo, tulisse donum Apollini dicitur, per ambages effigiem ingenii sui. Quo postquam ventum est, perfectis patris mandatis, cupido incessit animos iuuenum, sciscitandi, *ad quem eorum regnum Romanum esset venturum.* Ex infimo specu vocem redditam ferunt: *Imperium summum Romae habebit, qui vestrum primus, o iuuenes, osculum matri tulerit.* Tarquinii, vt Sextus, qui Romae relictus fuerat, ignarus responsi, expersque imperii esset, rem summa ope taceri iubent; ipsi inter se, vter prior, quum Romam rediissent, matri osculum daret, sorti permittunt. Brutus alio ratus spectare Pythicam vocem, velut si prolapsus cecidisset, terram osculo contigit: scilicet quod ea communis mater omnium mortalium esset.

Tarquinio Superbo, cum omni familia, postea ejecto ex vrbe, maxime opera L. Iunii

Iunii Bruti, primi Romae Consules creati sunt ipse L. Iunius Brutus, et L. Tarquinius Collatinus. Ceterum vt Romanis auctor libertatis fuerat Brutus, ita custos fuit. Erant in Romana iuuentute adolescentes aliquot, nec ii tenui loco orti, quorum in regno libido solutior fuerat, aequales sodalesque adolescentium Tarquiniorum; adsueti more regio viuere. Eam tum, aequato iure omnium, licentiam quaerentes, de accipiendis clam nocte in vrbem regibus colloquuntur. Vitelliorum soror consuli nupta Bruto erat; iamque ex eo matrimonio adolescentes erant liberi, Titus Tiberiusque: eos quoque in societatem consilii auunculi adsumunt. etc. Datae litterae, vt pignus fidei essent, manifestum facinus fecerunt. Nam quum, pridie quam legati ad Tarquinios proficiscerentur, et coenatum forte apud Vitellios esset, coniuratique ibi, remotis arbitris, multa inter se, de nouo, vt fit, consilio egissent; sermonem eorum ex seruis vnus excepit, qui iam antea id senserat agi: sed eam occasionem, vt litterae legatis darentur, quae deprehensae rem coarguere possent, exspectabat. Postquam datas sensit, rem ad Consules detulit. Consules ad deprehendendos legatos, coniuratosque profecti domo, sine tumultu rem omnem oppressere: litterarum inprimis habita cura, ne intercíderent. Proditoribus extemplo in vincula coniectis, deinde damnatis, Consules in sedem processere suam: missique lictores ad sumendum supplicium, nuda-

l. 1. c. 60.

l. 2. c. 3.

ibid. c. 4.

ibid. c. 5.

tos virgis caedunt, securique feriunt; quum inter omne tempus pater, vultusque et os eius spectaculo esset; eminente animo patrio inter publicae poenae ministerium: et qui spectator erat amouendus, eum ipsum
Valer. l. fortuna exactorem supplicii dedit. At il-
5. c. 8. le exuit patrem, vt Consulem ageret; orbusque viuere, quam publicae vindictae deesse, maluit: et

Virgil. Vicit amor patriae, laudumque immensa
Aen. l. 6. cupido.
v. 383.

Liuius l. Incensus Tarquinius non dolore solum tan-
2. c. 6. tae ad irritum cadentis spei, sed etiam odio, iraque, postquam dolo viam obseptam vidit, bellum aperte moliendum ratus est. Obuiam hosti Consules eunt, Valerius quadrato agmine peditem ducit: Brutus ad explorandum cum equitatu anteceſſit. Eodem modo primus eques hostium agminis fuit; praeerat Aruns Tarquinius, filius regis. Qui vt Brutum cognouit, inflammatus ira: *Ille est vir*, inquit, *qui nos extorres expulit patria. Ipse, en ille nostris decoratus insignibus, magnifice incedit. Dii regum vltores adeste.* Concitat calcaribus equum, atque in ipsum infestus Consulem dirigit. Sensit in se iri Brutus. Decorum erat tum ipsis capessere pugnam ducibus: auide itaque se certamini offert. Adeoque infestis animis concurrerunt, neuter, dum hostem vulneraret, sui protegendi corporis memor, vt contrario ictu per parmam vterque transfixus, duabus haerentes hastis,
ibid. c. 7. moribundi ex equis lapsi sint. Valerius Bruto, collegae funus, quanto tum potuit apparatu, fecit.

fecit. Sed multo maius morti Bruti decus publica fuit moestitia, eo ante omnia insignis, quia matronae annum, vt parentem, eum luxerunt: quod tam acer vltor violatae pudicitiae fuisset.

Caput XXXI.

Deciorum pro patria deuotiones.

Consulibus, Decio et Manlio, Roma profectis ad bellum, aduersus Latinos gerendum, in quiete vtrique consuli eadem dicitur visa species viri maioris, quam pro humano habitu, augustiorisque, dicentis: *Ex vna acie Imperatorem, ex altera exercitum diis manibus, matrique Terrae deberi: vtrius exercitus Imperator legiones hostium, superque eas se deuouisset, eius populi partisque victoriam fore.* Hos vbi nocturnos visus inter se consules contulerunt; placuit auerruncandae deûm irae victimas caedi: simul, vt, si extis eadem, quae somno visa fuerant, portenderentur, alteruter consulum fata impleret. Vbi responsa aruspicum insidenti iam animo tacitae religioni congruerunt; tum adhibitis legatis tribunisque, et imperiis deûm propalam expositis, ne mors voluntaria consulis exercitum in acie terreret: comparant inter se, vt ab vtra parte cedere Romanus exercitus coepisset, inde se Consul deuoueret pro populo Romano Quiritibusque. Manlius dextro, Decius laeuo cornu praeerat. Primo vtrimque aequis viribus, eodem ardore animorum gerebatur res. Deinde ab laeuo

Liuius l. 8. c. 6.

Valer. l. 5. c. 6.

Liuius l. 8. c. 9.

cornu hastati Romani, non ferentes impressionem Latinorum, se ad principes recepere. In hac trepidatione Decius Consul solennia deuotionis verba pronuntiauit, praeeunte M. Valerio, pontifice, armatus in equum insiluit, ac se in medios hostes immisit, patriae salutem, sibi vero mortem, petens. Quacunque equo inuectus est, ibi haud secus quam pestifero sidere icti pauebant. Vbi vero corruit obrutus telis, inde iam haud dubie consternatae cohortes Latinorum, fugam ac vastitatem late fecerunt. Sic ille voluntaria morte magnam Romanis victoriam peperit. Manlius Consul, audito euentu collegae, vt ius fasque erat, lacrimis non minus, quam laudibus debitis, tam memorabilem mortem prosecutus est. Decii corpus postero die inuentum, inter maximam hostium stragem, coopertum telis; funusque ei par morti, celebrante collega, factum est.

ibid. c. 10.

Liuius l. 10. *cap.* 28. *Valer. l.* 5. *c.* 6.

Tam egregium exemplum aemulatus est, bello aduersus Gallos, Decii filius. Nam in quarto consulatu, patris exemplum secutus, deuotione simili, aeque strenua pugna, consentaneo exitu, labantes perditasque vires vrbis nostrae correxit.

Cic. 2. de fin. cap. 19.

Denique bello contra Pyrrhum regem, tertius P. Decius se tertiam victimam reipublicae praebuit, a patrio auitoque in patriam amore non degener.

CAPVT

CAPVT XXXII.

Diuitiae in patriam impensae.

Accedit pretio rei inaestimabile momentum occasionis, quae Fabium Maximum tot ante saecula ob paruam pecuniae summam erogatam ad hoc vsque tempus laudabilem fecit. Captiuos enim ab Hannibale, interposita pactione nummorum, receperat: qui quum a Senatu non praestarentur, misso in vrbem filio, fundum, quem vnicum possidebat, vendidit; eiusque pretium Hannibali protinus numerauit. Paruum, si ad calculos reuocetur, vtpote septem iugeribus redactum; si animo erogantis, omni pecunia maius. Se enim patrimonii, quam patriam fidei, inopem esse maluit. *Valer. l. 4. cap. 8.*

Eiusdem temporis foemina, Busa nomine, regionis autem Apuliae ditissima, Cannensis proelii reliquias benignissime alimentis sustentauit. Saluo tamen statu fortunarum suarum, munificam se populo Romano praestitit: Fabius, in honorem patriae, paupertatem inopia mutauit. *id. ibid.*

CAPVT XXXIII.

Inimicitiae publicae vtilitatis caussa depositae.

1. M. Aemilius Lepidus, bis Consul, et Pontifex maximus, splendorique honorum par grauitate vitae, diutinas ac vehementes inimicitias cum Fuluio Flacco, eiusdem amplitudinis viro, gessit: quas, vt simul Censores renuntiati sunt, in campo deposuit; *Valer. l. 4. cap. 2.*

fuit; existimans, non oportere eos priuatis odiis dissidere, qui publice summa iuncti essent potestate. Id iudicium animi eius, et praesens aetas comprobauit, et nobis veteres annalium scriptores laudandum tradiderunt.

id. ibid. 2, Sicuti Liuii quoque Salinatoris finiendarum simultatum illustre consilium ignotum posteritati esse noluerunt. Is namque, etsi Neronis odio ardens in exsilium profectus fuerat, testimonio eius praecipue afflictus: tamen postquam eum, inde reuocatum, ciues collegam illi in consulatu dederunt, et ingenii sui, quod erat acerrimum, et iniuriae, quam grauissimam acceperat, obliuisci sibi imperauit: ne, si dissidente animo consortium imperii vsurpare voluisset, pertinacem se exhibendo inimicum, malum consulem ageret. Quae quidem mentis ad tranquilliorem habitum inclinatio, in aspero ac difficili temporum articulo, plurimum salutis vrbi nostrae atque Italiae attulit; quia pari virtutis impetu conniſi duo, terribiles Punicas vires contuderunt.

Liuius l. 38. *cap.* 50. *et* 52. 3. P. Scipioni Africano, vt Valerius Antias auctor est, duo Q. Petillii diem dixerunt. Tribunus plebis eo tempore Tib. Sempronius Gracchus erat, cui inimicitiae cum P. Scipione intercedebant. Is, quum vetuisset nomen suum decreto collegarum adscribi, tristioremque omnes sententiam exspectarent, ita decreuit: *Quum L. Scipio excusset morbum esse caussam fratri, satis id sibi videri: se P. Scipionem, priusquam Romam redisset,*

set, accusari non passurum. Tum quoque, si se appellet, auxilio ei futurum, ne caussam dicat.

Multa deinde addidit de insignibus inimici sui meritis in patriam. Mouit et decretum, et adiecta oratio Gracchi non ceteros modo, sed ipsos etiam accusatores: et, deliberaturos se, quid sui iuris et officii esset, dixerunt. Senatus deinde, concilio plebis dimisso, haberi est coeptus. Ibi gratiae ingentes ab vniuerso ordine, praecipue a consularibus senioribusque Tib. Graccho actae sunt, quod rempublicam priuatis simultatibus potiorem habuisset: et Petillii vexati sunt probris, quod splendere aliena inuidia voluissent; et spolia ex Africani triumpho peterent. Silentium deinde de Africano fuit. *ibid. c. 53.*

CAPVT XXXIIII.

Patriae irasci nefas est.

Vt parentum saeuitia, sic patriae, patiendo ac ferendo lenienda est. *Liuius l. 27. cap. 34.*

Suorum iniurias ciuium patienter ferebat Epaminondas, quod *se patriae irasci nefas esse duceret.* Quum aliquando eum propter inuidiam ciues praeficere exercitui noluissent, duxque esset delectus belli imperitus, cuius errore eo esset deducta militum multitudo, vt omnes de salute pertimescerent, quod locorum angustiis clausi, ab hostibus obsidebantur: desiderari coepta est Epaminondae diligentia: erat enim ibi priuatus numero militis. A quo quum peterent opem, nullam adhibuit memoriam contumeliae, et exercitum, obsidione liberatum, domum reduxit inco- *Corn. Nep. in Epam. c. 7.*

incolumem. Neque vero haec semel fecit, sed saepius.

Plut. in Aristide Liuius l. 5. cap. 32. et 21.

Aristides Athenis, Camillus Roma, electi in exilium, longe alio animo patriae iniuriam tulere. Ille enim vrbe egrediens, deos orauit, ne vnquam Athenienses opera sua indigerent. Hic contra dicitur a diis precatus esse, vt, si sibi innoxio iniuria fieret, desiderium sui facerent ingratae patriae quam primum. Idem tamen non multo ante tempore digniora bono ciue vota fecerat. Nam captis Veiis, vrbe opulentissima, manus ad coelum tollens, precatus erat, vt, si cui deorum hominumque nimia sua fortuna populique Romani videretur, eam inuidiam leniri quam minimo suo priuato incommodo publicoque Romani liceret. Et quum deinde, Roma a Gallis obsessa, missus ad Camillum exsulem Caedicius, eum Dictatorem creatum esse nuntiasset, cohortarique coepisset, ne iniuriae, a patria illatae, reminisceretur; ille, interrupto sermone Caedicii: *Nunquam*, inquit, *a diis precatus essem, vt mei desiderium Romanis facerent, si eiusmodi illorum desiderium futurum esse existimassem. At nunc aequiora a diis postulo: mea vt opera tantam patriae vtilitatem afferat, quanta est ea, qua nunc premitur, calamitas.*

Appian. l. 4. Celtic.

Vide infra Coriolani iram in patriam cap. 37. et Q. Fabii Maximi patientiam l. 4.

CAPVT

Caput XXXV.

Pietas in parentes est fundamentum omnium virtutum.

Cicer. pro Plancio cap. 12. Valer. l. 5. c. 4.

1. Prima et optima rerum natura pietatis est magistra. Quae nullo vocis ministerio, nullo vsu litterarum indigens, propriis ac tacitis viribus caritatem parentum liberorum pectoribus insundit.

Cic. post red. in Sen. c. 1.

Parentes carissimos habere debemus, quod ab iis nobis vita, patrimonium, libertas, ciuitas tradita est.

Seneca 6. benef. cap. 24.

Beneficiorum maxima sunt, quae a parentibus accipimus, dum aut nescimus, aut nolumus. Non vides, quemadmodum teneram liberorum infantiam parentes ad salubrium rerum patientiam cogant? Flentium corpora, ac repugnantium, diligenti cura fouent; et, ne membra libertas immatura detorqueat, in rectum exitura constringunt: et mox liberalia studia inculcant, adhibito timore nolentibus. Ad vltimum audacem iuuentam frugalitati, pudori, moribus bonis, si parum sequitur, coactam applicant. Adolescentibus quoque, ac iam potentibus sui, si remedia metu aut intemperantia reiiciunt, vis adhibetur ac seruitus.

Stobaeus serm. 77.

2. Quisquis in vita sua parentes colit, hic et viuus, et defunctus, diis carus est. Contra contemtus parentum, eius generis peccatum est, quod et ab hominibus odio habetur, et in viuentibus ac mortuis a diis damnatur ac punitur.

Cicero de amic. c. 8.

Ea caritas, quae est inter natos et parentes,

tes, dirimi, nisi detestabili scelere, non potest.

Pro Cluent. c. 6. Facile intelligo, non modo reticere homines parentum iniurias, sed etiam animo aequo ferre, oportere.

Aelian. V. H l ç, cap. 33. Adolescentulus quidam Zenonis scholam diu frequentauerat. Reuersum in paternas aedes interrogauit pater, quid tandem sapientiae didicisset? Ille rebus ipsis se ostensurum respondit. Indignante autem patre, et verbera ipsi ingerente; ille quietus permanens, et patienter ferens: *Hoc*, inquit, *didici, iram patris aequo animo ferre.*

A. Gell. l. 2. c. 7. 3. Quaeri solitum est in Philosophorum disceptationibus, an semper, inque omnibus iussis patris parendum sit? etc. Quaedam esse parendum, quaedam non obsequendum. Omnia enim, quae in rebus humanis fiunt, vt docti censuerunt, aut honesta sunt, aut turpia. Quae sua vi recta aut honesta sunt, vt fidem colere, vt patriam defendere, vt amicos diligere, ea fieri oportet, siue imperet pater, siue non imperet. Sed quae his contraria, quaeque turpia, et omnino iniqua sunt; ea, ne si imperet quidem, facienda sunt. Sed ea tamen, quae obsequi non oportet, leniter et verecunde, ac sine detestatione nimia, sineque opprobratione acerba reprehensionis declinanda sensim, et relinquenda magis esse dicunt, quam respuenda.

Plut. de vit. pud. Agesilaus, patre iubente eum in quodam iudicio sententiam legibus aduersam ferre: *A te*, inquit, *mi pater, iam inde a puericia*

ritia edoctus sum legibus parere. Itaque etiam nunc tibi obtemperabo, nihil in leges peccando.

4. Talem erga parentes te praesta, quales optares, se tibi tuos liberos exhibere. *Isocrat. ad Dem.*

Si liberi parentibus nati sint humilibus, si propinquos habeant imbecilliores vel animo vel fortuna, eorum augeant opes, eisque honori sint et dignitati. etc. Fructus enim ingenii, et virtutis, omnisque praestantiae, tum maximus capitur, quum in proximum quemque confertur. *Cicero de amic. c. 19.*

Omnes homines palam praedicant, primum diis, deinde parentibus, honorem deberi natura et legibus: neque liberos quidquam gratius diis facere posse, quam si benigne et alacriter cum fenore gratias referant iis, a quibus geniti educatique sunt. Contra vero nullum esse maius impietatis argumentum, quam contemtum et neglectionem parentum. Itaque interdictum est nobis, ne quid mali aliis faciamus: iniustum autem et impium habetur, non semper patri ac matri ea dicere et facere, quibus laetentur. *Plut. de amor. frat.*

Caput XXXVI.

Patres a liberis periculo liberati.

1. Quum captum atque incensum est Ilium, Graeci Troianorum fortunas miserati, hoc maxime dignum gentis suae humanitate pronuntiari per praeconem iusserunt: *Vt singuli e liberis ciuibus secum auferrent in humeros sublatum id vnum, quod putarent* *Aelian. V. H. l. 3. cap. 22.*

rent, inter res suas praecipue seruandum. Statim Aeneas deos patrios humeris imposuit, cetera negligens. Hac pietate capti Graeci permisere ipsi etiam alteram rem asportare. Tum ille diis alterum onus addidit patrem suum Anchisem, senio confectum. Quo facto mirum in modum obstupefacti Graeci, Aeneae sua omnia restitui voluerunt: ita declarantes, illos etiam, qui hostes sunt, et iure belli in victos vti possunt, mansuescere, et misericordia moueri in eos, qui deos et parentes reuerenter colant.

Herodot. l. 1. *A. Gell. l. 5. c. 9.* *Valerius l. 5. c. 4*

2. Croeso, Lydorum regi opulentissimo, filius fuit, forma quidem et ingenio praestans, sed natura mutus diu existimatus, quoniam quum iam multum adoleuisset, item nihil fari quibat. Ad emendandum hoc linguae vitium cuncta expertus est pater, dum secundae eius res erant. Ad nihil omnino medicorum artes profuere. Quum vero Sardes, vrbem regiam, expugnasset Persarum exercitus, et vnus e numero Persarum, ignarus viri, in caedem eius concitato impetu ferretur, et gladio deducto inuaderet: vitae patris timens pius adolescens, velut oblitus, quid sibi nascenti fortuna denegasset, diduxit os, clamare nitens, eoque nisu atque impetu spiritus vitium nodumque linguae rupit, planeque et articulate elocutus est, clamans in hostem, ne rex Croesus occideretur. Tum et hostis gladium reduxit, et rex vita donatus est, et adolescens loqui prorsus deinceps incepit. Herodotus in Historiis huius memoriae scriptor est: eiusque ver-

verba sunt, quae prima dixisse filium Croesi refert: ἄνθρωπε, μὴ κτεῖνε Κροῖσον.

3. Illum quidem (*Philippum*) aiunt, seditione inter Macedones milites, et Graecos mercenarios orta, debilitatum vulnere, quod in ea consternatione acceperat, iacuisse, non alias, quam simulatione mortis tutiorem; se (*Alexandrum*) corpus eius protexisse clypeo suo, ruentesque in illum sua manu occisos (*esse.*) Quum grauiter postea ferret Philippus, quod propter vulnus, quo tum femur transfossum fuerat, claudicare cogeretur; vere et scite dixit ei Alexander: *Non debere eum irasci vulneri, quo virtutis bellicae memoria reuocaretur, quoties pedem moueret.* *Curtius l. 8. c. 1. Plut. 1. fort. Alex.*

4. Eadem pietas viribus suis inflammatum Africanum superiorem, vix dum annos pubertatis egressum, ad opem patri in acie ferendam virili robore armauit. Consulem enim eum, apud Ticinum fluuium, aduersis auspiciis cum Hannibale pugnantem, saucium grauiter, interceſſu suo seruauit: neque illum aut aetatis infirmitas, aut militiae tirocinium, aut infelicis proelii etiam veterano bellatori pertimescendus exitus, interpellare valuit, quo minus duplici gloria conspicuus, coronam, imperatore simul, et patre ex ipsa morte rapto, mereretur. *Valer. l. 5. cap. 4.*

5. L. Manlio, A. F. quum dictator fuisset, M. Pomponius, tribunus plebis, diem dixit, quod is paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset: criminabatur etiam, quod Titum filium, qui postea est Torqua- *Cicer. 3. Offic. c. 31.*

tus

tus appellatus, ab hominibus relegasset, et ruri habitare iussisset. Quod quum audiuisset adolescens filius, negotium exhiberi patri: accurrisse Romam, et cum prima luce Pomponii domum venisse dicitur. Cui quum esset nuntiatum, quod illum iratum allaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur: surrexit e lectulo, remotisque arbitris, ad se adolescentem iussit venire. At ille, vt ingressus est, confestim gladium distrinxit, iurauitque, se illum statim interfecturum, nisi iusiurandum sibi dedisset, se patrem missum esse facturum. Iurauit, hoc coactus terrore Pomponius. Rem ad populum detulit: docuit, cur sibi caussa desistere necesse esset: Manlium missum fecit. Tantum temporibus illis iusiurandum valebat. etc. etc. Magnus vir inprimis, et qui perindulgens in patrem, idem acerbe seuerus in filium.

Liu. l. 7. c. 4. Dies Manlio dicitur a M. Pomponio tribuno plebis. Acerbitas in delectu, non damno modo ciuium, sed etiam laceratione corporum lata, partim virgis caesis, qui ad nomina non respondissent, partim in vincula ductis, inuisa erat: et ante omnia inuisum ipsum ingenium atrox, cognomenque Imperiosi graue liberae ciuitati, ab ostentatione saeuitiae adscitum; quam non magis in alienis, quam in proximis, ac sanguine ipse suo exerceret. Criminique ei tribunus inter cetera dabat, quod filium iuuenem nullius probri compertum, extorrem, vrbe, domo, penatibus foro, luce, congressu aequalium prohibitum, in opus seruile, prope in carcerem atque in erga-

ergastulum dederit: vbi summo loco natus dictatorius iuuenis quotidiana miseria disceret, vere imperioso patre se natum esse. At quam ob noxam? quia infacundior sit, et lingua inpromtus. Quod naturae damnum vtrum nutriendum patri, (si quidquam in eo humani esset,) an castigandum, ac vexatione insigne faciendum fuisse? ne mutas quidem bestias minus alere, ac fouere, si quid ex progenie sua parum prosperum sit. At, hercule, L. Manlium, malum malo augere filii; et tarditatem ingenii insuper premere: et si quid in eo exiguum naturalis vigoris sit, id exstinguere vita agresti, et rustico cultu, inter pecudes habendo. Omnium potius his criminationibus, quam ipsius iuuenis irritatus est animus: quin contra se quoque parenti caussam inuidiae atque criminum esse aegre passus; vt omnes dii hominesque scirent, se parenti opem latam, quam inimicis eius malle; capit consilium, rudis quidem atque agrestis animi, et quanquam non ciuilis exempli, tamen pietate laudabile. Inscientibus cunctis cultro succinctus, mane in vrbem, atque a porta domum confestim ad M. Pomponium tribunum pergit: ianitori, opus esse sibi domino eius conuento extemplo, ait: nuntiaret, T. Manlium, Lucii filium, esse. Mox introductus, (etenim percitum ira in patrem spes erat, aut criminis aliquid noui, aut consilii ad rem agendam deferre,) salute accepta redditaque esse ait, quae cum eo agere arbitris remotis velit. Procul inde omnibus abire iussis, cultrum stringit: et super lectum stans ferro intento, nisi in quae ipse concepisset verba, *ib. cap. 5.*

iuraret, se, patris eius accusandi caussa, concilium plebis nunquam habiturum, se eum extemplo transfixurum minatur. Pauidus tribunus, (quippe qui ferrum ante oculos micare, se solum, inermem, illum praeualidum iuuenem, et quod haud minus timendum erat, stolide ferocem viribus suis cerneret,) adiurat in quae adactus est verba; et prae se deinde tulit, ea vi subactum se incepto destitisse. Nec perinde, vt maluisset plebes, sibi suffragii ferendi de tam crudeli et superbo reo potestatem fieri; ita aegre habuit, filium id pro parente ausum. Eoque id laudabilius erat, quod animum eius tanta acerbitas patria nihil a pietate auertisset. Itaque non patri modo remissa caussae dictio est, sed ipsi etiam adolescenti ea res honori fuit. Et quum eo anno primum placuisset tribunos militum ad legiones suffragio fieri, (nam et antea, sicut nunc, quos Ruffulos vocant, imperatores ipsi faciebant) secundum in sex locis tenuit, nullis domi militiaeque ad conciliandam gratiam meritis, vt qui rure, et procul coetu hominum iuuentam egisset.

Caput XXXVII.

Pietas liberorum in matres.

Plut. in Corial. Liuius l. 2 c. 33. 34. 35. etc.

1. C. Marcius, cui capta vrbs Corioli fecit cognomen Coriolani, patre orbatus adhuc puer, sub matris tutela adoleuit. Sortitus erat a natura nobiles ad laudem impetus: sed quia doctrina non accessit, irae impotens, obstinataeque peruicaciae, fuit: et exemplo suo confirmauit, generosam indolem, si liberali institutione careat, edere multa

multa simul cum virtutibus vitia, sicut fecundum natura agrum, qui excultus non sit. Quoniam inuictum voluptate, pecunia, labore animum gerebat; eius continentia, iustitia, fortitudo praedicabantur: at praeferuida ira, asperi mores, et parum ciuilis congressus, grauiter ferebantur. Hunc autem mortales maximum fructum ferunt e Musarum disciplina, vt molliatur mansuescatque eorum ingenium, et, si quid ferum natura indidit, exuat.

Adde, quod ingenuas didicisse fideliter artes,
Emollit mores, nec sinit esse feros.
Nemo adeo ferus est, vt non mitescere possit,
Si modo culturae patientem commodet aurem.

Ouid. 2 de Ponto Ep. 9. v. 47. 48 Horat. 1. Epist. 1. v. 39. 40.

Quum prima stipendia facere coepisset adolescens; e multis proeliis, quibus interfuit, nunquam rediit, nisi donatus corona alioue militari praemio. Commilitonibus eius bellicae virtutis finis erat gloria; illi vero finis gloriae gaudium matris. Nam vbi illa audiuisset, ipsum laudari, et donari vidisset corona, et prae laetitia lacrimans esset complexa: id sibi summo honori felicitatique ducebat esse. Sic Epaminondas dicebat, nihil sibi vnquam iucundius feliciusque contigisse, quam quod patrem et matrem habuisset testes ac participes partae Leuctrica pugna gloriae. Coriolanus, vt vni matri rependeret gratiam, quam vtrique parenti debebat, ea oblectanda et colenda satiari non poterat. Illa cupiente atque orante,

vxorem duxit: illius in aedibus, natis iam liberis, cum vxore habitauit.

Liu. l. 2. c. 35. Damnatus absens (*Coriolanus*) in Volscos exsulatum abiit, minitans patriae, hostilesque iam tum spiritus gerens. Venientem Volsci benigne excepere; benigniusque in dies colebant: quo maior ira in suos eminebat, crebraeque nunc querelae, nunc minae percipiebantur. Hospitio vtebatur Attii Tulli. Longe is tum princeps Volsci nominis erat, Romanisque semper infestus. Ita quum alterum vetus odium, alterum ira recens, stimularet; consilia conferunt de Romano bello.

Id. l. 2. cap. 39. Imperatores ad id bellum, de omnium populorum sententia, lecti Attius Tullus, et C. Marcius, exsul Romanus, in quo aliquanto plus spei repositum. Quam spem nequaquam fefellit: vt facile appareret, ducibus validiorem, quam exercitu rem Romanam esse. Circeios profectus, primum colonos, inde Romanos expulit: liberamque eam vrbem Volscis tradidit, etc. Pedum cepit. Postremum ad vrbem a Pedo ducit: et ad fossas Cluilias, quinque ab vrbe millia passuum, castris positis, populatur inde agrum Romanum. etc. etc. Missi de pace ad Marcium oratores, atrox responsum retulerunt etc. Iterum deinde iidem missi, non recipiuntur in castra. Sacerdotes quoque, suis insignibus velatos, isse supplices ad castra hostium traditum est, nihilo *c. 40.* magis, quam legatos, flexisse animum. Tum matronæ ad Veturiam, matrem Coriolani, Volumniamque vxorem, frequentes coëunt. Id publicum consilium, an muliebris timor fuerit,

rit, parum inuenio. Peruicere certe, vt et Veturia, magno natu mulier, et Volumnia, duos paruos ex Marcio ferens filios secum, in castra hostium irent: et quam armis viri defendere vrbem non possent, mulieres precibus, lacrimisque defenderent. Vbi ad castra ventum est, nuntiatumque Coriolano, adesse ingens mulierum agmen; primo, vt qui nec publica maiestate in legatis, nec in sacerdotibus tanta offusa oculis animoque religione motus esset; multo obstinatior aduersus lacrimas muliebres erat. etc. Vxor deinde ac liberi amplexi: fletusque ab omni turba mulierum ortus, et comploratio sui patriaeque, fregere tandem virum. Complexus inde suos, dimittit: ipse retro ab vrbe castra mouit. Abductis deinde legionibus ex agro Romano, inuidia rei oppressum periisse tradunt; alii alio leto.

2. Sanguinis ingenui mulierem, Praetor apud tribunal suum, capitali crimine damnatam, Triumuiro necandam tradidit. Quam receptam is, qui custodiae praeerat, misericordia motus, non protinus strangulauit. Aditum quoque ad eam filiae, sed diligenter excussae, ne quid cibi inferret, dedit: existimans futurum, vt inedia consumeretur. Quum autem iam dies plures intercederent, secum ipse quaerens, quidnam esset, quod tamdiu sustentaretur, curiosius obseruata filia, animaduertit, illam exserto vbere famem matris, lactis sui subsidio, lenientem. Quae tam admirabilis spectaculi nouitas ab ipso ad Triumuirum, a Triumuiro ad Praetorem,

Valer. l. 5. cap. 4.
Plin. l. 7. cap. 36.

a Praetore ad concilium iudicium perlata, remissionem poenae mulieri impetrauit. Nec tantum matris salus donata filiae pietati est, sed ambae perpetuis alimentis, publico sumtu: et carcer ille consecratus est, exstructo ibi Pietatis templo. Quo non penetrat, aut quid non excogitat pietas? quae in carcere seruandae genitricis nouam rationem inuenit. Quid enim tam inusitatum, quid tam inauditum, quam matrem vberibus natae alitam esse? Putauerit aliquis hoc contra rerum naturam factum, nisi diligere parentes prima naturae lex esset.

Valer. ib. Idem praedicatum de pietate eius existimetur, quae patrem suum Cimona, consimili fortuna affectum, parique custodiae traditum, iam vltimae senectutis, velut infantem, pectori suo admotum aluit.

CAPVT XXXVIII.

Parricidium scelerum omnium maximum est.

Cicero pro Rosc. Amer. cap. 13. 1. Occidisse patrem Sex. Roscius arguitur. Sceleſtum, dii immortales, ac nefarium facinus, atque eiusmodi, quo vno maleficio scelera omnia comprehensa esse videantur. Etenim si, (id quod praeclare a sapientibus dicitur,) vultu saepe laeditur pietas; quod supplicium satis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipsum, si res postularet, iura diuina atque humana cogebant?

eap. 22. Portentum atque monstrum certissimum est, esse aliquem humana specie et figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, vt

pro,

propter quos hanc suauissimam lucem adspexerit, eos indignissime luce priuarit; quum etiam feras inter sese partus, atque educatio, et natura ipsa conciliet.

2. Aiunt, T. Cloelium quendam Terracinensem, hominem non obscurum, quum coenatus cubitum in idem conclaue cum duobus adolescentibus filiis isset, inuentum esse mane iugulatum. Quum neque seruus quisquam reperiretur, neque liber, ad quem ea suspicio pertineret: id aetatis autem duo filii propter cubantes ne sensisse quidem se dicerent: nomina filiorum de parricidio delata sunt. Quid postea? erat sane suspicioſum, neutrum sensisse? ausum autem esse quenquam se in id conclaue committere, eo potissimum tempore, quum ibidem essent duo adolescentes filii, qui et sentire, et defendere, facile possent? Erat porro nemo, in quem ea suspicio conueniret. Tamen quum planum iudicibus esset factum, aperto ostio dormientes eos repertos esse; iudicio absoluti adolescentes, et suspicione omni liberati sunt. Nemo enim putabat, quenquam esse, qui, quum omnia diuina atque humana iura scelere nefario polluisset, somnum statim capere potuisset: propterea quod qui tantum facinus commiserunt, non modo sine cura quiescere, sed ne spirare quidem sine metu possunt. *cap.* 23.

3. Prudentissima ciuitas Athenienſium fuisse traditur. Eius porro ciuitatis sapientissimum Solonem dicunt fuisse, eum, qui leges, quibus hodie quoque vtuntur, scripserit. Is quum interrogaretur, cur nullum *cap.* 25.

supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset; respondit: *Se id neminem facturum putasse.* Sapienter fecisse dicitur, quum de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat, ne non tam prohibere, quam admonere videretur. Quanto maiores nostri sapientius? qui quum intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitauerunt: vt, quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ii magnitudine poenae maleficio submouerentur. Insui voluerunt in culeum viuos, atque ita in flu-
cap 26. men deiici. O singularem sapientiam! Nonne videntur hunc hominem ex rerum natura sustuliſse et eripuisse, cui repente coelum, solem, aquam, terramque ademerunt, vt, qui eum necasset, vnde ipse natus esset, careret iis rebus omnibus, ex quibus omnia nata esse dicuntur?

Nicol. Damasc. Herodot. l. 1. Persae, si quis patrem necasset, eum non genuinum filium existimabant, sed subditium. Quia alienum a natura videbatur, et parum credibile, vt certus parens a iustis liberis interimeretur.

Caput XXXVIIII.

Nihil dulcius hominum generi, quam liberi.

Cicer. 3. *de fin. c.* 19. *Id.* 5. *Tusc. c.* 27. 1. Perspicuum est, natura ipsa nos, vt eos, quos genuerimus, amemus, impelli. Nonne bestiae pro suo partu ita pugnant, vt vulnera excipiant? nullos impetus, nullos ictus reformident? Si ferae par-

partus suos diligunt, qua nos in liberos nostros indulgentia esse debemus? *2.de Orat. cap.40.*

Quid dulcius hominum generi a natura datum est, quam sui cuique liberi? Incertum est, quam longa nostrum cuiusque vita futura sit. Consulere viui, ac prospicere debemus, vt illorum solitudo, et pueritia, quam firmissimo praesidio munita sit. *Post. red. ad Quir. cap. 1. In Verrem l.1.cap.58*

2. Nullum monumentum clarius Ser. Sulpicius relinquere potuit, quam effigiem morum suorum, virtutis, constantiae, pietatis, ingenii, filium. *9.Phil.c.5*

Ad filium hereditas paternae gloriae, et factorum imitatio pertinet. *1. Offic. c. 22.*

Optima hereditas a patribus traditur liberis, omnique patrimonio praestantior, gloria virtutis, rerumque gestarum: cui dedecori esse, nefas et impium iudicandum est. *ibid. c.33.*

3. Nemo, liberorum gratia, pecuniis cumulandis incumbat, vt ditissimos eos relinquat. Id enim nec ipsis, nec patriae conducit. Census iuuenum optimus is est, qui eos non reddit obnoxios adulatoribus, et sufficit rebus necessariis. Liberis ergo non multum auri, sed pudoris, oportet relinquere. *Plato de legg. l.5.*

Parentes liberis plerumque bono animo male precantur. Et si vis esse felix, deos ora, ne quid tibi ex his, quae optantur tibi, eueniat. Non sunt ista bona, quae in te isti volunt congeri. Vnum bonum est, quod beatae vitae caussa, et firmamentum est, sibi fidere. etc. Quid votis opus est? Fac te ipse felicem. Facies autem, si intellexeris, bona *Senec. Ep.31.*

esse, quibus admixta est virtus; turpia, quibus malitia coniuncta est.

Caput XXXX.

Liberi, patriae caussa, bene instituendi.

Cicer. l. 3. in Verr. c. 68.

1. Verrem grauiter obiurgat Cicero, quod Praetor in Sicilia filium flagitiis suis interesse passus erat. Tune, quum te, ac tuam vitam nosses, in Siciliam tecum grandem praetextatum filium ducebas? vt, etiamsi natura puerum a paternis vitiis, atque a generis similitudine abduceret, consuetudo tamen eum, et disciplina degenerare non sineret? Fac enim fuisse in isto C. Laelii, M. Catonis materiem atque indolem: quid ex eo boni sperari atque effici potest, qui in patris luxurie sic vixerit, vt nullum vnquam pudicum, neque sobrium conuiuium viderit? qui in epulis quotidianis, adulta aetate, per triennium inter impudicas mulieres, et intemperantes viros versatus sit? nihil vnquam a patre audierit, quo pudentior, aut melior esset? etc. Quibus in rebus non solum filio, verum etiam reipublicae feciſti iniuriam. Susceperas enim liberos non solum tibi, sed etiam patriae: qui non modo tibi voluptati, sed etiam qui aliquando vsui reipublicae, esse possent. Eos instituere, atque erudire ad maiorum instituta, atque ciuitatis disciplinam, non ad tua flagitia, neque ad tuas turpitudines debuisti. Esset ex inerti, atque impuro, et improbo parente nauus, et pudens, et probus filius. Habe-

cap. 69.

ret

ret aliquid abs te reſpublica muneris. Nunc pro te Verrem ſubſtituiſti alterum ciuitati.

2. Pelopidas, qui filium habebat infamem, Epaminondam reprehendebat, quod vxorem non duxiſſet; maleque eum in eo patriae conſulere dicebat, quod liberos non relinqueret: *Vide*, inquit Epaminondas, *ne tu peius conſulas, qui talem ex te natum relicturus ſis. Neque vero ſtirps mihi poteſt deeſſe: namque ex me natam relinquo pugnam Leuctricam, quae non modo mihi ſuperſtes, ſed etiam immortalis ſit, neceſſe eſt.* *Corn. Nep. in Epam. cap. 10.*

Gratum eſt, quod patriae ciuem populoque dediſti, *Iuuen. 14. Sat. v. 70. ſſ.*
Si facis, vt patriae ſit idoneus, vtilis agris,
Vtilis et bellorum, et pacis rebus agendis.
Plurimum enim intererit, quibus artibus, et quibus hunc tu
Moribus inſtituas - - - - -

CAPVT XXXXI.

Maxima debetur puero reuerentia.

Plurima ſunt, Fuſcine, et fama digna ſiniſtra, *Iuuen. 14 Sat. v. 1.*
Quae monſtrant ipſi pueris, traduntque parentes. *v. 3.*
Si natura iubet: velocius et citius nos *v. 31. ſſ.*
Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica, magnis
Quum ſubeant animos auctoribus. - -
Nil dictu foedum viſuque haec limina tangat, *v. 44.*
Intra quae puer eſt. - - - - - -

v. 47. *ff.* Maxima debetur puero reuerentia. Si quid
Turpe paras, ne tu pueri contemseris annos,
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

Quinctil. l. 1. *c.* 2. Vtinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus! Infantiam statim deliciis soluimus. Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, neruos omnes et mentis et corporis frangit. Quid non adultus concupiscet, qui in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit, et iam coccum intelligit, iam conchylium poscit. Ante palatum eorum, quam * mores, instituimus. In lecticis crescunt, si terram attigerint, e manibus vtrimque sustinentium pendent. Gaudemus, si quid licentius dixerint. Verba, ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis, risu et osculo excipimus. Nec mirum: nos docuimus, ex nobis audierunt: nostras amicas, nostros concubinos vident. Omne conuiuium obscenis canticis strepit: pudenda dictu spectantur. Fit ex his consuetudo, deinde natura. Discunt haec miseri, antequam sciant, vitia esse. Inde soluti ac fluentes, non accipiunt e scholis mala ista, sed in scholas afferunt.

* *al.* os

A. Gell. l. 12, *c.* 2. Adolescentium indolem non tam iuuant, quae bene dicta sunt, quam inficiunt, quae pessime: multoque magis, si et plura sunt, quae deteriora sunt.

CAPVT

CAPVT XXXXII.

Salubriter institui plurimum prodest in reliquam vitam.

1. Philippus, Amyntae filius, terrae Macedoniae rex, cuius virtute industriaque Macedones locupletissimo imperio aucti, quum omni fere tempore negotiis belli victoriisque affectus exercitusque esset, a liberali tamen Musa et studiis humanitatis nunquam abfuit, quin lepide, comiterque pleraque et faceret et diceret. Erat ei plena acuminis et sollertiae oratio, qua non minores res, quam proeliis, confecit: ipseque pluris aestimabat victorias, verbis partas, quam armis. Feruntur adeo libri epistolarum eius munditiae, et venustatis, et prudentiae plenarum: velut sunt illae litterae, quibus Aristoteli Philosopho natum sibi esse Alexandrum nuntiauit. Ea epistola, quoniam curae diligentiaeque in liberorum disciplinas hortamentum est, exscribenda visa est ad commouendos parentum animos. Exponenda igitur est ad hanc ferme sententiam: *Philippus Aristoteli salutem dicit. Filium mihi genitum, scito. Quod equidem diis habeo gratiam; non proinde quia natus est, quam pro eo, quod eum nasci contigit temporibus vitae tuae. Spero enim fore, vt educatus eruditusque abs te, dignus exsistat et nobis, et rerum istarum successione.* * *A. Gell. l. 9. cap. 3. Iustin. l. 9. cap. 8. Polyaen. l. 4. n. 2.*

* *alii susceptione.*

Cicero 3. *de Orat. c.* 35. *Plut. in Alex.*

Non fefellit Philippum ſua de Ariſtotele opinio. Quippe Alexander, eo doctore diu vſus, accepit ab illo tam vtilia agendi, et loquendi praecepta, vt non dubitauerit praedicare: *Non minus Ariſtoteli debere ſe, quam Philippo: huius enim munus eſſe, quod viueret; illius, quod honeſte viueret.* An Philippus, Macedonum rex, Alexandro filio ſuo prima litterarum elementa tradi ab Ariſtotele, ſummo eius aetatis Philoſopho, voluiſſet, aut ille ſuſcepiſſet hoc officium, ſi non ſtudiorum initia, et a perfectiſſimo quoque optime tractari, et pertinere ad ſummam credidiſſet?

Quinctil. l. 1. *c.* 1.

Senef. 2. *de ira, c.* 18.

2. Plurimum in reliquam vitam proderit, pueros ſtatim ſalubriter inſtitui. Facile eſt enim, teneros adhuc animos componere: difficulter reciduntur vitia, quae nobiscum creuerunt. Altius praecepta deſcendunt, quae teneris imprimuntur aetatibus: et natura tenaciſſimi ſumus eorum, quae rudibus annis pueri percepimus: vt ſapor, quo noua (*vaſa*) imbuas, durat.

Ad Helu. c. 16. *Quinctil. l.* 1. *c.* 1.

Horat. 1, *Ep.* 2. *v.* 69.

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diu.

Quinctil. l. 1. *c.* 3.

Mores quoque ſe inter ludendum ſimplicius detegunt: modo nulla aetas videatur tam infirma, quae non protinus, quid rectum prauumque ſit, diſcat, tum vel maxime formanda, quum ſimulandi neſcia eſt, et praecipientibus facillime cedit. Frangas enim citius, quam corrigas, quae in prauum induruerunt. Protinus ergo, ne quid cupide, ne quid improbe, ne quid impo-

impotenter faciat, monendus est puer: habendumque in animo semper illud Virgilianum:

- - - Adeo in teneris consuescere multum est. *Virgil. 2. Georg. v. 272.*

3. In pueris modo frenis vtamur, modo stimulis: est enim in illis aliquid, quod coercendum sit, est quod excitandum. Hinc Isocrates, doctor singularis, dicebat, se calcaribus in Ephoro; contra autem in Theopompo frenis vti solere: alter enim reprimendus erat, alter incitandus. Et Themistocles, qui in adolescentia fuerat feroci admodum ingenio, respondebat mirantibus mutatos ipsius mores: *Asperos et ferociores pullos fieri equos optimos, si domitoribus peritis tradantur.* *Senec. de ira l. 2. c. 21.* *Cicer. 3. de Orat. c. 9.* *Plut. in Them.*

4. Dabimus aliquod laxamentum: in desidiam vero otiumque non resoluemus, et procul a contactu deliciarum retinebimus. Nihil enim magis facit iracundos, quam educatio mollis et blanda. Ideo vnicis, quo plus indulgetur, pupillisque quo plus licet, corruptior animus est. Non resistet offensis, cui nihil vnquam negatum est, cui lacrimas sollicita semper mater absterserit, cui de paedagogo satisfactum est. *Senec. ib.*

5. Longe quoque ab assentatione pueritia remouenda est. Audiat verum, et timeat: interim vereatur, semper maioribus assurgat. Nihil per iracundiam exoret: quod flenti negatum fuerat, quieto offeratur. *ibid.*

6. Omnibus hominibus prodest, animum subinde relaxare. Excitatur enim *Senec. 1. Contr.*

otio

otio vigor: et omnis tristitia, quae continuatione pertinacis studii adducitur, feriarum hilaritate discutitur.

Quinctil. l. 1. c. 3. Lusus pueris proderunt. Itaque et virium plus afferunt ad discendum renouati ac recentes, et acriorem animum, qui fere necessitatibus repugnat. Modus tamen sit remissionibus, ne aut odium studiorum faciant negatae, aut otii consuetudinem nimiae.

Plut. in Lycurg. et Lacon. Xenoph. 1. Cyrop. et in Lacon. 7. Omnes fere legum latores, neglecta puerorum et adolescentum educatione, parentum arbitrio liberorum institutionem reliquerunt: idque vnum videntur studuisse, vt iis, qui aduersus legum praecepta peccassent, poenae constituerentur et irrogarentur. At Persae et Lacedaemonii alia ratione cauerunt, ne admitterentur, quae leges vetabant; et ciuium peccatis obuiam ierunt, formandis publica seueraque institutione puerorum et adolescentum moribus. Sic enim fiebat, vt a teneris annis virtutem colere, vitia vero auersari adsuefierent. Quae vero fuerit illa pauperum et diuitum consimilis sub publicis magistris educatio, non inutile erit legere apud Plutarchum et Xenophontem.

Caput XXXXIII.

Veterum Romanorum in educandis pueris disciplina.

Quinctil. l. 1. c. 1. Cicero in Bruto c. 58. 1. Non adsuescat infans ei sermoni, qui dediscendus deinde sit. Magni interest, quos quisque audiat quotidie domi, qui-

buscum

buſcum loquatur a puero: quemadmodum patres, paedagogi, matres etiam loquantur. Legimus epiſtolas Corneliae, matris Gracchorum: apparet filios non tam in gremio educatos, quam in ſermone matris. Maxima autem ornamenta eſſe matronis liberos, apud Pomponium Rufum, Collectorum libro, ſic inuenimus: Cornelia, Gracchorum mater, quum Campana matrona, apud illam hoſpita, ornamenta ſua, illius ſaeculi pulcherrima, ei oſtenderet: traxit eam ſermone, quousque e ſchola redirent liberi: *Et haec*, inquit, *ornamenta mea ſunt*. *Valer. l. 4. cap. 5.*

2. Operae pretium eſt, cognoſcere veterum Romanorum ſeueritatem ac diſciplinam circa educandos formandosque liberos. Iam primum filius, ex caſta parente natus, non in cella emtae nutricis, ſed gremio ac ſinu matris educabatur, cuius praecipua laus erat, tueri domum, et inſeruire liberis. Eligebatur autem aliqua maior natu propinqua, cuius probatis ſpectatisque moribus omnis cuiuspiam familiae ſoboles committeretur, coram qua neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere, quod inhoneſtum factu videretur. Haec non ſtudia modo, ſed remiſſiones etiam luſusque puerorum, ſanctitate quadam ac verecundia temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, ſic Aureliam Caeſaris, ſic Atriam Auguſti matrem praefuiſſe educationibus, ac produxiſſe principes liberos accepimus. Quae diſciplina ac ſeueritas eo pertinebat, vt ſincera, et integra, et nullis praui- *Dialog. de corr. Eloq. c. 28.*

prauitatibus detorta vniuscuiusque natura, toto statim pectore arriperet artes honestas, et siue ad rem militarem, siue ad iuris scientiam, siue ad eloquentiae studium inclinasset, id solum ageret, id vniuersum hauriret. At nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae, cui adiungitur vnus aut alter ex omnibus seruis plerumque vilissimus, nec cuiquam serio ministerio accommodatus. Horum fabulis et erroribus teneri statim et rudes animi imbuuntur. Nec quisquam in tota domo pensi habet, quid coram infante domino, aut dicat, aut faciat; quando etiam ipsi parentes nec probitati, nec modestiae paruulos adsuefaciunt, sed lasciuiae et libertati. Per quae paullatim impudentia irrepit, et sui alienique contemtus.

cap. 29.

A. Gell. l. 12. c. 1. 3. Nuntiatum quondam est Phauorino Philosopho, nobis praesentibus, vxorem auditoris, sectatorisque sui paullulum ante enixam, auctumque eum esse nato filio. *Eamus*, inquit tum Phauorinus, *et puerperam visum, et patri gratulatum.* Is enim erat loci senatorii, ex familia nobiliore. Imus vna, et qui tum aderamus: prosecutique eum sumus ad domum, quo pergebat; et cum eo simul introgressi sumus. Tum in primis aedibus complexus hominem, congratulatusque adsedit: atque vbi percontatus est, quam diutinum puerperium, et quam laborioſi nixus fuissent: puellamque vbi defessam labore ac vigilia, somnum capere cognouit, fabulari instituit prolixius. *Et nihil*, inquit, *dubito, quin filiam*

Landesbibliothek Oldenburg

um lacte suo nutritura sit. Sed quum mater puellae parcendum ei esse diceret, adhibendasque puero nutrices, ne ad dolores, quos in enitendo tulisset, munus quoque nutricationis graue ac difficile accederet: *Oro te*, inquit, *mulier, sine eam totam, ac integram, esse matrem filii sui. Quod est enim hoc contra naturam imperfectum atque dimidiatum matris genus, peperisse, ac statim ab sese abiecisse? aluisse in vtero sanguine suo nescio quid, quod non videret: non alere nunc suo lacte, quod videat iam viuentem, iam hominem, iam matris officia implorantem. etc.*

4. Quum Catoni maiori natus esset ex vxore filius; nullis negotiis, nisi publicis, impediebatur, quo minus adesset matri, infantem abluenti et fasciis inuoluenti. Illa proprio lacte filium alebat, saepeque etiam liberos seruorum suis vberibus admouebat, vt nutrimenti consortium eos puero domino magis beneuolos redderet. Vbi aliquid intelligere potuit puer, eum pater ipse in litteris instituit, licet idoneum et eruditum domi seruum haberet Chilonem, a quo pueri multi erudiebantur. Sed nolebat, vt ipse scriptum reliquit, seruum filio suo vel maledicere, vel aurem vellicare, si tardior in discendo esset: neque etiam filium tanti muneris, hoc est doctrinae, debitorem esse seruo. Ipse itaque eius ludimagister, ipse legum doctor, ipse lanista fuit. Neque modo docuit iaculari, armis depugnare, equitare, sed etiam pugillatu decertare, calorem *Plut. in Cat. mai.*

Landesbibliothek Oldenburg

rem et frigus tolerare, fluminum vortices nando superare. Conscripsit illi manu sua, grandibus litteris, historias, vt etiam in paterna domo nota haberet veterum instituta atque exempla. Quidquam turpe loqui cauit non minus filio praesente, quam sacris virginibus Vestalibus, et nunquam se ei in balneo videndum dedit.

Plut. in Aemil.

5. L. Aemilio Paullo multi anni fuere vacui a rerum publicarum cura, inter primum et alterum Consulatum. Eos totos impendit rebus sacris, et maxime liberorum institutioni, quos erudiri voluit non tantum Romana veteri disciplina, sed etiam Graecis litteris. Illis quum Grammaticae, Rhetoricae, Dialecticaeque artis magistros dedit, tum pingendi quoque, equitandi, venandi. Et vt erat liberorum amantissimus inter Romanos, eorum exercitiis omnibus intererat, nisi respublica alio vocaret.

Nicol. Damasc.

6. Augustus etiam puer animum optimis artibus excolebat, corpus laboriosis militaribusque exercitationibus durabat. Eum sollicite obseruabant mater Attia et Philippus vitricus; quotidie a magistris et custodibus, quos puero apposuerant, inquirentes studiose, quid rei egisset, quo esset profectus, qua ratione diem transegisset, quibuscum denique esset versatus. Hac Attiae matris sollicitudine factum est, vt Augustus euaserit e multis ipsius pudori oblatis periculis.

Sueton. Aug. c. 64.

Augustus summum imperium Romae adeptus, nepotes et litteras et natare aliaque

que rudimenta per se plerumque docuit: ac nihil aeque laborauit, quam vt imitarentur chirographum suum.

CAPVT XXXXIIII.

Publicae vtilitati plurimum prosunt, qui iuuentutem erudiunt.

1. Quia vtile est iuuentuti regi, imposuimus illi quasi domesticos magistratus, sub quorum custodia contineretur. *Sen. 3. benef. c. 11.*

Non is solus reipublicae prodest, qui candidatos extrahit, et tuetur reos, et de pace belloque censet: sed qui iuuentutem exhortatur, qui, in tanta bonorum praeceptorum inopia, virtute instruit animos, qui ad pecuniam luxuriamque cursu ruentes prensat ac retrahit, et, si nihil aliud, certe moratur. An ille plus praestat, qui inter ciues ius dicit; quam qui docet, quid sit iustitia, quid pietas, quid patientia, quid fortitudo, quantum bonum sit bona conscientia? *de Tranq. cap. 3.*

2. Quaerenti mihi multum, et diu cogitanti, quanam re possem prodesse quamplurimis, nulla maior occurrebat, quam si optimarum artium vias traderem meis ciuibus. Quod enim munus reipublicae afferre maius meliusue possumus, quam si docemus atque erudimus iuuentutem? his praesertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, vt omnium opibus refrenanda, ac coërcenda sit. *Cicero 2. de Diu. c. 1. et 2.*

Ac ne eas quidem vires senectuti relinquemus, vt adolescentulos doceat, instituat, *Idem de Senect. c.*

ad omne officii munus instruat? quo quidem opere quid potest esse praeclarius?

Caput XXXXV.

Et praeceptores et studia amet adolescens.

Quinctil. l. 2. c. 2. 1. Discipuli, si modo recte sunt instituti, praeceptorem et amant et verentur.

ibid. c. 9. Id vnum moneo, vt discipuli praeceptores suos non minus, quam ipsa studia ament; et parentes esse, non quidem corporum, sed mentium credant. Multum haec pietas confert studio. Nam ita et libenter audient, et dictis credent, et esse similes concupiscent: in ipsos denique coetus scholarum laeti et alacres conuenient: emendati non irascentur, laudati gaudebunt: vt sint carissimi, studio merebuntur. Nam vt illorum officium est docere, sic horum praebere se dociles: alioqui neutrum sine altero sufficit.

Idem l. 1. c. 2. 2. Ea inprimis habenda cura est, vt praeceptor omnimodo fiat nobis familiariter amicus; nec officium in docendo spectet, sed affectum.

Corn. Nep. in Epam. c. 2. Epaminondas philosophiae praeceptorem habuit Lysim Tarentinum, Pythagoreum: cui quidem sic fuit deditus, vt adolescens tristem et seuerum senem omnibus aequalibus suis in familiaritate anteposuerit. Neque prius eum a se dimiserit, quam in doctrinis tanto antecesserit condiscipulos, vt facile intelligi posset, pari modo superaturum omnes in ceteris artibus.

Ciceronis filius declarauit ipse hac epistola

la ad Tironem, quo amore Cratippum praeceptorem dilexerit. Cratippo me scito, non vt discipulum, sed vt filium, esse coniunctissimum. Nam quum et audio illum libenter, tum etiam eius propriam ego suauitatem vehementer amplector. Sum totos dies cum eo, noctisque saepenumero partem: exoro enim, vt mecum quam saepissime coenet. Hac introducta consuetudine, saepe inscientibus nobis, et coenantibus obrepit, sublataque seueritate philosophiae, humanissime nobiscum iocatur. Quare da operam, vt hunc talem, tam iucundum, tam excellentem virum videas quamprimum. *Cicero ad fam. l. 16. Ep. 21.*

3. Patet autem ex Trebonii epistola ad Ciceronem patrem, qua cura, quaque modestiae fama filius eius litteris operam dederit. Athenas veni, atque ibi, quod maxime optabam, vidi filium tuum, deditum optimis studiis, summaque modestiae fama. Qua ex re quantam voluptatem ceperim, scire potes, etiam me tacente. Non enim nescis, quanti te faciam, et quam pro nostro veterrimo verissimoque amore, omnibus tuis etiam minimis commodis, non modo tanto bono, gaudeam. Noli putare, mi Cicero, me hoc auribus tuis dare: nihil adolescente tuo, atque adeo nostro, (nihil enim mihi a te potest esse seiunctum,) aut amabilius omnibus iis, qui Athenis sunt, est; aut studiosius earum artium, quas tu maxime amas, hoc est, optimarum. Itaque tibi, quod vere facere possum, libenter quoque gratulor, nec minus etiam nobis, quod eum, quem necesse erat diligere, qualiscumque esset, *ib. l. 12. ep. 16.*

esset, talem habemus, vt libenter quoque diligamus. Eum, licet ingressum pleno gradu in ea studia, in quae tua cohortatione incitatur, cohortari non intermittemus, quo in dies longius discendo, exercendoque se, procedat.

Caput XXXXVI.

Sit gratus erga magistrum discipulus.

Senec. Ep. 11. 1. Praeceptores suos adolescens veneretur ac suspiciat, quorum beneficio se vitiis exuit, et sub quorum tutela positus exercet artes bonas.

Cicero pro Planc. c. 33. Quis est nostrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui atque doctores, cui non locus ille mutus, vbi ipse alitus aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur?

Sueton. in Vesp. cap. 2. Vespasianus natus est in vico modico Sabinorum; et educatus sub paterna auia in praediis. Quare princeps quoque et locum incunabulorum adsidue frequentauit, manente villa, qualis fuerat olim: ne quid scilicet oculorum consuetudini deperiret: et auiae memoriam tantopere dilexit, vt solennibus ac festis diebus pocillo quoque eius argenteo potare perseuerauerit.

Cic. 2. de legg. cap. 2. 2. Quum Cicero natus, viuente auo, in parua villa, dixisset Attico, se eo loco maxime delectari; his verbis respondit ei Atticus: Ego vero tibi istam iustam caussam puto, cur huc libentius venias, atque hunc locum diligas. Quin ipse, vere dicam, sum illi villae amicior modo factus, atque huic omni solo, in quo tu ortus et procreatus es. Mo-

nemur

uemur enim, neſcio quo pacto, locis ipſis, in quibus eorum, quos diligimus, aut admiramur, adſunt veſtigia. Me quidem ipſae illae noſtrae Athenae non tam operibus magnificis, exquiſitisque antiquorum artibus delectant, quam recordatione ſummorum virorum, vbi quiſque habitare, vbi ſedere, vbi diſputare ſit ſolitus: ſtudioſeque eorum etiam ſepulcra contemplor. Quare iſtum, vbi tu es natus, plus amabo poſthac locum.

3. Praeceptorum et medicorum, magna caritas, magna reuerentia ſit. Ne dicas, nihil quidquam his debere te, niſi mercedulam. Nam primo quaedam pluris ſunt, quam emuntur. Emis a medico rem inaeſtimabilem, vitam ac valetudinem bonam: a bonarum artium praeceptore, ſtudia liberalia, et animi cultum. Itaque his non rei pretium, ſed operae ſoluitur, quod deſeruiunt, quod a rebus ſuis auocati nobis vacant, etc. Deinde et medicus, et praeceptor, ſaepe in amicum tranſeunt, et nos non arte, quam vendunt, obligant, ſed benigna et familiari voluntate. Hoc quum factum eſt, tam medico, quam praeceptori, pretium operae ſoluitur, animi ſemper debetur. *Sen. 6. de benef. c. 15* *cap. 16.* *cap. 17.*

In optimis artibus, quae vitam aut conſeruant, aut excolunt, qui nihil ſe plus exiſtimat debere, quam pepigit, ingratus eſt. *ibid.*

4. Quum Pythagoras accepiſſet, Pherecydem, qui eius praeceptor fuerat, in inſula Delo grauiſſime aegrotare; confeſtim ex Italia in inſulam nauigauit: vbi quum aliquandiu ſeni fomenta adhibuiſſet ſtudioſe, nihilque omiſiſſet, quo ad priſtinam valetudinem *Diod. Sic. l. 6.*

eum reuocaret; tandem senectute, et morbi vi, superatum sedulo sepeliit: et postquam ei, tanquam patri filius, iusta persoluit, rursus in Italiam reuersus est.

Pausan. l. 6. Valer. l. 7. cap. 3.

5. Alexander Magnus eloquentiae magistro vsus erat Anaximene Lampsaceno. Quae res postmodum Lampsaco saluti fuit. Eam vrbem diruere statuerat Alexander, quod a partibus Darii aduersum se stetisset. Itaque conspicatus Anaximenem e muris prodeuntem obuiam sibi, nec dubitans, quin veniret deprecatum pro patria, non facturum, quod (*ille*) petisset, (*per deos*) iurauit. Quo audito, callidus orator regem rogauit, vt Lampsacum dirueret. Iurisiurandi religione tactus Alexander, et captus pia praeceptoris quondam sui sollertia, ad seruandam patriam, Lampsacenis delicti gratiam fecit.

Aelian. V. H. l. 12 c. 54.

Stagiram quoque vrbem, a Philippo patre dirutam, restituisse dicitur, exoratus precibus Aristotelis, eius vrbis ciuis, quem fere semper secum habuit, donec post mortem patris rerum potitus, in Asiam traiiceret. Postea quoque inter belli curas non omisit magistrum venerari, crebroque per litteras compellauit, nec disciplinarum modo arcana, sed et morum remedia petiit.

Freinsb. 1. lib. sup. Curt. c. 3.

Q. Curt. l. 4. c. 3.

Quum Tyri obsidio non ex animi sententia Alexandri procederet; ne segniter adsidere vni vrbi videretur, operi Perdiccam Craterumque praefecit: ipse cum expedita manu Arabiam petiit. Ibi magnum in periculum venit propter paedagogum suum Lysimachum, qui comitari eum voluerat, iactans se neque animo inferiorem esse, neque aetate gra-

Plut. in Alex.

uio-

uiorem Phoenice, olim Achillis primum educatore, deinde ad bella comite. Nam vbi ad montana ventum est, et relictis equis iter pedibus faciendum fuit: Alexander, nocte ingruente, et hostibus circa vagantibus, fatiscentem ac defessum senem deserere haud sustinuit, sed et verbis excitauit, et adminiculo corporis sui adiuuit; ita, vt ab exercitu suo, qui longius processerat, distractus, noctem egerit in tenebris, et acri gelu, locisque asperis.

6. Anaxagoras, Clazomenius, non modo generis nobilitate et opibus, verum etiam animi magnitudine, clarus fuit. Is vt rerum naturalium, maxime vero caelestium, contemplationi totum se traderet, vniuersum patrimonium suis sponte concessit, et tam publicae, quam priuatae rei negligens, Athenas, omnium doctrinarum inuentrices ac cultrices, petiit. Cuidam autem querenti, quod nulla esset ei cura patriae, quam relinquebat: *Mihi vero*, inquit, digitum in caelum intendens, *patriae cura, et quidem summa est.* Imbutus ab eo Athenienſium dux, Pericles, rerum caelestium scientia, magno animo elatoque fuit, sublimi vsus est dicendi genere, et diuitiis pauperes multos iuuit. Contigit tamen, vt multis districtus negotiis Anaxagoram negligere videretur: vnde senex iacebat in lecto, capite obuoluto, vitamque inedia finire statuerat. Ea re ad se delata perculsus Pericles, aduolauit confestim, et iacentem enixe orauit cum lacrimis, vt viuere vellet, et sibi conseruare fidelem sapientemque in republica gerenda consilia-

Laërt. in Anaxag. segm. 7.

Plut. in Pericle.

rium. Ibi Anaxagoram, reiecto ab ore velamento, ferunt respondisse: *O Pericle, lucernae infundunt oleum ii, quibus lucerna est opus.* Anaxagoram deinde semper coluit magna cura Pericles: et quum impietatis accusatus esset, atque in iudicium vocatus, quod vnum tantum deum videretur agnoscere; Periclis opera iudicibus ereptus, et incolumis ex vrbe est dimissus.

Iul. Capitol. in Anton. Pio c. 10. Quum M. Aurelius, qui postea imperauit, mortuum educatorem suum fleret, vocaretur-que ab aulicis ministris ab ostentatione pietatis: *Permittite illi*, inquit imperator Antoninus Pius, *vt homo sit, neque enim vel philosophia, vel imperium, tollit affectus.*

M. Aurel. l. 1. §. 17. *Diis acceptum refero*, inquiebat M. Aurelius Imperator; *quod bonos praeceptores habuerim; quod illos mature euexerim ad honores, quos expetere videbantur; quod mihi quoque copia fuerit magistrorum, qui ad educandos liberos meos essent idonei.* Tantum autem honoris magistris suis detulit, vt imagines eorum aureas domi in larario haberet, ac sepulcra eorum aditu, hostiis, floribus, semper honoraret.

Capitol. in M. Anton. cap. 3.

Caput XXXXVII.

Praeceptor nec habeat vitia, nec ferat.

Senec. 2. de ira c. 22. Pertinebit ad rem, praeceptores paedagogosque pueris placidos dari. Proximis applicatur omne, quod tenerum est, et in eorum similitudinem crescit: nutricum et paedagogorum retulere (*pueri*) mox in adole-

scen-

scientiam mores. Apud Platonem educatus puer, quum ad parentes reuersus vociferantem videret patrem: *nunquam*, inquit, *hoc apud Platonem audiui.* Leonides, Alexandri paedagogus, quibusdam eum vitiis imbuit, quae robustum quoque, et iam maximum regem, ab illa institutione puerili sunt prosecuta. *Quinctil. l. 1. c. 1.*

Quum ad eas in studiis vires peruenerit puer, vt quae prima esse praecepta rhetorum diximus, mente consequi possit, tradenduseius artis magistris erit: quorum inprimis inspici mores oportebit. Quod ego non idcirco potissimum in hac parte tractare sum adgressus, quia non in ceteris quoque doctoribus idem hoc examinandum quam diligentissime putem, sed quod magis necessariam eius rei mentionem facit aetas ipsa discentium. Itaque parentes, si non caeca ac sopita eorum socordia est, et praeceptorem eligere sanctissimum quemque (cuius rei praecipua prudentibus cura est) et disciplinam, quae maxime seuera fuerit, oportet. *Idem l. 2. c. 2.*

Corelliam Hispullam admonet Plinius, qualem filio rhetorem quaerere debeat. Quum patrem tuum, grauissimum et sanctissimum virum, suspexerim magis, an amauerim, dubitem; teque, in memoriam eius et in honorem tuum, vnice diligam, cupiam necesse est, (atque etiam, quantum in me fuerit, enitar,) vt filius tuus auo similis exsistat: equidem malo materno: quanquam illi paternus etiam clarus spectatusque contigerit: pater quoque et patruus illustri laude conspicui. Quibus omnibus ita demum si- *Plinius l. 3. Ep. 3.*

milis adolescet, si imbutus honestis artibus fuerit, quas plurimum refert, a quo potissimum accipiat. Adhuc illum pueritiae ratio intra contubernium tuum tenuit, praeceptores domi habuit, vbi est vel erroribus modica, vel etiam nulla materia. Iam studia eius extra limen proferenda sunt: iam circumspiciendus rhetor Latinus, cuius scholae seueritas, pudor, inprimis castitas, constet. Adest enim adolescenti nostro cum ceteris naturae fortunaeque dotibus, eximia corporis pulchritudo: cui in hoc lubrico aetatis non praeceptor modo, sed custos etiam rectorque quaerendus est. Videor ego demonstrare tibi posse Iulium Genitorem. Amatur a me: iudicio tamen meo non obstat caritas hominis, quae ex iudicio nata est. Vir est emendatus et grauis: paullo etiam horridior et durior, vt in hac licentia temporum. Quantum eloquentia valeat, pluribus credere potes: nam dicendi facultas aperta et exposita statim cernitur. Vita hominum altos recessus, magnasque latebras habet: cuius prò Genitore me sponsorem accipe. Nihil ex hoc viro filius tuus audiet, nisi profuturum: nihil discet, quod nesciisse rectius fuerit. Nec minus saepe ab illo, quam a te, meque admonebitur, quibus imaginibus oneretur, quae nomina et quanta sustineat. Proinde, fauentibus diis, trade eum praeceptori, a quo mores primum, mox eloquentiam discat, quae male sine moribus discitur.

Quinctil. l. 2. c. 2. 2. Sumat (*praeceptor*) ante omnia parentis erga discipulos suos animum, ac succedere se in eorum locum, a quibus sibi liberi traduntur,

tur, existimet. Ipse nec habeat vitia, nec ferat. Non austeritas eius tristis, non dissoluta sit comitas: ne inde odium, hinc contemtus oriatur. Plurimus ei de honesto ac bono sit sermo. Nam quo saepius monuerit, hoc rarius castigabit. Minime iracundus: nec tamen eorum, quae emendanda erunt, dissimulator.

Orbilius Pupillus, Beneuentanus, litteras professus diu in patria, quinquagesimo demum anno Romam, consule Cicerone, transiit, docuitque maiore fama, quam emolumento. Namque iam persenex, et pauper, habitabat sub tegulis. Fuit naturae acerbae in discipulos. Vnde Horatius, qui eo magistro puer erat vsus, illum plagosum appellat. *Sueton. de Gram. c. 9.*

Non equidem insector, delendaue carmina Liui
Esse reor, memini quae plagosum mihi paruo Orbilium dictare. *Horat. 2. l. Epist 1. v. 69 71.*

3. Nonne pessimus pater videbitur, qui adsiduis plagis liberos, etiam ex leuissimis caussis, compescet? Vter autem praeceptor liberalibus artibus dignior, qui excarnificat discipulos, si memoria illis non constiterit, aut si parum agilis in legendo oculus haeserit: an qui monitionibus et verecundia emendare ac docere malit? Num quidnam aequum est, grauius homini et durius imperari, quam imperatur animalibus mutis? Atqui equum non crebris verberibus exterret domandi peritus magister. Fiet enim formidolosus et contumax, nisi eum tactu blandiente permulseris. *Sen. 1. Clem. c. 16.*

Nullum animal morosius est, nullum maiore arte tractandum, quam homo: nulli *ibid. c. 17.*

magis parcendum. Quid enim stultius, quam in iumentis quidem et canibus erubescere, iram exercere, pessima autem conditione hominem esse? Morbis medemur, nec irascimur: sui animo morbi sunt, qui desiderant medentem minime infestum aegro. Ille, cui aliorum credita salus est, cum eorum vitiis luctetur, et resistat. Aliis morbum suum exprobret; quosdam molli curatione decipiat; ad graviora remedia, vbi tantum necesse fuerit, confugiat.

Ter. Adelph. act. 1. sc. 1. v. 32. 33.

Pudore et liberalitate liberos
Retinere, satius esse credo, quam metu,

pater quidam apud Terentium dicit.

Quinctil. l. c. 3.

4. Tradito sibi puero, docendi peritus ingenium eius inprimis, naturamque perspiciat: prospiciat deinceps, quonam modo tractandus sit discentis animus. Sunt quidam, nisi institeris, remissi: quidam imperia indignantur: quosdam continet metus, quosdam debilitat: alios continuatio extundit, in aliis plus impetus facit. Mihi ille detur puer, quem laus excitet, quem gloria iuuet, qui victus fleat: hic erit alendus ambitu, hunc mordebit obiurgatio, hunc honor excitabit; in hoc desidiam nunquam verebor.

Cicero 3. de Orat. c. 9.

Diligentissime hoc est eis, qui instituunt aliquos atque erudiunt, videndum, quo sua quemque natura maxime ferre videatur. Etenim videmus, ex eodem quasi ludo summorum, in suo cuiusque genere, artificum et magistrorum exisse discipulos dissimiles inter se, attamen laudandos, quum ad cuiusque natu-

naturam institutio doctoris accommodaretur.

CAPVT XXXXVIII.

Parentum aduersus filios seueritas.

1. Titus Manlius Torquatus, magnus vir inprimis, et qui perindulgens in patrem (*fuerat,*) idem acerbe seuerus in filium (*fuit.*) *Cicero, 3. Offic. c. 31.*

Quum Romanis aduersus Latinos Tusculanosque pugnandum esset; placuit consulibus, T. Manlio Torquato, et P. Decio, vt bellum seuero administraretur imperio, et disciplina militaris ad priscos redigeretur mores: edixeruntque, ne quis extra ordinem in hostem pugnaret. Forte inter ceteros turmarum praefectos, qui exploratum in omnes partes dimissi erant, T. Manlius, consulis filius, super castra hostium cum suis turmalibus euasit, ita vt vix teli iactu ab statione proxima abesset. Ibi Tusculani erant equites, quibus praeerat Geminius Metius, vir tum genere inter suos, tum factis clarus. Is vbi Romanos equites, insignemque inter eos praecedentem consulis filium cognouit; paullulum ab suis equo prouectus: *Visne igitur,* inquit, *dum dies ista venit, qua magno conatu exercitus moueatis, interea tu ipse congredi mecum, vt nostro duorum iam hinc euentu cernatur, quantum eques Latinus Romano praestet?* Mouet ferocem animum iuuenis, seu ira, seu detrectandi certaminis pudor, seu inexsuperabilis vis fati. Oblitus itaque imperii patrii, consulumque edicti, praeceps *Liuius l. 8 cap. 6. cap. 7.*

ad id certamen agitur; quo vinceret, an vinceretur, haud multum interesset.

Equitibus ceteris, velut ad spectaculum, submotis, Metius et Manlius aduersos concitarunt equos, et quum infestis cuspidibus concurrissent, Romanus Tusculanum ex equo excussum transfixit, spoliisque lectis ad turmam suam reuectus, in castra ad patrem tendit. Tum: *Vt me omnes*, inquit, *pater tuo sanguine ortum vere ferrent, prouocatus equestria haec spolia, capta ex hoste caeso, porto.* Quod vbi audiuit consul, extemplo filium auersatus, et ipsi naturae patrioque amori praetulit ius maiestatis, cuius intererat exercitum in grauissimo bello animaduersionis metu contineri, milites classico aduocari iussit. Qui postquam frequentes conuenere: *Quandoquidem*, inquit, *tu, Tite Manli, neque imperium consulare, neque maiestatem patriam veritus, aduersus edictum nostrum extra ordinem in hostem pugnasti; et quantum in te fuit, disciplinam militarem, qua stetit ad hanc diem Romana res, soluisti, meque in eam necessitatem adduxisti, vt aut reipubl. mihi, aut mei, meorumque obliuiscendum sit. Nos potius nostro delicto plectemur, quam respublica tanto suo damno peccata nostra luat. I, lictor, deliga ad palum.*

Exanimati omnes tam atroci imperio, nec aliter, quam in se quisque districtam cernentes securim, metu magis, quam modestia, quieuere. Postquam ceruice caesa fusus est cruor, tum libero conquestu coortae voces sunt, vt neque lamentis, ueque exsecrationibus parceretur.

retur. Deinde spoliis contectum iuuenis corpus, quantum militaribus studiis funus vllum concelebrari potest, structo extra vallum rogo, a militibus crematum est.

Fecit atrocitas poenae, de Manlio sumtae, obedientiorem duci militem, et ea seueritas ad felicem belli exitum profuit. Quum T. Manlius consul Romam victor rediit, ei venienti seniores tantum obuiam exierunt: iuuentus et tunc, et omni deinde vita auersata eum, exsecrataque est. *ibid. c. 8.* *ib. c. 12.*

Viguit quoque plurimum apud Lacedaemonios disciplina militaris. Itaque quum in acie quidam Lacon strictum ensem iam esset in hostem infixurus, audito signo, quod canebat receptui, non infixit. Interrogatus deinde, cur hostem, quem in potestate habebat, non occidisset: *Quoniam*, inquit, *melius est, parere imperatori, quam hostem occidere.* *Plut. in Apophth.*

2. Quum Macedonum legati (*Romam*) conquestum venissent de Iunio Sillano, Manlii Torquati filio, quod (*Praetor*) acceptis pecuniis, prouinciam spoliasset, pater, (*auitae seueritatis heres,*) petiit impetrauitque (*a Patribus Conscriptis,*) ne quid ante de ea re statuerent, quam ipse Macedonum filiique sui causam inspexisset. Id a senatu libenter concessum est viro rarae dignitatis, (vtpote Consulari) iuris quoque ciuilis, et sacrorum Pontificalium peritissimo, et cognitione suscepta, domi consedit, solusque vtrique parti per totum biduum vacauit (*audiendae*) ac tertio die plenissime diligentissimeque auditis testibus, ita pronuntiauit: *Liu. Epit. 54. Valer. l. 5. c. 8.* *Valer. l. c.*

Cic. 1. de fin. cap. 7. Valer. l. c. *Filium suum non talem videri fuisse in imperio, quales eius maiores fuissent.* Et in conspectum suum deinceps venire vetuit. Tam tristi patris sententia perculsus Sillanus, lucem vlterius intueri non sustinuit, suspendioque se proxima nocte consumsit. Peregerat iam Torquatus seueri et religiosi iudicis partes, satisfactum erat reipublicae, habebat vltionem Macedonia, potuit tam verecundo obitu filii patris rigor inflecti. At ille neque adolescentis (*filii*) exequiis interfuit, (vt patribus mos erat apud Romanos) et (eo ipse die) quum maxime funus eius duceretur, consulere se volentibus vacuas aures accommodauit.

Valer. ib. 3. (Vt Torquatus fuerat seuerus in coërcenda filii (Iunii Sillani) auaritia, sic fuit Scaurus in punienda filii sui ignauia.) Nam quum apud Athesim flumen impetu Cimbrorum Romani equites pulsi, deserto Proconsule Q. Catulo, pauidi vrbem (*Romam*) repeterent, consternationis eorum participi filio suo misit, qui dicerent: *Se libentius in acie eius interfecti ossibus occursurum, quam ipsum tam deformis fugae reum visurum* (*reducem.*) *Itaque, si quid modo reliquum in pectore verecundiae supereset, conspectum irati patris degener vitaret.* Recordatione enim iuuentae suae qualis M. Scauro aut habendus, aut spernendus esset filius, admonebatur. Quo nuntio accepto, iuuenis coactus est fortius aduersus semetipsum gladio vti, quam aduersus hostes vsus fuerat.

Valer. ib. Nec minus animose A. Fuluius, vir senatorii ordinis, euntem filium in aciem retraxit, quam

quam Scaurus e praelio fugientem increpuit. Namque iuuenem et ingenio, et litteris, et forma inter aequales nitentem, prauo consilio amicitiam Catilinae secutum, inque castra eius temerario impetu ruentem, in medio itinere abstractum supplicio mortis affecit, praefatus: *Non se Catilinae illum aduersus patriam, sed patriae aduersus Catilinam genuisse.*

4. Homo quidam, genere Mardus, nomine Rhacoces, septem habebat filios, quorum minimus, nomine Cartomes, adolescens supra aetatem audax, multa suis fratribus mala quotidie inferebat. Quum eum pater non destitisset clementer admonere, et verbis castigare, neque ille auscultaret vtilia suadenti; venere forte in eam regionem iudices illi, qui iussu regis Persarum singulas prouincias peragrare soliti erant ad ius dicendum, et propterea aliquando Oculi regis vocabantur. Tum vero Rhacoces filium comprehendit, et manibus post tergum ligatis ad iudices traxit: quibus quum enumerasset, quae fuerant ab illo audacter et improbe perpetrata, postulauit, vt contumaciae et improbitatis poenas morte lueret. Tam inusitata parentis aduersus filium postulatione obstupefacti iudices, a sententia ferenda abstinuere, et vtrumque ad regem Persarum Artaxerxem deduxerunt.

Aelian. V. H. l. 1. cap. 34.

Xenoph. Cyrop. l. 1.

Vt stetit in conspectu Artaxerxis Rhacoces, et eadem, quae prius, aduersus filium conquestus est, ac postulauit: *Ergone*, inquit rex, *tu oculis tuis videre morientem filium sustinebis pater? Maxime*, respondit ille:

le: *quoniam in horto quoque, quum lactucarum amaros surculos defringo et amputo, nihil omnino mali ex eo mater ipsorum, ipsa lactuca, sentit: sed efflorescit magis, maiorque et dulcior euadit. Pariter et ego, o Rex, quum videro prohiberi ab iniuria facienda, et perire eum, qui et domui meae et fratribus suis plurimum nocet, meae res melius se habebunt, et cum reliquis filiis vna prospere agentibus viuam.* Quibus auditis, Artaxerxes collaudatum quidem Rhacocem inter regios iudices sedere iussit, ita adlocutus eos, qui praesentes aderant: *Qui tam iuste de suis ipsius liberis sententiam pronuntiat, omnino etiam aduersus alios diligens erit, et incorruptus iudex.* Adolescentem vero praesenti poena liberauit, grauissimum mortis genus interminatus ei, si deinceps deprehensus esset patrare similia praeteritis.

Corn. Nep. in Pausan. cap. 5

6. Pausanias, Lacedaemoniorum dux, elatus victoria parta de Mardonio apud Plataeas, nefaria aduersus patriam consilia inierat. Eum propterea comprehendi quum iussissent Ephori, in aedem Mineruae, quae Chalcioecus vocatur, confugit. Hinc ne exire posset, statim Ephori valuas eius aedis obstruxerunt, tectumque sunt demoliti, quo facilius sub dio interiret. Dicitur eo tempore matrem Pausaniae vixisse, eamque iam magno natu, postquam de scelere filii comperit, in primis, ad filium claudendum, lapidem ad introitum aedis attulisse. Hic quum semianimis de templo elatus esset; confestim animam efflauit. Cuius mortui corpus quum eodem nonnulli dicerent inferri oportere loco, quo hi,

hi, qui ad supplicium essent dati; displicuit pluribus: et procul ab eo loco infoderunt, in quo erat mortuus. Inde posterius dei Delphici responso erutus, atque eodem loco sepultus, vbi vitam posuerat.

Caput XXXXVIIII.

Parentum amor in liberos.

1. Erat Murgentii, quod est oppidum Siciliae, vir opibus et gloria princeps ciuitatis suae, cui cognomen Cambalus. Hic venatum egressus, quum in latronum manus paene incidisset; pedibus in oppidum coepit contendere. Ei tum forte Gorgus pater, equo vectus, occurrens, statim equo desiliit, filiumque hortatus est, vt equo inscenso protinus se in vrbem reciperet. At filius salutem suam patris incolumitati praeferri non est passus: neque pater viciſſim voluit periculum effugere, proiecto ad certam mortem filio. Itaque quum alter alterum flens oraret, et ambo inter se certarent, paterno amore in filium contendente cum filii pietate in patrem, interim latrones vtrumque adsecuti confoderunt. *Diod. Sic. l. 34.*

2. Zaleucus apud Locrenses legem tulerat, vt adultero oculi effoderentur. Cuius flagitii quum paullo post conuictus fuisset ipsius filius; poenam ex paterna lege daturus erat. At tota ciuitas in honorem patris, a quo saluberrimis legibus fuerat munita, postulabat a Zaleuco, vt filio suo indulgeri pateretur, neceſſitatemque poenae adolescentulo remitteret. Aliquamdiu repugnauit: *Aelian. V. H. l. 13. cap. 24.*

uit: ad vltimum (*ille tandem*) precibus populi euictus, suo prius, deinde filii oculo erutо, vsum vtrique videndi reliquit. Ita debitum supplicii modum legi reddidit, aequitatis admirabili temperamento, se inter misericordem patrem, et iustum legislatorem partitus: ne quod semel sancitum fuerat, irritum fieret per impunitatem admissi flagitii.

A. Gell. l. 3. *c.* 15. 3. Diagoras Rhodius tres filios adolescentes habuit, vnum pugilem, alterum pancratiastem, tertium luctatorem: eosque omnes vidit vincere coronarique eodem Olympiae die. Et quum ibi eum tres adolescentes amplexi, coronis suis in caput patris positis, suauiarentur, quumque populus gratulabundus flores vndique in eum iaceret; ibi in stadio, inspectante populo, in osculis atque in manibus filiorum animam efflauit.

Liuius l. 10. *cap.* 7. 4. Vbi accepta ad Transimenum lacum clades Romae audita est, tot in curas dispertiti eorum animi erant, quorum propinqui sub C. Flaminio Cos. meruerant, ignorantium, quae cuiusque suorum fortuna esset. Nec quisquam satis certum habet, quid aut speret, aut timeat. Postero, ac deinceps aliquot diebus ad portas maior prope mulierum, quam virorum, multitudo stetit; aut suorum aliquem, aut nuntios de his opperiens: circumfundebanturque obuiis scisscitantes, neque auelli vtique a notis prius, quam ordine omnia inquisiuissent, poterant. Inde varios vultus digredientium ab nuntiis cerneres, vt cuique aut laeta, aut tristia nuntia-

tiabantur: gratulantesque aut consolantes redeuntibus domos circumfusos. Feminarum praecipue et gaudia insignia erant, et luctus. Vnam in ipsa porta, sospite filio repente oblato, in conspectu eius exspirasse ferunt: alteram, cui mors filii falso nuntiata erat, moestam sedentem domi, ad primum conspectum redeuntis filii gaudio nimio exanimatam. (*Sic*) quas dolor non exstinxerat, laetitia consumsit. *Valer. l. 9. cap. 12.*

Caput L.

Sua sunt coniugibus munia adsignata a natura.

1. Gradus plures sunt societatis hominum. Prima societas est in ipso coniugio. *Cicer. 1. Offic. c. 17.*

Maritale coniugium sic comparatum est natura, vt non solum iucundissima, verum etiam vtilissima vitae societas iniretur, et ne genus humanum temporis longinquitate occideret. Propter hoc mas cum femina est coniunctus: deinde vt ex hac eadem societate mortalibus adiutoria senectutis, nec minus propugnacula praeparentur: tum etiam, quum victus et cultus humanus non, vti feris, in propatulo, ac siluestribus locis, sed domi sub tecto accurandus esset, necessarium fuit, alterutrum foris sub dio esse, qui labore et industria compararet: intus, qui tectis reconderet atque custodiret: siquidem vel rusticari, vel nauigure, vel etiam alio genere negotiari necesse erat, vt aliquas facultates acquireremus. Quum vero paratae res sub tectum essent congestae, alium esse *Idem fragm.*

esse oportuit, qui et illatas custodiret, et cetera conficeret opera, quae domi deberent administrari. Nam et fruges, et cetera alimenta terrestria indigebant tecto: et ouium, ceterarumque pecudum foetus, atque fructus claustro custodienda erant, nec minus reliqua vtensilia, quibus aut alitur hominum genus, aut etiam excolitur. Quare quum et operam, et diligentiam ea, quae proposuimus, desiderarent, nec exigua cura foris acquirerentur, quae domi custodiri oporteret: iure, vt dixi, a natura comparata est opera mulieris ad domesticam diligentiam, viri autem ad exercitationem forensem et extraneam. Itaque viro calores et frigora perpetienda, tum etiam itinera et labores pacis ac belli, id est, rusticationis, et militarium stipendiorum, distribuit: mulieri deinceps, quod omnibus his rebus fecerat inhabilem, domestica negotia curanda tradidit. Et quoniam hunc sexum custodiae et diligentiae adsignauerat, idcirco timidiorem reddidit, quam virilem. Nam metus plurimum confert ad diligentiam custodiendi. Quod autem necesse erat foris, et in aperto victum quaerentibus nonnunquam iniuriam propulsare, idcirco virum, quam mulierem fecit audaciorem. Quia vero partis opibus aeque fuit opus memoria, et diligentia: non minorem feminae, quam viro, earum rerum tribuit possessionem. Tum etiam, quod simplex natura non omnes res commodas amplecti volebat, idcirco alterum alterius indigere voluit; quoniam, quod alteri deest, praesto plerumque est alteri.

CAPVT

CAPVT LI.

Maritorum amor in vxores.

1. Tiberius Gracchus, qui bis consul, et censor (*Romae*) fuit, idemque et summus augur, et vir sapiens, ciuisque praestans; geminos reportauit triumphos; maiorem tamen ex virtute et sapientia gloriam inuenit. Itaque dignus est habitus, qui in matrimonium acciperet Corneliam, filiam P. Scipionis, a quo deuictus fuerat Hannibal. Nonne, (vt C. Gracchus, filius eius scriptum reliquit,) duobus anguibus (diuersi sexus in thalamo) domi comprehensis, rem prodigii loco habuit, quia augur erat, et haruspices conuocauit? Qui quum respondissent: *Non esse occidendos ambos angues, non esse etiam dimittendos: sed occiso vno, alterum dimittendum: si marem emisisset, vxori breui tempore esse moriendum (celerem mortem instare:) si feminam, ipsi.* Aequius esse censuit, se (iam aetate prouectum) maturam oppetere mortem, quam Corneliam, quae iuuenis esset, et adhuc patriae dare ciues posset ex alio marito. Itaque et vxori parcens, et reipublicae consulens, hoc erat vxori parcere, et reipublicae consulere, feminam (serpentem) emisit: ipse paucis post diebus est mortuus. Marito superstes coniux, sic rei familiaris curam gessit, sic liberos instituit, tantam vitae sanctitatem et animi magnitudinem ostendit, vt non male visus sit consuluisse Tiberius, qui pro tali muliere voluisset emori.

Cicer. l. 1. de diu. c. 18. *Plinius l. 7. c. 36.* *Valer. l. 4. cap. 6.* *Plin. ib.* *Cic. c. l.*

Ab hoc mariti in vxorem amore longe abfuit Admetus, Pheraeorum rex, si poëtis fides

Valer. ib. *Eurip. in Alcest.*

fides habeatur. Nam quum a diis monitus esset, fore, vt praesentem mortem effugeret, si quis reperiretur, qui eius vice mori vellet; passus est coniugem suam Alcestim, adhuc integra aetate florentem, voluntario obitu pro se defungi.

Valer. ib. 2. C. Plautius, morte vxoris audita, doloris impotens, pectus suum gladio percussit: interuentu deinde domesticorum, inceptum exsequi prohibitus, colligatusque; vt primum occasio data est, scissis fasciis, ac vulnere diuulso, constanti dextra, spiritum luctus acerbitate permistum, ex ipsis praecordiis, et (ex imis) visceribus hausit. Tam violenta morte testatus, quantum maritalis flammae illo pectore clausum habuisset.

c. l. Eiusdem vt nominis, ita amoris quoque (seu potius furoris) M. Plautius. Nam quum Tarentum classe appulisset, atque ibi vxor eius Horestilla, quae illuc eum prosecuta fuerat, morbo pressa decessisset; funerata ea, et in rogum imposita, inter officium vnguendi, et osculandi, stricto ferro incubuit.

Plut. in Caton. 3. Dicebat Cato maior, maiorem laudem esse boni mariti, quam magni senatoris: et Socratem illum veterem sibi propterea maxime admirationi esse, quod perpetuo placide, comiterque vixisset cum vxore morosa.

CAPVT

CAPVT LII.

Vxorum constans amor in maritos.

1. Porcia, M. Catonis (*Vticensis*) filia, quum apud Philippos victum et interemtum virum Brutum cognosceret; quia ferrum, (quod poscebat ad mortem sibi inferendam) non dabatur, ardentes ore carbones haurire non dubitauit, muliebri spiritu virilem patris exitum imitata: nouo genere mortis absumta est. *Valer. l. 4. cap. 6.*

Coniugis audisset fatum quum Porcia Bruti,
Et subtracta sibi quaereret arma dolor,
Nondum scitis, ait, *mortem non posse negari?*
Credideram, satis hoc vos docuisse patrem.
Dixit: et ardentes auido bibit ore fauillas.
I nunc, et ferrum, turba molesta nega. *Martial. l. lib. Epigr. 43.*

Ad mortem fortiter ferendam sese antea erudierat Porcia minime muliebris animi: quae, quum Bruti, viri sui, consilium, quod de interficiendo Caesare ceperat, ea nocte, quam dies teterrimi facti secutus est, cognouisset; egresso cubiculum Bruto, (pridie, quam Caesar a Bruto ceterisque consciis est occisus) cultellum tonsorium, quasi vnguium resecandorum caussa, poposcit, eoque velut forte (a manibus) elapso, se (ipsa) vulnerauit: clamore deinde ancillarum in cubiculum (vxoris) reuocatus Brutus, obiurgare eam coepit, quod tonsoris praeripuisset officium. Cui secreto Porcia (dixit): *Valerius l. 3. cap. 2.*

Non

Non est, inquit, *hoc factum meum temerarium; sed in tali statu nostro, amoris mei erga te certissimum indicium. Experiri enim volui, si tibi propositum parum ex sententia cessisset, quam aequo animo me ferro essem interemtura.* Dicitur Brutus, his auditis, manus

Plut. in Bruto

er oculos ad caelum sustuliſſe, deosque oraſſe, vt dignus coniuge Porcia maritus poſſet videri.

Plin. l. 3. Epist. 16.

2. Aegrotabat Caecinna Paetus, maritus Arriae, aegrotabat et filius, vterque mortifere, vt videbatur. Filius deceſſit, eximia pulchritudine, pari verecundia, et parentibus non minus ob alia carus, quam quod filius erat. Huic illa ita funus parauit, ita duxit exſequias, vt ignoraret maritus. Quin immo, quoties cubiculum eius intraret, viuere filium atque etiam commodiorem eſſe ſimulabat. Ac perſaepe interroganti, quid ageret puer? reſpondebat: *bene quieuit, libenter cibum ſumſit.* Deinde quum diu cohibitae lacrimae vincerent prorumperentque, egrediebatur. Tum ſe dolori dabat. Satiata, ſiccis oculis, compoſito vultu, redibat, tanquam orbitatem foris reliquiſſet.

Scribonianus arma in Illyrico contra Claudium mouerat: fuerat Paetus in partibus, et, occiſo Scriboniano, Romam trahebatur. Erat adſcenſurus nauem, Arria milites orabat, vt ſimul imponeretur. *Nempe enim*, inquit, *daturi eſtis conſulari viro ſeruulos aliquos, quorum e manu cibum capiat, a quibus veſtiatur, a quibus cal-*

calcietur: omnia vel sola praestabo. Non impetrauit. Conduxit piscatoriam nauiculam, ingensque nauigium minimo secuta est. Eadem apud Claudium vxori Scriboniani, quum illa profiteretur indicium: *Ego*, inquit, *te audiam, cuius in gremio Scribonianus occisus est, et viuis?* Ex quo manifestum est, ei consilium pulcherrimae mortis non subitum fuisse. Quin etiam quum Thrasea, gener eius, deprecaretur, ne mori pergeret, interque alia dixisset: *Tu vis ergo filiam tuam, si mihi pereundum fuerit, mori mecum?* respondit: *si tamdiu, tantaque concordia vixerit tecum, quam ego cum Paeto, volo.* Auxerat hoc responso curam suorum; attentius custodiebatur. Sensit, et: *nihil agitis*, inquit, *potestis enim efficere, vt male moriar: ne moriar, non potestis.* Dum haec dicit, exsiluit e cathedra, aduersoque parieti caput ingenti impetu impegit, et corruit. Refocillata: *dixeram*, inquit, *vobis, inuenturam me, quamlibet duram ad mortem viam, si vos facilem negassetis.* Poterat sane marito peremto viuere, atque etiam in aliquo honore esse, quia Messalinae, Claudii vxori, erat coniunctissima: at ei mortis comes esse voluit. Quin etiam vt illum excitaret ad mortem virili animo oppetendam, ipsa prior pectus suum perfodit, et extractum e vulnere pugionem marito porrigens, immortalem hanc vocem edidit: *Paete, non dolet.* *Dio l. 68*

Casta suo gladium quum traderet Arria Paeto, *Martial. l. lib. Epigr. 14.*

Quem

Quem de viſceribus traxerat ipſa ſuis:
Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet,
inquit:
Sed quod tu facies, hoc mihi, Paete, dolet.

Valer. l. 4. *cap.* 6. *A. Gell. l.* 10. *c.* 18.

3. Gentis Cariae regina Artemiſia virum ſuum Mauſolum fato abſumtum (maxime dilexit viuum:) quantopere deſiderarit, leue eſt, poſt conquiſitorum omnis generis honorum, monimentique, vsque ad ſeptem miracula prouecti, magnificentiam argumentari. Id monumentum Artemiſia quum diis Manibus (ſacris) Mauſoli dicaret: ἀγῶνα (id eſt *certamen*) laudibus eius dicundis, facit: ponitque praemia pecuniae, aliarumque rerum bonarum ampliſſima. Ad eas laudes decertandas veniſſe dicuntur viri nobiles ingenio atque lingua praeſtabili Theopompus, Theodectes, Naucrites. Sunt etiam, qui Iſocratem ipſum cum iis certauiſſe memoriae mandauerint. Quid enim aut eos (dixiſſe) colligas, aut de illo inclito tumulo loquare, quum ipſa Mauſoli viuum ac ſpirans ſepulcrum fieri concupierit, et oſſa cineremque eius miſta odoribus, contuſaque in pulueris faciem, aquae indiderit ebiberitque. Aut ſaltem, vt Ciceroni placet, quamdiu vixit, vixit in luctu, eodemque etiam confecta contabuit.

Cicero 4. *Tuſc. c.* 31.

Eraſm. Apophth.

4. Marcia, Catonis Vticenſis filia, quum diutius lugeret maritum, interrogata, quem diem luctus vltimum eſſet habitura? reſpondit, ſibi futurum eundem luctus finem, et vitae. Et Valeria, Meſſalarum ſo-

ror,

ror, rogata, cur, amisso Seruio viro, nulli vellet nubere? *Quoniam*, inquit, *mihi semper viuit maritus Seruius.*

Phocionis vxor mulieri cuidam aureas, et gemmis distinctas vestes ostentanti, dixit: *At mihi satis splendidum ornamentum est Phocion meus, pauper quidem, sed vicesimo iam anno Athenienſium dux.* *Stobaeus serm. 5.*

Caput LIII.

Coniugis delectus ex moribus fiat.

1. Lycurgum quodam percontante, cur virgines indotatas nubere lege praecepisset: *Vt*, inquit, *neque propter egestatem aliquae relinquantur innuptae, neque aliae propter diuitias expetantur: Sed iuuenum quisque mores puellae spectans, ex virtute eligat.* *Plut. Apophth.*

Virgo, dummodo morata recte veniat, dotata est satis. *Plaut. Aulul. act 2 sc. 3*

Dos est magna parentium virtus.

Dicebat Cleobulus, filias nuptui locari oportere aetate virgines, sed prudentia et sensu mulieres. *Horat. l. 3. Od. 24. v. 21.*

Vnicae filiae pater Themistoclem consulebat, vtrum eam pauperi, sed ornato; an locupleti, sed parum probato, collocaret. Cui is: *malo*, inquit, *virum pecunia, quam pecuniam viro indigentem.* Quo dicto stultum monuit, vt generum potius, quam diuitias generi legeret. *Diog. Laert. in Cleob. segm. 91. Valer. l. 7. cap. 2. Cicero 2. Offic. c. 20.*

2. Adolescens Pittacum rogauit, vt doceret, vtra sibi e duabus puellis ducenda esset, vxor: duas enim offerri dixit, alteram genere atque opibus parem sibi, *Diog. Laert. in Pittac. segm. 79. 80.*

alteram vtraque re sibi praestantem. Ille, sublato baculo, quo propter aetatem adminiculo vtebatur, triuium ostendit, quo ludendi caussa pueri solerent conuenire, eoque iussit illum pergere, vt audiret a pueris, quid ipsi facere optimum esset. Paruit adolescens, et pueros in triuio audiuit inuicem dicentes: *tu, tibi sume parem.*

Diog. Laert. in Thal. segm. 16. 3. Thales a ducenda vxore alieno animo erat. Vrgenti aliquando matri, vt se matrimonii vinculis adstringeret: *Nondum tempestiuum esse*, respondit. Multos post annos quum eadem acrius instaret: *iam*, inquit, *intempestiuum est.*

Plut. in Sol. Quum Solon Miletum veniisset ad Thaletem; mirum sibi videri dixit, quod nuptiarum et sobolis omnino negligens esset. Nihil tum Thales respondit: sed paullo post peregrinum quendam subornauit, qui se nuper Athenis adueniisse simularet. Quaerente Solone, num quid in ea vrbe noui? Homo, quae diceret edoctus a Thalete, nihil aliud contigisse respondit, nisi quod adolescentem quendam efferri vidisset, cuius funus tota ciuitas prosequeretur. *Erat quippe*, inquit, *vt ferebant, filius viri inter ciues virtute praecellentis, et iamdudum ab vrbe absentis. O infortunatum parentem!* exclamat Solon. *Ceterum dic*, inquit, *quodnam eius nomen ferebant? Audiui equidem*, respondit ille, *sed excidit mihi. Hoc tantum memini, multum habitum esse sermonem de illius viri sapientia ac iustitia.* Solon, cuius metus

ad

ad singulas peregrini responsiones magis ac magis crescebat, turbatus animo atque anxius quaesiuit, *numquid ille fato functus adolescens, Solonis esse filius diceretur?* Quod ita esse, respondente illo, coepit Solon caput caedere, aliaque et facere et dicere, quae solent magno moerore oppressi. Tum ridens Thales, qui aderat: *Haec me*, inquit, *o Solon, a ducenda vxore, et tollendis liberis, absterruerunt, quae te etiam fortissimi animi virum nunc frangunt. Te vero nihil hic nuntius moueat: haec enim omnia ficta sunt.*

Caput LIIII.

Magna sit inter fratres concordia et beneuolentia.

1. Amicitiae eorum hominum, quos familiaritas coniunxit, nihil aliud sunt, quam vmbrae et imagines illius primae, quam natura fratribus erga fratres indidit, caritatis. Hanc qui non colit studiose ac veneratur, an fidem facere cuiquam potest, se aliis esse beneuolum? *Plut. de amore fraterno.*

Sanguinis autem coniunctio, et beneuolentia deuincit homines, et caritate. Magnum est enim, eadem habere monumenta maiorum, iisdem vti sacris, sepulcra habere communia. *Cicero 1. Offic. c. 17.*

Quis amicior est, quam frater fratri? aut quem alienum fidum inuenies, si tuis hostis fueris? *Sallust. Iug. c. 3.*

Silurus, Scytharum rex, morti proximus, afferri fasciculum hastilium iussit, eum- *Plutarch. de Gar-*

eumque, vt erat colligatus, dedit confringendum filiis suis octoginta. Quum id quisque se posse facere negasset; ipse, soluto fasciculo, singula hastilia facile confregit: ita docens illos, si concordes essent, insuperabiles fore: si dissiderent, infirmos futuros.

Plut. de am. frater.

2. Ego nostra aetate non minus raram fratrum amicitiam video esse, quam fuere quondam fratrum inimicitiae: quae quia naturae legi aduersabantur, in tragoediis et theatris publice sunt exagitatae.

Plutarch. in Aemil.

L. Paullus Aemilius filiarum alteram Catonis filio in matrimonium dedit, alteram Aelio Tuberoni, viro optimo, et qui fortissime paupertatem tulit. Sexdecim erant Aelii, qui omnes cum numerosa sobole et vxoribus in aedibus perangustis concordi animo habitabant. At huius nostrae aetatis fratres et cognati, inquit Plutarchus, nisi multum inter se spatii interiecerint, nisi muris, fluminibus, regionibus distinxerint patrimonia et rem familiarem, non cessant a mutuis contentionibus.

Plutarch. de am. frater.

3. Quum mortuus est pater, rectum est, fratres magis etiam, quam prius, studiosos esse retinendae mutuae beneuolentiae, neque ad paternam hereditatem accedere, quasi ad spolia ex hoste diripienda, imitantes pessimum exemplum Chariclis et Antiochi, qui relictum a patre poculum argenteum ac vestimentum, in duas partes discissum, abstulerunt. Diligenter ergo obseruent illum herciscundae hereditatis diem, qui aut

discordiae inimicitiaeque implacabilis, aut concordiae amicitiaeque principium esse solet.

Mortuo L. Paullo Aemilio, P. Scipio Aemilianus cum fratre Fabio heres relictus, animum vere fraternum in eum ostendit. Nam quum illum videret re familiari minus, quam se, instructum esse; vniuersam hereditatem, quae sexaginta talentis et pluris aestimabatur, ei concessit. Sic enim demum Fabius opibus aequalis ipsi erat futurus. Quod factum quum ab omnibus celebraretur, aliud quoque clarius animi sui specimen dedit. Nam quum Fabius in funere patris gladiatores dare constituisset, neque eum sumtum facile posset sustinere; Scipio dimidiam impensae partem de suo est largitus. Huiusmodi vero impensa non minor triginta talentis tum solebat esse, si quis magnifice munus gladiatorium edere vellet. Quum Scipionis quoque mater Papiria paullo post de vita decessisset; vniuersam hereditatem concessit sororibus, tametsi nulla pars bonorum legibus ad eas rediret. *Diod. Sic. l. 31.*

Aeternam sibi apud posteros famam parauit Proculeius paterno in fratres animo. Eques Romanus fuit, Augusti amicus. Patre mortuo, patrimonium cum fratribus, Murena et Scipione, aequis partibus diuiserat: at illi bello ciuili bonis omnibus spoliati sunt. Quam calamitatem vt leniret Proculeius, facultates omnes suas cum fratribus iterum est partitus. Vnde Horatius dixit: *Horat. Comm.*

l. 2. Od. 2. v. 5. Viuet extento Proculeius aeuo,
Notus in fratres animi paterni.

Plutarch. de am. fratern. Iustinus l. 12. c. 10.

4. Operae pretium est, disceptationem audire fratrum barbarorum, non de agelli particula, non de mancipiis, non de pecore, sed de ipso Persidis regno. Quum Darius, Persarum rex, obiisset; certamen de regno eius ortum est inter Artemenem, maximum natu filiorum eius, et Xerxem: quod quidem concordi animo ad patruum suum, Artaphernem, velut ad domesticum iudicem, detulerunt. Qui, domi cognita caussa, Xerxem praeposuit: adeoque fraterna contentio fuit, vt nec victor insultauerit, nec victus doluerit, ipsoque litis tempore inuicem munera miserint: iucunda quoque inter se non solum, sed credula conuiuia habuerint: iudicium quoque ipsum sine arbitris, sine conuicio, fuerit. Tanto moderatius tum fratres inter se regna maxima diuidebant, quam nunc exigua patrimonia partiuntur.

Plut. ib.

5. Antiochus, cognomento Accipiter, aduersus Seleucum fratrem de regno bellum gerebat. Quum tamen Seleucus, a Galatis victus, nusquam appareret, et interfectus putaretur; Antiochus purpuram deposuit, pullaque veste sumta, et clausa regia, fratrem luxit. Paullo post quum audiuisset, illum viuere, et alium exercitum colligere; in publicum progressus, Diis sacra propter salutem fratris fecit, et subditas sibi gentes in signum laetitiae coronas gestare iussit.

Herod. l. 1

6. Darius, Hystaspis filius; Persarum

rex

rex, in custodiam tradi iusserat Intaphernem, vnum e purpuratis, cum liberis atque omni familia necandum. Exanimata Intaphernis vxor ad regias fores statim aduolauit: et quum nec lacrimis, nec precibus modum faceret; hoc illi rex concedere se dixit, vt, si quem ex omnibus moti addictis saluum prae ceteris cuperet, is ei condonaretur. Quos quia omnes ex aequo amabat mulier, diu inops consilii permansit. Tandem fratrem sibi postulauit condonari. Quod miratus rex, quaesiuit, cur maritum vxor, filios mater negligens, fratrem elegisset, qui videbatur minus iucundus ac carus futurus esse. Tum illa: *Rex*, inquit, *maritus mihi alius, atque alii liberi possunt contingere, his amissis, si Dii voluerint: alius vero frater minime, vtpote exstinctis iam parentibus meis.* Hoc responso delectatus rex, fratrem, quem optauerat, dimisit, et filium natu maximum: ceteros iussit ad mortem rapi.

7. Bello Antiochi magno et graui, quum L. Scipioni, Publii filio, obuenisset Asia; parumque in eo putaretur esse animi, parum roboris, Senatusque ad collegam eius C. Laelium, huius sapientis patrem, negotium deferret: surrexit P. Africanus, frater maior L. Scipionis, et illam ignominiam familiae deprecatus est: dixitque, et in fratre suo summam virtutem esse, summumque consilium, neque se ei legatum, id aetatis, iisque rebus gestis, defuturum. Quod quum ab eo esset dictum: nihil est de Scipionis prouincia commutatum, *Cicero Philipp.* II. c. 7.

tum. Itaque frater natu maior, minori legatus in Asiam profectus, tamdiu eum consilio operaque adiuuit, donec ei triumphum et cognomen Asiatici peperisset.

Plutarch. in Catone. 8. Quum admodum puer esset Cato Vticensis, quaerentibus ex eo quibusdam, quem omnium maxime diligeret? respondit, fratrem. Iisdem rursus quaerentibus, quem secundum maxime diligeret? fratrem quoque respondit. Interrogatus de tertio, idem responsum dedit; donec illi a percontatione desisterent. Creuit cum aetate, illa in fratrem beneuolentia et reuerentia: ab eius latere non discedebat, ei se in cunctis obedientem praebebat, et annos natus viginti sine fratre Caepione nunquam coenauerat, non in forum progressus, non peregre profectus fuerat. Vtriusque probi erant mores: at Catonis vita seuerior. Itaque Caepio, quum ipsius frugalitas et temperantia laudaretur, fatebatur se virum frugi videri posse, si cum multis Romanorum compararetur: *At vbi*, inquiebat, *cum Catonis vita comparo meam, nihil mihi videor a Sippio differre.* Erat autem ille Sippius vir nequam, et luxu perditus.

Bello aduersus Spartacum, voluntaria stipendia fecit Cato fratris caussa, qui tum Tribunus militum erat. Quum deinde accepisset, eum Asiam petentem incidisse in morbum Aeni in Thracia; licet tum grauis tempestas saeuiret, neque ad manum esset magna nauis, soluit e portu Thessalonicae exigua naui oneraria cum duo-

duobus tantum amicis et tribus seruis: et paene hausstus fluctibus, tandem praeter spem incolumis euasit. At fratrem modo defunctum reperit. Tum vero et questibus, et lacrimis, et iis omnibus, quae dolor suadet, totum se tradidit, tam pius et lenis in suos, quam asper et inuictus aduersus voluptates, minas, et iniquas postulationes. Mortui corpus, quam magnificentissimo potuit funere, extulit, et conspicuum e pretioso marmore tumulum ei in Aeni foro exstrui curauit suis impensis. Vela posteà facturus, quum suaderent amici, vt Caepionis reliquias in alio nauigio poneret, animam se prius, quam illas, relicturum respondit, atque ita soluit.

9. Apollonis, mater Eumenis regis, ac trium praeterea filiorum, nempe Attali, Philetaeri, et Athenaei, saepissime se beatam praedicabat, et Diis gratias agebat, non propter diuitias atque imperium: sed quod tres e filiis suis videret esse fratris natu maximi quasi satellites, ita vt ille sine vllo metu versaretur in medio ipsorum gladios et hastas ferentium. Contra Xerxes, Ochum filium insidias fratribus struxisse, quum comperisset, moerore est exstinctus. *Plutarch. de am. frater.*

10. Si qua forte inter fratres controuersia exorta est; ea statim aut ab ipsis, aut arbitrorum iudicio dirimatur: imitandique sunt Pythagoraei, qui non cognatione, sed doctrinae duntaxat societate, coniuncti, si quando per iram ad maledicta prorupissent, ante solis occasum, dextris mutuo da- *Ibid.*

tis, et facta inuicem salutatione, in gratiam redibant.

Frustra et nullius rei caussa nobis natura largita est mansuetudinem, et patientiam moderationis animi filiam; aut his vtendum est maxime erga cognatos et affines.

Est hominis, suos, vt iubet natura, ex animo amantis, petere gratiam delicti sui, vbi aduersum eos peccauit; et vbi ipse ab iis laesus est, veniam illis vltro dare, antequam petant. Verum nescio, an nemo ad dandam veniam difficilior sit, quam qui illam petere saepius meruit.

Senec. de Clem. 1. c. 6. Plut. ib.

Celebris est in Scholis fama Euclidis Socratici, quod, audita iniqua et belluina voce fratris, qui dixerat: *Peream, nisi te vlciscar:* respondit: *Ego vero peream, nisi tibi persuasero, vt, posita ira, nos ames, sicut olim.*

Caput LV.

Nisi in bonis amicitia esse non potest.

Cicer. de Amic. c. 6.

Est amicitia nihil aliud, nisi omnium diuinarum humanarumque rerum cum benevolentia, et caritate summa consensio. Qua quidem haud scio, an, excepta sapientia, quidquam melius homini sit a Diis immortalibus datum.

1. Offic. c. 17.

Sed omnium societatum nulla praestantior est, nulla firmior, quam quum viri boni, moribus similes, sunt familiaritate coniuncti. Hoc primum sentio, nisi in

bonis

bonis, amicitiam esse non posse. Haec ipsa virtus amicitiam et gignit, et continet, nec sine virtute amicitia esse vllo pacto potest. Virtus, virtus, inquam, et conciliat amicitias, et conseruat. Homines malos aliquando videmus eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere: sed haec inter bonos amicitia, inter malos factio est. *de Amic. c. 5. et 6. cap. 7. Sallust. Iug. c. 33.*

Caput LVI.

Amicitia sublata, omnis est e vita sublata iucunditas.

1. Ego vos hortari tantum possum, vt amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis. Nihil est enim tam naturae aptum, tam conueniens ad res vel secundas, vel aduersas. Nam et secundas res splendidiores facit amicitia, et aduersas partiens communicansque, leuiores. Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis aeque, ac tu ipse, gauderet? Aduersas vero ferre difficile esset sine eo, qui illas grauius etiam, quam tu, ferret. *Cicero de Amic. c. 5. cap. 6.*

Quid dulcius, quam habere, quicum omnia audeas sic loqui, vt tecum. *ibid.*

Quoniam res humanae fragiles caducaeque sunt, semper aliqui anquirendi sunt, quos diligamus, et a quibus diligamur. Caritate enim, beneuolentiaque sublata, omnis est e vita sublata iucunditas. *cap. 27.*

2. Vna est amicitia in rebus humanis, de cuius vtilitate omnes vno ore consentiunt. Quanquam a multis ipsa virtus *cap. 23.*

contemnitur, et venditatio quaedam, atque ostentatio esse dicitur. Multi diuitias despiciunt, quos paruo contentos tenuis victus cultusque delectat: honores vero, quorum cupiditate quidam inflammantur, quam multi ita contemnunt, vt nihil inanius, nihil leuius esse existiment: itemque cetera, quae quibusdam admirabilia videntur, permulti sunt, qui pro nihilo putent. De amicitia omnes ad vnum idem sentiunt, *sine amicitia vitam esse nullam* etc. Quin etiam, si quis ea asperitate est, et immanitate naturae, congressus vt hominum fugiat atque oderit, qualem fuisse Athenis Timonem nescio quem accepimus; tamen is pati non possit, vt non anquirat aliquem, apud quem euomat virus acerbitatis suae.

Plutarch. in Ant.

3. Timon, de quo hic Cicero, licet μισάνθρωπος, id est, humani generis osor, appellaretur, amico vtebatur vno, cui nomen Apemantus, quem ob morum similitudinem admittebat. Is tamen quum forte apud Timonem coenasset, exclamasseque: *Quam dulce est, o Timon, hoc conuiuium! Ita sane,* inquit ille, *si tu non adesses.* Eidem Apemanto interroganti, cur Alcibiadem iuuenem ferocem atque audacem diligere videretur? respondit Timon, ideo sibi carum esse adolescentem, quod illum praeuideret fore populo Athenienſi magnorum malorum causſam.

Prodiit aliquando Athenis in concionem. Quod quum praeter consuetudinem faceret; magna omnium exspectatio fuit, quidnam

affer-

afferret. Tum ille e suggestu, in quem adscenderat: *Athenienses*, inquit, *est mihi area quaedam, in quo creuit ficus, unde multi voluntario suspendio vitam finiere. Quoniam autem in area illa aedes exstruere mihi in animo est: antequam ficum exscindam, vos monitos volo, vt, si qui de suspendio cogitant, maturent quam maxime.*

Caput LVII.

In eligendis amicis cautio est adhibenda.

1. In amicis eligendis negligentes ne simus. *Cicero de Amic. c.* 17.

Augustus amicitias neque facile admisit, et constantissime retinuit. *Sueton. in Aug. c.* 66.

2. Ne nimis cito diligere incipiamus: neue indignos. Digni autem amicitia sunt ii, in quibus ob virtutem inest caussa, cur diligantur. Rarum genus, (et quidem omnia praeclara rara:) nec quidquam est difficilius, quam reperire, quod sit omni ex parte in suo genere perfectum. Sed plerique neque in rebus humanis quidquam bonum norunt, nisi quod fructuosum sit: et amicos, tanquam pecudes, eos potissimum diligunt, ex quibus sperant se maximum fructum esse capturos. Ita pulcherrima illa, et maxime naturali carent amicitia, per se, et propter se expetenda. *Cicero ib. cap.* 21.

3. Nihil aeque oblectauerit animum, quam amicitia fidelis ac dulcis. Quantum bonum est, vbi sunt praeparata pectora, in quae tuto secretum omne descendat, quo- *Senec. de Tranq. c.* 7.

rum conscientiam minus, quam tuam, timeas, quorum sermo sollicitudinem leniat, sententia consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet, conspectus ipse delectet?

ibid. Amicos, quantum fieri poterit, vacuos a cupiditatibus eligemus. Serpunt enim vitia, et in proximum quemque transiliunt, et contactu nocent. Itaque, vt in pestilentia cauendum est, ne corruptis iam corporibus, et morbo flagrantibus adsideamus, quia pericula trahemus, afflatuque ipso laborabimus: ita in amicorum legendis ingeniis dabimus operam, vt quam minime inquinatos adsumamus. Neque hoc praeceperim tibi, vt neminem, nisi omnino sapientem sequaris, aut attrahas. Vbi enim istum inuenies, quem tot saeculis quaerimus? Pro optimo est minime malus. In tanta bonorum egestate, minus fastidiosa fiat electio.

Caput LVIII.

Amicus amicum non minus diligat, quam se ipsum.

Cicer. 1. de fin. c. 20. Si quis sapiens amicitiam tueri velit, eodem modo erit affectus erga amicum, quo in se ipsum; et eosdem labores eius caussa suscipiet, quos propter se susceperit. Laetabitur amici laetitia aeque ac sua, et pariter dolebit eius angoribus. Est enim, vt dicunt, foedus quoddam sapientum, vt non minus amicos, quam se ipsos diligant. Quod et fieri posse intelligimus, et aliquando videmus: perspicuumque est, nihil ad iucunde viuen-

viuendum reperiri posse, quod tali coniunctione sit aptius.

Damon et Pythias, Pythagoricae prudentiae sacris initiati, tam fidelem inter se amicitiam iunxerant, vt mori parati essent alter pro altero. Quum eorum alter a Dionysio tyranno nece damnatus, impetrasset tempus, quo profectus domum, res suas ordinaret; alter vadem se pro reditu eius tyranno dare non dubitauit, ita vt, si ille non reuertisset ad diem, moriendum esset sibi ipsi. Igitur omnes, et inprimis Dionysius, cupide exspectabant nouae atque ancipitis rei exitum, Appropinquante deinde definita die, nec illo redeunte, vnusquisque stultitiae tam temerarium sponsorem damnabat. At is nihil se de amici fide metuere praedicabat. Et vero ille ad diem dictam superuenit. Admiratus eorum fidem tyrannus, petiuit, vt se in amicitiam tertium reciperent, et supplicio liberauit eum, qui morte erat plectendus. *Valer. l. 4. c. 7.* *Cic. 3. Off. c. 10.* *Diodor. l. 6.*

CAPVT LVIIII.

Amicitia vnus fit ex pluribus.

1. In quibus eadem studia sunt, eaedemque voluntates: in his fit, vt aeque quisque altero delectetur, ac se ipso: efficiturque id, quod Pythagoras vult in amicitia, vt vnus fiat ex pluribus. *Cicer. Offic. c. 17*

Homo se ipse natura diligit, et alterum anquirit, cuius animum ita cum suo misceat, vt efficiat paene vnum ex duobus. Estque verus amicus tanquam alter idem. *de Am. c. 21.*

2. Alexander, victo apud Issum Dario, *Q. Curt. l. 3. cap.* ad 12.

ad captiuas, matrem coniugemque eius, praemisit quosdam e suis, qui nuntiarent, ipsum venire: inhibitaque comitantium turba, tabernaculum cum Hephaestione intrauit. Is longe omnium amicorum carissimus erat regi, cum ipso pariter educatus; secretorum omnium arbiter: libertatis quoque in admonendo eo non alius ius habebat; quod tamen ita vsurpabat, vt magis a rege permissum, quam vindicatum ab eo videretur: et sicut aetate par erat regi, ita corporis habitu praestabat. Ergo reginae illum regem esse ratae, Persarum more veneratae sunt. Inde ex spadonibus captiuis, quis Alexander esset, monstrantibus, Sysigambis, Darii mater, aduoluta est pedibus eius, *ignorationem nunquam antea visi regis excusans.* Quam manu adleuans rex: *Non errasti*, inquit, *mater: Nam et hic Alexander est.* Vtri prius gratulemur? (Alexandro,) qui hoc dicere voluit, an (Hephaestioni,) cui audire contigit?

Valer. l. 4. c. 7.

Plutarch. in Alex.

Erat Alexandro praeter Hephaestionem amicus alter Craterus. Diuersum vtrique ingenium, diuersi mores. Hephaestion ad Alexandri voluntatem se se accommodans, plaudebat ei, peregrina instituta aemulanti et amplectenti. Craterus morum patriorum retinens, consulebat Alexandri gloriae, et quae essent maxime vtilia suadebat. Alexander Hephaestionem diligebat magis: at Craterum pluris faciebat. Per illum barbaris responsa dabat: per hunc Macedonibus et Graecis.

CAPVT

CAPVT LX.

Amico omnia credenda.

Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit. Quum placuerit fieri, toto illum pectore admitte: tam audacter cum illo loquere, quam tecum. Tu quidem ita viue, vt nihil committas, nisi quod committere etiam inimico possis. Sed quia interueniunt quaedam, quae consuetudo facit arcana, cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas misce. Fidelem si putaueris, facies. *Senec. Ep. 3.*

Quidam quae tantum amicis committenda sunt, obuiis narrant, et in quaslibet aures, quidquid illos vrit, exonerant: quidam rursus etiam carissimorum conscientiam reformidant, et si possent, ne sibi quidem credituri, interius premunt omne secretum. Neutrum faciendum est: vtrumque enim vitium est, et omnibus credere, et nulli. Sed alterum honestius dixerim vitium, alterum tutius.

CAPVT LXI.

Res turpes amicum non rogemus, nec faciamus rogati.

1. Quae enim videntur vtilia, honores, diuitiae, voluptates, cetera generis eiusdem, haec amicitiae nunquam anteponenda sunt. At neque contra rempublicam, neque contra iusiurandum ac fidem, amici caussa, vir bonus (quidquam) faciet. Nam si omnia fa- *Cicer. 3. Offic. c. 10.*

facienda sint, quae amici velint: non amicitiae tales, sed coniurationes putandae sunt.

Cicero de Amic. c. 11. 2. Nulla est excusatio peccati, si amici caussa peccaueris. Nam aeque nefas est, tale aliquid et facere rogatum, et rogare.

cap. 12. Haec (prima) lex in amicitia sanciatur, vt neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati: sed ab amicis honesta petamus, amicorum caussa honesta faciamus: nec exspectemus quidem, dum rogemur. Studium semper adsit, cunctatio absit: consilium vero dare gaudeamus libere.

A. Gell. l. 1. c. 3. 3. Pericles ille Athenienſis, egregius vir ingenio, bonisque omnibus disciplinis ornatus, in vna quidem specie, sed planius tamen, quid existimaret, professus est. Nam quum amicus eum rogaret, vt pro re caussaque eius falsum deieraret; his ad eum verbis vsus est: *Me amicis opitulari oportet, sed vsque ad Deos.*

Plut. in Them. Simonides poëta fetus ea, quae ipsi cum Themistocle erat, familiaritate, petiit ab eo aliquid iniusti: quod negans Themistocles, dixit ei: *Neque tu, o Simonide, bonus poëta fueris, si carmina contra poëticae artis leges condideris: neque ego bonus magistratus, si quid, contra patriae leges, tua caussa fecerim.*

Valer. l. 6. cap. 4. 4. Quum Pub. Rutilius Rufus amici cuiusdam iniustae rogationi resisteret, atque is per summam indignationem dixit: *Quid ergo*, inquit, *mihi opus est amicitia tua, si, quod rogo, non facis? Immo*, respondit Rutilius, *quid mihi tua, si propter te aliquid inhoneste facturus sum?* *Cic. 3.* Maxime autem per-

tur-

turbantur officia in amicitiis: quibus et non tribuere, quod recte possis, et tribuere, quod non sit aequum, contra officium est. Quum autem in amicitia, quae honesta non sunt, postulabuntur, religio et fides anteponatur amicitiae. *Offic. cap.* 10. 11.

Caput LXII.

Veritas et fides in amicitia retineantur.

1. Vetus est lex illa iustae veraeque amicitiae, vt idem amici semper velint: neque est vllum certius amicitiae vinculum, quam consensus et societas consiliorum et voluntatum. Nam idem velle, atque idem nolle, ea demum firma amicitia est. Itaque inter amicos, quorum emendati mores fuerint, sit omnium rerum, consiliorum, voluntatum, sine vlla exceptione, communitas. *Cicero pro Planc. c.* 2. *Sallust. Catil.* 20. *Cicero de Amic. c.* 11.

2. Monendi amici saepe sunt, et obiurgandi: et haec accipienda amice, quum beneuole fiunt. Omnis igitur hac in re habenda ratio et diligentia est, primum, vt monitio asperitate, deinde obiurgatio contumelia careat. Sed nescio, quomodo verum est, quod in Andria familiaris meus dicit: *Obsequium amicos, veritas odium parit.* At in obsequio comitas adsit: adsentatio, vitiorum adiutrix, procul amoueatur, quae non modo amico, sed ne libero quidem digna est. Aliter enim cum tyranno, aliter cum amico viuitur. Huius autem salus desperanda est, cuius aures veritati clausae sunt, ita vt ab amico verum audire nequeat. Vt igitur *cap.* 24. *cap.* 25.

tur et monere, et moneri, proprium est veræ amicitiæ; et alterum libere facere, non aspere; alterum patienter accipere, non repugnanter: sic habendum est, nullam in amicitiis pestem esse maiorem, quam adulationem, blanditiam, adsentationem. Scitum est illud Catonis, vt multa: *Melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur: illos verum saepe dicere, hos nunquam.* Nulla est igitur haec amicitia, quum alter verum audire non vult, alter ad mentiendum paratus est.

cap. 24.

cap. 26.

P. Syrus, v. 853.

Secreto amicos admone, lauda palam.

Seneca 5. benef. cap. 22.

3. Quemcunque potuero, peccare prohibebo, multo magis amicum. Aliquando vtar verbis durioribus, si emendari illum sperauero posse. An patiemur amicos sanabiles, et qui fieri boni possunt, si quid illos momorderit, perire, admonitione sublata, qua et pater filium aliquando correxit, et vxor maritum aberrantem ad se reduxit?

Senec. Troas v. 289.

Qui non vetat peccare, quum possit, iubet.

P. Syr. v. 31. 88. 110.

Amici vitia si feras, facis tua.

Bis peccas, quando peccanti obsequium accommodas.

Bonus amicus numquam erranti obsequium accommodat.

Cicero de Amic. c. 13.

Consilium verum dare gaudeamus libere. Plurimum in amicitia amicorum bene suadentium valeat auctoritas: eaque et adhibeatur admonendum non modo aperte, sed etiam acriter, si res postulabit: et adhibitae pareatur.

Dio. l. 55.

Quum Maecenas Augusto Caesari perquam familiaris esset; et magna apud eum gratia vale-

valeret; eo animo fuit, vt prodesset, quibus posset, noceret vero nemini. Amicorum suorum nonnullos ad magistratus et imperia curauit promoueri, in equestri ordine ipse permanens. Mira quoque eius et ars et libertas fuit in Augusti animo flectendo ad mitiora, quum ira incitatus esset. Exemplum hoc vnum erit instar omnium. Ius aliquando dicebat Augustus, et multos morte damnaturus videbatur. Aderat tum Maecenas, qui per circumstantium turbam perrumpere, et ad tribunal propius accedere conatus est. Quod quum frustra tentasset, haec verba in tabella scripsit: *Surge tandem, carnifex.* Eamque tabellam ad Augustum proiecit. Qua lecta, is statim surrexit, et nemo est morte multatus.

4. In Socrate irae signum erat, vocem submittere, loqui parcius. Reprehendebatur itaque a familiaribus, et coarguebatur. Nec erat illi exprobratio latitantis irae ingrata. Sic iram eius multi intelligebant, nemo sentiebat. Sensissent autem, nisi ius se obiurgandi dedisset, sicut ipse sibi in amicos sumserat. Quanto magis hoc nobis faciendum est? Rogemus amicissimum quemque, vt tunc maxime aduersus nos libertate vtatur, quum minime illam pati poterimus; nec adsentiatur irae nostrae. Optimum est, notis vitiis impedimenta prospicere. *Senec. 3. de ira, c. 13. cap. 14.*

5. Admoneri bonus gaudet: pessimus quisque correptorem asperrime patitur. *Senec. 3. de ira c. 37.*

Xenocratem Chalcedonium Plato magister et amicus, rusticitatis arguebat, eique saepius dicebat: *Xenocrates, Gratiis sacra faci-* *Aelian. l. 14. c. 9. Diog. Laert.*

in Xenoc. segm. 6. *facito.* Quam reprehensionem admonitionemque ille semper aequo, et grato animo accepit: et aliquando cuidam, ipsum incitanti ad repellendam Platonis obiurgationem, sapienter prorsus respondit: *At illud mihi vtile est.*

CAPVT LXIII.

Omnia possidentibus saepe amicus deest.

Seneca 6. *benef. cap.* 29. 1. Neminem tam alte secunda posuerunt, vt non illi eo magis amicus desit, quia nihil absit. Omnia sane excluserit opulenta felicitas, monstrabo tibi, cuius rei inopia laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit. Scilicet ille, qui verum dicat, et hominem inter mentientes stupentem, ipsaque consuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum, vindicet a consensu concentuque falsorum. Non vides, quemadmodum illos in praeceps agat exstincta libertas, et fides in obsequium seruile submissa, dum nemo ex animi sui sententia suadet dissuadetque, sed adulandi certamen est, et vnum amicorum omnium officium, vna contentio, quis blandissime fallat? Ignorauere vires suas, et dum se tam magnos, quam audiunt, credunt, attraxere superuacua, et in discrimen rerum omnium peruentura bella: vtilem et necessariam rupere concordiam: secuti iram, quam nemo reuocabat.

cap. 30.

cap. 31. 2. Quum bellum Graeciae indiceret Xerxes, animum eius tumentem, oblitumque quam

quam caducis confideret, nemo non impulit. Alius aiebat, non laturos nuntium belli, et ad primam aduentus famam, terga verſuros: alius, nihil eſſe dubii, quin illa mole non vinci ſolum Graecia, ſed obrui, poſſet illa, quam ſecum trahebat, innumerabili militum multitudine. Quum in hunc modum multa vndique iactarentur, quae hominem nimia aeſtimatione ſui furentem concitarent; Demaratus Lacedaemonius ſolus dixit: *Ipſam illam, qua ſibi placeret, multitudinem indigeſtam et grauem, metuendam eſſe ducenti: et periculum eſſe, ne pauci Lacones, obſtruentes corporibus ſuis commiſſas ſibi Graeciae anguſtias atque aditus, tot iſta gentium millia morarentur.* Acciderunt, quae Demaratus praedixerat. Victus Xerxes, et regnum ſuum trepida fuga repetere coactus, Demarato gratias egit, *quod ſolus ſibi verum dixiſſet.*

3. Antiochus, quum in venatione feram perſequendi ſtudio ab amicis et ſeruis aberraſſet, in caſam pauperum hominum intrauit, ignotus. Cum iis coenans, ſermonem de Rege iniecit, vt ſciret, quae eſſet hoſpitum de ſe opinio; audiuitque: *Regem in ceteris quidem bonum et laude dignum eſſe; ſed amicis vtentem malis, plurima negligere: et ſaepe, quae neceſſaria eſſent, nihil curare, quod venationi plus aequo indulgeret.* Tacuit tum quidem Antiochus; ſed poſtquam, orto ſole, ad caſam illam venere regii ſatellites, et purpuream veſtem cum diademate attulere; conuerſo ſermone ad regia illa inſignia: *Certe*, inquit, *ex quo die vos ſamſi,* *Plutarch. Apoph.*

Landesbibliothek Oldenburg

sumsi, heri primum veros de me sermones audiui.

Aur. Vict. Ep. c. 69. 4. Perfectus haud dubie Princeps enituisset Valentinianus, si ei infidis hominibus, quibus sese quasi fidissimis prudentissimisque dederat, carere, aut probatis eruditisque monitoribus vti licuisset.

Caput LXIIII.

Veros amicos reparare difficile est.

Senec. 6. benef. c. 32. 1. Quum Augustus audiuisset tandem Iuliae, filiae suae, flagitia, quae tamdiu nescierat; parum potens irae, publicauerat, eam relegando. Deinde quum, interposito tempore, in locum irae subiisset verecundia; gemens, quod non illa silentio pressisset, (quia quarundam rerum turpitudo etiam ad vindicantem redit) saepe exclamauit: *Horum mihi nihil accidisset, si aut Agrippa, aut Maecenas vixisset.* Adeo tot habenti millia hominum, duos reparare difficile est. Caesae sunt legiones, et protinus scriptae. Fracta classis, et intra paucos dies natauit noua. Saeuitum est in opera publica ignibus; surrexerunt meliora consumtis. Tota vita, Agrippae et Maecenatis vacauit locus.

P. Syr. v. 35. Amicum perdere, est damnorum maximum.

Plutarch. Apoph. 2. Quum Darius, Xerxis pater, malum granatum aperuisset, et quidam ab eo sciscitaretur, quarum rerum tantum numerum habere optaret, quantus illic inesset granorum numerus? Respondit: *Zopyrorum.* Fuerat enim Zopyrus Dario amicissimus, sicque

sicque illi deditus, vt vltro se verberibus toto corpore lacerari; nasum, aures, et labia, sibi praecidi voluerit, ad reuocandam in eius potestatem Babyloniam. *Iustin. l. 1. c. 10.*

CAPVT LXV.

Amici thesauri regum sunt.

1. Non exercitus, neque thesauri, praesidia regni sunt, verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas: officio et fide pariuntur. Alexander interrogatus, vbi haberet thesauros? *Apud amicos*, respondit. Idem, quum ad Achillis tumulum veniisset; *felicem eum sibi videri*, dixit, *quod, dum viueret, fidum amicum* (Patroclum) *nactus esset, et post fata magnum praeconem* (Homerum.) *Sallust. Iug. c. 40. Amm. l. 25. p. 294. edit. Vales. Plut. in Alex.*

Quum plurimis amicitiis fortuna principum indigeat; praecipuum est principis opus, amicos parare. *Plinii paneg. Trai. cap. 85.*

Nullum maius boni imperii instrumentum est, quam boni amici. *Tacit. Hist. 4. c. 7.*

2. Quum a Pisistrato, qui principatum Athenis inuaserat, amici quidam desciuissent, atque in arcem Phylam secessissent; accessit ad eos, vestem stragulam colligatam ferens secum, ac mirantibus illis, quaerentibusque, quid vellet? *Aut*, inquit, *persuadere, vt mecum redeatis, aut, si minus id persuasero, manere vobiscum: ideoque instructus veni.* *Plutarch. Apophth.*

3. Traianum Imperatorem laudat Plinius, quod et amicos diligat, et ipse diligatur. In priuatorum animis exoleuerat priscum mortalium bonum, amicitia, cuius *Plin. paneg. Trai. c. 85.*

in locum migrauerant adsentationes, blanditiae, et peior odio amoris simulatio. Etenim in principum domo nomen tantum amicitiae, inane scilicet irrisumque manebat. Nam quae poterat esse inter eos amicitia, quorum sibi alii domini, alii serui videbantur? Tu hanc pulsam et errantem reduxisti. Habes amicos, quia amicus ipse es. Neque enim, vt alia subiectis, ita amor imperatur: neque est vllus affectus tam erectus, et liber, et dominationis impatiens, nec qui magis vices exigat. etc. Diligis ergo, quum diligaris: et in eo, quod vtrique honestissimum est, tota gloria tua est; qui superior factus, descendis in omnia familiaritatis officia, et in amicum ex Imperatore submitteris: immo tunc maxime Imperator, quum amicum ex Imperatore agis. etc. Iucundissimum est in rebus humanis amari; sed non minus amare. Quorum vtroque ita frueris, vt, quum ipse ardentissime diligas, adhuc tamen ardentius diligaris.

CAPVT LXVI.

Ennius

Amicus certus in re incerta cernitur.

P. Syrus v. 375. Sen, Agam. v. 4. Plut. in Cat.

1. Ipsae amicos res optimae pariunt, aduersae probant.

Poscunt fidem secunda, at aduersa exigunt.

Quum Catoni Vticensi obuenisset morte patruelis sui Catonis hereditas centum talentorum; omnia in pecuniam redegit, quam amicis, vbi cuiquam opus erat, commoda-

modabat. Quin etiam et praedia sua, et seruitia, eorum caussa, aliquando oppignorabat.

Sincerae fidei amici praecipue in aduersis rebus cognoscuntur: in quibus quidquid praestatur, totum a constanti beneuolentia proficiscitur. Felicitatis cultus, maiore ex parte adulationi, quam caritati erogatus, certe suspectus est: perinde ac si plus semper petat, quam impendat. etc. Tenacius igitur eorum nomina posteritatis memoria apprehendit, qui aduersos amicorum casus non deseruerunt, quam qui prosperum vitae cursum comitati sunt. Nemo de Sardanapali familiaribus loquitur: Orestes Pylade amico, quam Agamemnone patre paene notior est. Siquidem illorum amicitia in consortio deliciarum et luxuriae contabuit: horum, durae atque asperae conditionis solatium, ipsarum miseriarum experimento enituit, et immortalem apud posteros famam est adepta. Quid enim celebratum magis, quam illa Pyladis atque Orestis coram rege Thoante plena amoris contentio, vter moreretur? Dum alter nititur ab altero depellere crimen et criminis poenam, atque in se transferre: dum ignorante rege, vtar eorum sit Orestes, Pylades Orestem se esse dicit, vt pro illo necetur; Orestes autem, ita vt erat, Orestem se esse perseuerat. Qui clamores Romae tota cauea excitati sunt in M. Pacuuii de Oreste et Pylade fabula? Stantes plaudebant in re ficta: quid arbitramur in vera fuisse facturos? Facile indicabat ipsa natura vim suam, quum homines, quod facere ipsi non possent, id recte fieri in altero iudicarent.

Valer. l. 4. cap. 7.

Cicero de Amic. c. 7. et de fin. c. 22. l. 5.

Valer. l. 4. cap. 7. 2. D. Brutus a Mutina fugiens, vt ad se interficiendum ab Antonio missos equites aduenisse cognouit, quodam in loco, iustae poenae debitum spiritum tenebris furari conabatur. Eo iam facta irruptione, Terentius fideli mendacio, obscuritate ipsa suffragante, Brutum se esse simulauit, et corpus suum trucidandum equitibus obiecit. Verum cognitus a Furio, cui Brutianae vltionis officium mandatum fuerat, nece sua amici supplicium discutere non potuit: sic inuitus, fortuna cogente, vixit. Incepto egregio, non irrito euentu, aestimari debet Seruii Terentii fides in amicum. Quanquam enim ei, sicut cupierat, pro amico suo perire non contigit; ipse exstinctus est, quantum in illo fuit, et D. Brutus periculum euasit mortis.

Valer. ib. 3. Laudatur alterius Romani in amicum exstinctum constans caritas. T. Volumnius, qui ortus equestri loco, quum M. Lucullum familiariter coluisset, eumque M. Antonius, quod Bruti et Cassii partes secutus fuerat, interemisset, in magna fugiendi licentia, exanimi amico adhaesit, hucusque in lacrimas et gemitus profusus, vt nimia pietate caussam sibi mortis arcesseret. Nam propter praecipuam et perseuerantem lamentationem ad Antonium pertractus est. Cuius postquam in conspectu stetit: *Iube me*, inquit, *imperator, protinus ad Luculli corpus perductum occidi. Neque enim, absumto illo, supersse debeo, quum et infelicis militiae auctor exstiterim.* Quid hac fidelius beneuolentia? mortem amici hostis odio leuauit, et vitam suam consilii crimine adstrinxit:

quo-

quoque illum miserabiliorem redderet, se fecit inuisiorem. Nec difficiles Antonii aures habuit, ductusque, quo voluerat, Luculli dextram auide osculatus, caput, quod abscissum iacebat, sublatum pectori suo applicauit, ac deinde demissam ceruicem victoris gladio praebuit.

Caput LXVII.

Vulgare amici nomen, sed rara est fides.

Phaedr. l. 3. fab. 9. v. 1.

Quum paruas aedes sibi fundasset Socrates,
E populo sic, nescio quis, vt fieri solet:
Quaeso, tam angustam, talis vir, ponis domum?
Vtinam, inquit, *veris hanc amicis impleam!*

ib. v. 2. 5. ff.

Amicus, res non domibus tantum, sed saeculis rara, quae non alibi magis deest, quam vbi creditur abundare. Non sunt isti amici, qui agmine magno pulsant ianuam regum, aut reges simulantium. Atria hominibus plena sunt, amicis vacua.

Senec. 6. benef. c. 33. 34.

Illud amicitiae sanctum ac venerabile nomen
Re tibi pro vili, sub pedibusque iacet.
Turpe quidem dictu, sed, (si modo vera fatemur,)
Vulgus amicitias vtilitate probat.
Cura, quid expediat, prius est, quam quid sit honestum:
Et cum fortuna statque caditque fides.

Ouid. 1. Trist. Eleg. 7. v. 15 ff. l. 2. de Pont. Ep. 3. v. 7. ff.

Landesbibliothek Oldenburg

Petron. cap. 40.

Quum fortuna manet, vultum seruatis amici:
Quum cecidit, turpi vertitis ore fuga.

Ouid. 1. Trist. Eleg. 8. v. 5. 6.

Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Auctor ad Herenn. l. 4. cap. 48.

Vt hirundines aestiuo tempore praesto sunt, frigore pulsae recedunt: ita falsi amici sereno vitae tempore praesto sunt; simulatque hiemem fortunae viderint, deuolant omnes.

CAPVT LXVIII.

Cicero 1. Offic. 14.

Nihil est naturae hominis accommodatius beneficentia.

Cicero 1. Off. cap. 7.

1. Ratio, qua societas hominum inter ipsos, et vitae quasi communitas continetur, est virtus, cuius partes duae sunt: Iustitia, in qua virtutis splendor est maximus, ex qua boni viri nominantur; et huic coniuncta est beneficentia, quam eandem vel benignitatem, vel liberalitatem appellare licet. Qua quidem nihil est naturae hominis accommodatius. Quae est igitur melior in hominum genere natura, quam eorum, qui se natos ad homines iuuandos, tutandos, conseruandos arbitrantur?

cap. 14.

2 Tusc. cap. 14.

2 Offic. 18

Gratissima est liberalitas: eoque eam studiosius plerique laudant, quod summi cuiusque bonitas commune perfugium est omnium. Nihil est enim tam populare, quam bonitas.

Pro Ligar. c. 12.

2. Ci-

2. Cimon Athenienſis et pietate in patrem et in ciues beneuolentia inſignis fuit. Quippe patrem, ob crimen peculatus in carcerem coniectum, ibique defunctum, translatis in ſe vinculis, ad ſepulturam redemit. Cuſtodia liberatus Cimon, celeriter ad principatum peruenit. Habebat enim ſatis eloquentiae, ſummam liberalitatem, magnam prudentiam cum iuris ciuilis, tum rei militaris. Tanta fuit liberalitate, quum compluribus locis praedia hortosque haberet, vt nunquam eis cuſtodem impoſuerit, fructus ſeruandi gratia: ne quis impediretur, quo minus eius rebus, quibus vellet, frueretur. Semper eum pediſſequi cum nummis ſunt ſecuti, vt, ſi quis opis eius indigeret, haberet, quod ſtatim daret, ne differendo videretur negare. Saepe quum aliquem videret minus bene veſtitum, ſuum amiculum dedit. Nulli fides eius, nulli opera, nulli res familiaris defuit. Multos locupletauit. Complures pauperes mortuos, qui, vnde efferrenrur, non reliquerant, ſuo ſumtu extulit. Sic ſe gerendo, minime eſt mirandum, ſi et vita eius fuit ſecura, et mors acerba.

C. Nepos et Plut. in Cimon. Iuſtin. l. 1. cap. 15.

3. Piſiſtratus ſumma aequitate geſſit Athenis principatum, quem inique inuaſerat: et praeter dominandi ſtudium, nullus eo melior ciuis fuit. Si quos otioſos cerneret in foro obambulantes, ad ſe vocatos interrogabat, cur ſic otioſi eſſent? Si vero illi, ſe aut frumenta, aut iumenta non habere, reſpondiſſent; iubebat his a ſe acceptis, abire et laborare. Quando in publicum prodibat, comitabantur eum pueri duo tresue, qui minu-

Plut. in Solon. Aelian. V. H. l. 9. cap. 25. Euſtath. in 24. Iliad.

minutos nummos ferrent, erogandos egenis, maxime in mortuorum sepulturam. Praeterea liberum in hortos ac praedia sua introitum omnibus permittebat, et ea capiendi, quibus opus esset, facultatem.

Athen. l. 12.

Valer. l. 4. cap. 8.

4. Gillias Agrigentinus, vir opibus excellens, sed multo etiam animo, quam diuitiis, locupletior: semperque in eroganda potius, quam in contrahenda pecunia occupatus, adeo, vt domus eius quasi quaedam munificentiae officina crederetur. Illinc enim publicis vsibus apta monimenta exstruebantur, illinc grata populi oculis spectacula edebantur, illinc epularum magnifici apparatus, libentique animo annonae subsidia tribuebantur: et quum haec vniuersis, priuatim alimenta, inopia laborantibus, dotes virginibus, paupertate pressis subsidia, detrimentorum incursu quassatis solatia erogabantur: hospites quoque tum vrbanis penatibus, tum etiam rusticis tectis benignissime excepti, variis muneribus ornati dimittebantur. Quodam vero tempore quingentos simul Gelensium equites vi tempestatis in possessiones suas compulsos, aluit ac vestiuit. Quid multa? Eum propemodum ipsius liberalitatis praecordia constat habuisse. Ergo quod Gillias possidebat, omnium quasi commune patrimonium erat, pro cuius salute, et incrementis, tum Agrigentina ciuitas, tum etiam vicinae regiones votis excubabant. Colloca e contraria parte arcas inexorabilibus claustris obseratas, nonne praestantiorem aliquando existimes illam impensam, quam hanc custodiam?

5. (Bene-

5. (Beneuolentia) beneficiis capitur maxime: secundo autem loco benefica voluntate, beneuolentia mouetur, etiamsi res forte non suppetit. Vehementer autem amor multitudinis commouetur ipsa fama, et opinione liberalitatis, beneficentiae, iustitiae, fidei, omniumque earum virtutum, quae pertinet ad mansuetudinem morum, ac facilitatem. Etenim illud ipsum, quod honestum decorumque dicimus, quia per se nobis placet, animosque omnium natura, et specie sua commouet, maximeque quasi perlucet ex eis, quas commemoraui, virtutibus: idcirco illos, in quibus eas virtutes esse remur, a natura ipsa diligere cogimur. Hinc Titus, quia natura erat beneuolentissimus, *amor ac deliciae generis humani* appellatus est. Hoc illi propositum et solemne fuit, ne quem accedentium ad se sine spe dimitteret. Admonentibus vero domesticis, quasi plura polliceretur, quam praestare posset: *Non oportere*, ait, *quenquam a sermone principis tristem discedere*. Atque etiam recordatus quondam super coenam, quod nihil cuiquam toto die praestitisset, memorabilem illam meritoque laudatam vocem edidit: *Amici, hodie diem perdidi*. Quaedam sub eo fortuita ac tristia acciderunt, vt incendium Romae per triduum, totidemque noctes, et pestilentia, quanta non temere alias. In his tot aduersis ac talibus, non modo principis sollicitudinem, sed et parentis affectum vnicum praestitit, nunc consolando, nunc opitulando, quatenus suppeteret facultas. Exstincto tam benigno imperato-

Cicero 2. Offic. c. 9.

Sueton. in Tito. c. 8. 10. 11. Eutrop. l. 7. 14.

re, maiore ciuium damno, quam suo, omnes tanquam in propria orbitate doluerunt, et senatus tantas mortuo gratias egit, laudesque congessit, quantas ne viuo quidem vnquam et praesenti.

Lamprid. in Alex. Seuer. cap. 46. Alexander Seuerus cogitabat secum et descriptum habebat, cui quid praestitisset. Et si quos sciret, vel nihil petiisse, vel non multum, vnde sumtus suos augerent; vocabat eos, et dicebat: *Quid est, cur nihil petis? An me tibi vis fieri debitorem? pete, ne priuatus de me queraris.*

Valer. l. 5. cap. 2. His et horum similibus exemplis beneficentia generis humani nutritur, atque augetur: hae sunt eius faces, hi stimuli.

Aelian. A. V. L. 1. cap. 30. 6. Versabatur in regia Ptolemaei regis adolescens, nomine Galetes, facie quidem pulcherrimus, at morum suauitate, et animi in omnes benignitate magis insignis: ita vt rex, cui erat carissimus, saepe exclamaret: *O benignum caput! nulli tu vnquam vllius mali caussa fuisti; sed contra multis multa bona praestitisti.* Quum aliquando hic adolescens, regi comes in equo sedens, vidisset procul aliquos ad supplicium trahi; oblatam bene faciendi occasionem non praetermisit, sed statim: *O rex,* inquit, *quandoquidem prospera quadam horumce hominum, qui morte damnati sunt, fortuna, equis nunc vehimur: age, si tibi videtur, cursum intendamus, vt illis in tali temporis articulo, quasi seruatores Dii, appareamus.* Plurimum voluptatis ex Galetis consilio cepit rex, et animum eius ad misericordiam propensum deamans, quum morti addictos

ser-

seruauit, tum amori in illum suo multum addidit.

CAPVT LXVIIII.

Multas cautiones habeat beneficentia.

Cicero 1. Offic. c. 14.

1. Beneficentia ac liberalitas multas habet cautiones. Videndum est enim primum, ne obsit benignitas et iis ipsis, quibus benigne videbitur fieri, et ceteris: deinde, ne maior benignitas sit, quam facultates. Tum, vt pro dignitate cuique tribuatur. Id enim est iustitiae fundamentum, ad quam haec referenda sunt omnia. Nihil est enim liberale, quod non idem (sit) iustum. Videndum est igitur, vt ea liberalitate vtamur, quae prosit amicis noceat nemini: (quae fontem ipsum benignitatis non exhauriat:) denique, vt in beneficentia delectus sit dignitatis: in quo et mores eius erunt spectandi, in quem beneficium conferetur, et animus erga nos, et communitas ac societas vitae, et ad nostras vtilitates officia ante collata: quae vt concurrant omnia, optabile est; sin minus, plures caussae, maioresque, ponderis plus habebunt. Multi enim (beneficia faciunt multa, temeri- *cap. 15.*
tate quadam, sine iudicio, vel modo *, in * al. *morbo*
omnes, vel repentino quodam, quasi vento, impetu animi incitati: quae beneficia aeque magna non sunt habenda, atque ea, quae iudicio, considerate, constanterque delata sunt.

Senec. de

2. Si vir bonus diuitias habeat sine cuius- *beat. vit.*
quam *c. 23. 24.*

quam iniuria partas; nec sordide custodiet, nec prodige sparget: partim ipse vtetur, partim donabit. Donabit autem aut bonis, aut iis, quos facere poterit bonos. Donabit cum summo consilio, dignissimos eligens: nam inter turpes iacturas malum munus ponitur.
cap. 24. Errat, si quis existimat, facilem rem esse, donare. Plurimum ista res habet difficultatis, si modo consilio tribuitur, non casu et impetu spargitur. Hunc promereor, illi reddo: huic succurro, huius misereor. Illum instruo, dignum, quem non diducat paupertas, nec occupatum teneat. Quibusdam non dabo, quamuis desit: quia etiam si dedero, erit defuturum. Quibusdam offeram, quibusdam etiam inculcabo. Serui liberine sint, quid refert? Vbicumque homo est, ibi beneficio locus est.
4. Benef. c. 10. 11. Pauperi viro bono donabo. Non lucrum ex beneficio captabo, non voluptatem, non gloriam. In hoc dabo, vt, quod oportet, faciam. Licet fortuna ei, qui a me beneficium accepit, nihil tribuat, quo referre mihi gratiam possit, ex sententia res gesta est.

Cicero Offic. c. 18. In deligendis idoneis, (in quos beneficia conferamus,) iudicium et diligentiam adhibere debemus. Nam praeclare Ennius: *Benefacta male locata, male facta arbitror.*

P. Syrus v. 73. Beneficium dignis vbi des, omnes obliges.

Plinius l. 9. Ep. 30. 3. Laudas mihi, et frequenter praesens, et nunc per epistolas, Nonium tuum, quod sit liberalis in quosdam: et ipse laudo, si tamen non in hos solos. Volo enim eum, qui sit vere liberalis, tribuere patriae, propin-

pinquis, affinibus, amicis, sed amicis dico pauperibus: non vt isti, qui iis potissimum donant, qui donare maxime possunt. Hos ego viscatis hamatisque muneribus non sua promere puto, sed aliena corripere. Sunt ingenio simili, qui, quod huic donant, auferunt illi, famamque liberalitatis auaritia petunt. Primum est autem, suo esse contentum: deinde, quos praecipue scias indigere, sustentantem fouentemque, orbe quodam societatis ambire.

CAPVT LXX.

Beneficia alia alios decent.

1. Vrbem cuidam Alexander donabat. Quum ille, cui donabatur, se ipsum mensus, tanti muneris inuidiam refugisset, dicens, non conuenire fortunae suae: *Non quaero*, inquit, *quid te accipere deceat, sed quid me dare.* *Sueton.* 2. *Benef. c.* 16.

2. Ab Antigono Cynicus petiit talentum. Respondit, *plus esse, quam quod Cynicus petere deberet.* Repulsus, petiit denarium. Respondit: *minus esse, quam quod regem deceret dare.* Turpissima est eiusmodi cauillatio. Inuenit, quomodo neutrum daret. *cap.* 17.

3. Alexandro Macedoni, quum victor orientis animos supra humana tolleret, Corinthii per legatos gratulati sunt, et ciuitate illum sua donauerunt. Quum risisset Alexander hoc officii genus, vnus ex legatis: *Nulli*, inquit, *ciuitatem vnquam dedimus alii, quam tibi, et Herculi.* Libens accepit delatum honorem: et legatos inuitatione, aliaque humanitate prosecutus, cogitauit, non qui sibi ciuitatem darent, sed cui dedissent. 1. *Benef. cap.* 13.

CAPVT LXXI.

Beneficia quaedam palam danda, quaedam clam.

Senec. 2. Benef. c. 9. 1. Praecipiunt omnes auctores sapientiae, quaedam beneficia palam danda, quaedam secreto. Palam, quae consequi glorioſum est; vt militaria dona, honores, et quidquid aliud notitia pulchrius fit: contra, quae occurrunt infirmitati, egestati, ignominiae, tacite danda sunt, vt nota sint solis, quibus prosunt. Interdum et ipse, qui iuuatur, fallendus est; vt habeat, nec, a quo acceperit, sciat.

Ib. c. 10. Arcesilaus, vt aiunt, Ctesibio amico, pauperi, et paupertatem suam dissimulanti, aegro autem, et ne hoc quidem confitenti, deesse sibi insumtum ad necessarios vsus, quum clam succurrendum iudicasset, puluino eius ignorantis sacculum subiecit, vt homo inutiliter verecundus, quod desiderabat, inueniret potius, quam acciperet. Inuento sacculo Ctesibus. *Hic*, inquit, *Arcesilai ludus est.*

Diog. Laert. in Arcesil. segm. 39. 2. Nihil aeque in beneficio dando vitandum est, quam superbia, quae, quidquid dat, corrumpit. Non tantum ingratum, sed inuisum est beneficium superbe datum. Iucunda sunt, quae humana, leni, placidaque fronte tribuuntur: quae quum daret mihi superior, detraxit muneri suo pompam, et obseruauit idoneum tempus succurrendi, se vno teste contentus. *Seneca l. c.* Alioquin non benefacere delectat, sed videri *Diog. Laert. ibid.* benefeciſſe.

segm. 38. Idem Arcesilaus, de quo supra, quum viro probo

probo pauperi opitulari vellet, ei vasa aurea ad amicos conuiuio excipiendos commodauit de industria: quae quum ille redderet, recipere noluit,

3. Aliquando viro bono non petenti dandum est, quod improbo postulanti negaueris. Archelaus, Macedonum rex, in coena aureum poculum poscente quodam, cui nihil pulchrum videbatur, nisi accipere; puerum id Euripidi dare iussit; et in alterum illum intuens: *Tu quidem*, inquit, *dignus eras, qui peteres, nec acciperes: at hic dignus erat, qui acciperet vel non petens.* *Plut. de vitios. puder.*

Attende, cur negare cupidis debeas;
Modestis etiam offerre, quod non petierint. *Phaedr. l. 2. fab. 1. v. 1. 14.*

Super iuuencum stabat deiectum leo.
Praedator interuenit, partem postulans.
Darem, inquit, *nisi soleres per te sumere:*
Et improbum reiecit. Forte innoxius
Viator est deductus in eundem locum,
Feroque viso, rettulit retro pedem.
Cui placidus ille: *non est, quod timeas*, ait,
Et quae debetur pars tuae modestiae,
Audacter tolle. Tunc diuiso tergore,
Siluas petiuit, homini vt accessum daret.
Exemplum egregium prorsus et laudabile.
Verum est auiditas diues, et pauper pudor.

CAPVT

Caput LXXII.

Tarde benefacere, nolle est.

Senec. 2. Benef. c. 5. Omnis benignitas properat: et proprium est libenter facientis, cito facere. Qui tarde dedit, et diem de die extrahens profuit, non ex animo fecit. Tarde velle, nolentis est.

P. Syr. v. 86. Bis est gratum, quod opus est, vltro si offeras.

Martial. 6. Ep. 30.
Sex sestertia si statim dedisses,
Quum dixti mihi: sume, tolle, dono:
Deberem tibi, Paete, pro ducentis.
At nunc quum dederis diu moratus,
Post septem, puto, vel nouem Kalendas;
Vis dicam tibi veriora veris?
Sex sestertia, Paete perdidisti.

P. Syrus v. 359. Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter.

Caput LXXIII.

Quas dederis, solas semper habebis, opes.

Sen. 6. Benef. 3. 1. Egregie mihi videtur M. Antonius apud Rabirium poëtam, quum fortunam suam transeuntem alio videbat, et sibi nihil relictum, praeter ius mortis, id quoque, si cito occupauerit, exclamare: *Hoc habeo, quodcunque dedi.* Hae enim sunt diuitiae certae, in quacumque sortis humanae leuitate, vno loco permansurae, quae quo maiores fuerint, hoc minorem habebunt inuidiam. Quid tamquam tuo parcis? Procurator es. Omnia ista, quae te tam tumidum faciunt, quae ferreis claustris custodis, propter quae omnia

omnia affinitatis et amicitiae foedera rumpis, non sunt tua. In depositi caussa sunt, iamiamque ad alium dominum spectantia. Quaeris quomodo illa tua facias? donando. Consule ergo rebus tuis, et certam tibi earum atque inexpugnabilem possessionem para.

2. Callidus effracta nummos fur auferet arca: *Martial. 5. Ep. 43.*
Prosternet patrios impia flamma Lares:
Debitor vsuram pariter, sortemque negabit:
Non reddet sterilis semina iacta seges:
Dispensatorem fallax spoliabit amica:
Mercibus exstructas obruet vnda rates.
Extra fortunam est, quidquid donatur amicis.
Quas dederis, solas semper habebis, opes.

Caput LXXIIII.

Non quid detur refert, sed qua mente.

1. Beneficium non in eo, quod fit aut datur, consistit, sed in ipso dantis aut facientis animo. Animus est enim, qui beneficiis dat pretium. Itaque nonnunquam magis nos obligat, qui dedit parua magnifice; et exiguum tribuit, sed libenter. Socrati quum multa multi, pro suis quisque facultatibus, offerrent: Aeschines pauper auditor: *Nihil*, inquit, *dignum te, quod dare tibi possim, inuenio: et hoc vno modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi, quod vnum habeo, me ipsum. Hoc munus, rogo, qualecumque est, boni consulas, cogitesque alios, quum multum tibi darent,* *Senec. 1. benef. c. 6.* *cap. 7.* *cap. 8.*

plus

plus sibi reliquisse. Cui Socrates: *Quidni tu,* inquit, *mihi magnum munus dederis: nisi forte parvo te aestimas. Habebo itaque curae, vt te meliorem tibi reddam, quam accepi.* Vicit Aeschines hoc munere omnem iuuenum opulentorum munificentiam.

Aelian. V. H. l. 1. *cap.* 31. 32. *Plut. in Artax.*

2. Regi Persarum, intra regni sui fines iter facienti, munera ab omnibus Persis offerri mos et lex erat. Qui in terra colenda operam ponebant, alii boues aut oues, alii frumentum aut vinum dabant: qui vero pauperiores, lac, caseum, palmas, aliosque arborum fructus, qui in cuiusque agro nascerentur. Quae omnia, non tributi, sed doni nomine, a singulis afferebantur regi praetereunti ac praeterequitanti. Quum Persa quidam, cui nomen Sinaetas, procul a tugurio suo in Artaxerxem, qui Mnemon cognominabatur, incidisset, ac nihil prae manibus haberet, quod regi posset offerre; noluit tamen eum a se indonatum videri. Itaque ad proxime praeterfluentem fluuium cursu contendit, et aquam, vtraque manu haustam, regi obtulit, munus exornans, quantum potuit, faustis bonisque verbis. Et dono, et dantis animo, atque oratione mire delectatus Artaxerxes, neque minus regium esse existimans, parua grato animo accipere, quam magna tribuere, dixit: *Se aquam illam libenter accipere, et pretiosissimi muneris loco habere.* Deinde homini misit non paruam pecuniae summam cum veste Persica, et phiala aurea, qua iussit eum deinceps haustam e fluuio aquam bibere.

Aelian. V. H. l. 1. *cap.* 33.

3. Eidem Artaxerxi, per Persidem equitanti,

tanti, ingens malum Punicum a quodam Omaso oblatum ferunt. Quod ille benigne comiterque accipiens, purpuratis comitibus dixit: *Qui cura et labore agellum suum talium pomorum feracem effecit, nae ille paruam ciuitatem, sibi creditam, poterit ex parua magnam reddere.* Et hominem ingenti praemio est remuneratus. *Plut. in Artax. et Apophth.*

Fuit hic Artaxerxes, regni sui initio, aditu facilis, in largiendis honoribus et beneficiis effusus. Omnem suppliciis detrahebat contumeliam, laeto hilarique animo beneficia et accipiebat, et dabat. Nullum donum erat adeo exiguum, quod non libentissime acciperet: et maiorem in dando beneficio voluptatem percipere videbatur, quam alii in accipiendo solent. *Plut. in Artax.*

Caput LXXV.

Sint gratuita, deorum exemplo, beneficia.

1. Beneficium per se expetendum est, et vna in eo spectanda accipientis vtilitas, sepositis commodis nostris. Si enim ipse tacitus dicas: *Hoc dabo, hoc recipiam;* auctio est. Qui beneficium, vt reciperet, dedit, non dedit. Humile est, prodesse, quia expedit. *Senec. 4. Benef. c. 3. c. 14.*

Si vtilitas me et sordida computatio liberalem facit: si nulli prosum, nisi vt inuicem ille mihi prosit: non dabo beneficium proficiscenti in diuersas longinquasque regiones; non dabo abfuturo semper; non dabo sic affecto, vt spes ei nulla sit conualescendi. Atqui, vt scias, rem per se expetendam esse bene- *cap. 17.*

benefacere; aduenis modo in nostrum delatis portum, et statim abituris succurrimus. Discedit ille, vix satis noto salutis auctore, et nunquam amplius in conspectum nostrum reuersurus, debitores nobis deos delegat, precaturque, vt illi pro se gratiam referant. Interim nos iuuat sterilis beneficii conscientia.

Homer. Hesiod. Virgil.

2. Magna fuit apud veteres Graecos, ac Romanos, cura et reuerentia hospitalitatis, eique Iouem, deorum atque hominum parentem, quasi praesidem praefecerant, *Iouem hospitalem* eum appellantes, et inuocantes. Peregrinos et pauperes hospitio non excipere, nefas esse existimabant, quum sub tutela Iouis essent, et ab eo mitterentur. Immo dii ipsi putabantur aliquando sub peregrinorum habitu terras lustrare, et ad mortalium tecta accedere, explorandae eorum humanitatis caussa. Hinc omnibus hospitio indigentibus vltro offerebantur priuatim, aut publice, quae opus essent. Lucanorum haec lex fuit: Si occidente iam sole venerit peregrinus, voluerit-que sub tectum alicuius ciuis diuertere, is vero hominem non receperit: qui hospitium praebere recusauerit, poenas luat inhospitalitatis, et iniuriae tum peregrino, tum Ioui hospitali factae. Conuictibus et hospitiis, Tacito teste, indulget non alia gens effusius, quam Germanica. Quemcunque mortalium arcere tecto nefas habetur. Pro fortuna quisque apparatis epulis excipit. Quum defecerit, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii et comes proximam domum

Ouid. l. 1 et 8. Metam.

Aelian. V. H. l. 4. cap. 1.

Tacitus de Germ. c. 21.

mum non inuitati adeunt, nec interest pari humanitate excipiuntur.

3. Propositum nobis esse debet, deorum exemplum sequi. Vide, quanta illi quotidie moliantur, quanta distribuant, quantis terras fructibus impleant, quam opportunis et in omnes oras ferentibus ventis maria promoueant, quantis imbribus repente deiectis, solum molliant, venasque fontium arentes redintegrent, et infuso per occulta nutrimento renouent. Omnia ista sine mercede, sine vllo ad ipsos perueniente commodo faciunt. Nisi forte existimes, illos fructum operum suorum ex fumo extorum, et thuris odore percipere. Haec quoque nostra ratio, si ab exemplari suo aberrare nolit, seruet, ne ad res honestas conducta veniat. Pudeat, vllum venale esse beneficium, quum gratuitos habeamus deos. *Senec. 4. benef. c. 25.*

4. Pythagorici, si quis sodalium facultatibus exciderat, bona sua cum eo, veluti cum fratre, diuidebant. Neque vero id erga eos solum praestabant, quorum in conuictu quotidie versabantur, sed erga omnes, qui eandem disciplinam sectabantur. Itaque Clinias quidam, Tarentinus Pythagoricus, quum accepisset, Prorum Cyrenaeum, facultatibus suis spoliatum, in summa rerum omnium penuria esse, ex Italia Cyrenas profectus est cum grandi pecunia, et patrimonii iacturam resarciuit ei homini, quem tamen nunquam antea viderat. Plures quoque alii idem feciſſe memorantur. *Diod. Sic. l. 6*

CAPVT

Caput LXXVI.

Nullum officium referenda gratia magis necessarium est.

Cicero 1. *Off. c.* 15. 1. Quod si ea, quae vtenda acceperis, maiore mensura, si modo possis, iubet reddere Hesiodus; quidnam beneficio prouocati facere debemus? An imitari agros fertiles, qui multo plus afferunt, quam acceperunt? Etenim si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre: quales in eos esse debemus, qui iam profuerunt?

Nam quum duo genera liberalitatis sint, vnum dandi beneficii, alterum reddendi; demus, necne, in nostra potestate est: non reddere, viro bono non licet, modo id facere possit sine iniuria.

Sed in collocando beneficio, et in referenda gratia, si cetera paria sunt, hoc maxime officii est, vt quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari.

Idem 3. *Philip. cap.* 2. Cui quamquam gratia referri tanta non potest, quanta debetur: habenda tamen tanta est, quantam maximam animi nostri capere possunt.

Idem pro Planc. cap. 33. 2. Quum omnibus virtutibus me affectum esse cupiam, tamen nihil est, quod malim, quam me, et gratum esse, et videri. Haec est enim vna virtus non solum maxima, sed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Quid est pietas, nisi voluntas grata in parentes? Qui sunt boni ciues, qui belli, qui domi de patria bene merentes, nisi qui patriae

patriae beneficia meminerunt? Qui sancti, qui religionem colentes, nisi qui meritam diis immortalibus gratiam iustis honoribus et memori mente persoluunt? Quae potest esse iucunditas vitae, sublatis amicitiis? Quae porro amicitia potest esse inter ingratos?

3. Quo tempore Thebis obses fuerat Philippus, eum Philo Thebanus hospitio exceperat, et multis beneficiis affecerat. Is quum postea a Philippo, rerum potito, nihil vicissim muneris vellet accipere: *Oro*, inquit Philippus, *ne me hac gloria priuari velis, quam maxime quaero, vt a nemine beneficiis et gratia victus sim.* Idem Hipparchi Euboeensis mortem grauiter tulit, ac cuidam ad consolandum eius dolorem dicenti, Hipparchum matura morte decessisse: *Sibi quidem*, inquit, *fortasse: sed mihi praematura. Nam ante mori properauit, quam dignam nostra amicitia gratiam a me reciperet.* *Plut. Apophth.*

Bocchus, Maurorum rex, pacem cum Romanis facturus opera L. Sullae, sic eum est adlocutus: Numquam ego ratus sum fore, vti rex maximus in hac terra, et omnium, quos noui, opulentissimus, priuato homini gratiam deberem. Et hercule, Sulla, ante te cognitum, multis orantibus, aliis vltro, egomet opem tuli, nullius indigui. Id imminutum, quod ceteri dolere solent, ego laetor. Fuerit mihi pretium, eguisse aliquando tuae amicitiae, qua apud animum meum nihil carius habeo. Id adeo experiri licet. Arma, viros, pecuniam, *Sallust. Iug. cap.* 110.

niam, postremo quidquid animo lubet, sume, vtere: et, quoad viues, nunquam tibi redditam gratiam putaueris; semper apud me integra erit. Denique nihil, me sciente, frustra voles. *Nam vt ego existimo, Regem armis, quam munificentia, vinci, minus flagitiosum.*

Macrob. 2. Sat. c. 4.

4. Hoc maxime optabat Caesar Augustus, vt gratus in omnes videretur. Veteranus, quum die sibi dicto periclitaretur, accessit in publico ad Caesarem, rogauitque, vt sibi adesset. Ille aduocatum, quem ex comitatu suo elegerat, sine mora dedit, commendauitque ei litigatorem. Exclamauit ingenti voce veteranus: *At non ego, Caesar, periclitante te, Actiaco bello vicarium quaesiui, sed pro te ipse pugnaui.* Detexitque impressas cicatrices. Erubuit Caesar, venitque in aduocationem.

Ioseph. Antiqu. l. 18.

5. Tiberii iussu praetoriani milites Agrippam Iudaeum vinctum trahebant in custodiam: et, quia aestas erat vehementior, eum vrebat sitis. Conspicatus tunc quendam e Caii Caligulae seruis, nomine Thaumastum, aquam in hydria ferentem, potum poposcit, quem ille dedit humaniter. Regnum postea adeptus Agrippa, amplo munere leue acceptae aquae beneficium remuneratus est. Nam Thaumastum libertate donauit, suorumque bonorum dispensatorem constituit: quin et moriens prouidit, vt apud liberos suos eodem ministerio fungeretur: inter quos consenuit, in pretio vsque ad extremum diem habitus.

Diod. Sic. l. 1.

6. Erant Aegyptii praeter alias gentes gra-

ti erga bene meritos de ipsis, existimabantque magnum esse omnibus hominibus subsidium ad vitam, gratam acceptorum beneficiorum memoriam. Et merito quidem: nam mouetur quisque ad beneficia eis impendenda, apud quos senserit ea optime collocari.

Caput LXXVII.

Officia etiam ferae sentiunt.

1. Officia etiam ferae sentiunt: nec vllum tam immansuetum animal est, quod non cura mitiget, et in amorem sui vertat. Leonum ora a magistris impune tractantur: elephantorum feritatem vsque in seruile obsequium demeretur cibus. Adeo etiam, quae extra intellectum atque aestimationem beneficii sunt posita, adsiduitas tamen meriti pertinacis euincit. *Senec. 1. benef. c. 3.*

Appion, qui Polyhistor appellatus est, litteris homo multis praeditus, rerumque Graecarum plurima atque varia scientia fuit. Eius libri non incelebres feruntur, quibus omnibus ferme, quae mirifica in Aegypto visuntur, audiunturque, historiam comprehendit. Sed in iis, quae audisse, vel legisse sese dicit, fortasse a vitio studioque ostentationis fit loquacior. Est enim sane quam in praedicandis doctrinis suis venditator. Hoc autem, quod in libro Aegyptiacorum quinto scripsit, neque audisse, neque legisse, sed ipsum sese in vrbe Roma vidisse oculis suis confirmat. In Circo maximo, inquit, venationis amplissimae pugna populo dabatur. *A. Gell. l. 5. cap. 14.*

Eius rei, Romae quum forte essem, spectator, inquit, fui. Multae ibi saeuientes ferae, magnitudines bestiarum excellentes, omniumque inusitata aut forma erat, aut ferocia. Sed praeter alia omnia leonum, inquit, immanitas admirationi fuit: praeterque omnes ceteros vnius. Is vnus leo corporis impetu, et vastitudine, terrificoque fremitu et sonoro, toris, comisque ceruicum fluctuantibus, animos oculosque omnium in sese conuertit. Introductus erat inter complures ceteros ad pugnam bestiarum * Dacus, seruus viri consularis. Ei seruo * Androdus nomen fuit. Hunc ille leo vbi vidit procul, repente, inquit, quasi admirans stetit: ac deinde sensim atque placide tanquam noscitabundus ad hominem accedit. Tum caudam more atque ritu adulantium canum clementer et blande mouet, hominisque sese corpori adiungit, cruraque eius et manus prope iam exanimati metu lingua leniter demulcet. Homo Androdus inter illa tam atrocis ferae blandimenta amissum animum recuperat: paullatimque oculos ad contuendum leonem refert. Tum, quasi mutua recognitione facta, laetos, inquit, et gratulabundos videres hominem et leonem. Ea re prorsus tam admirabili maximos populi clamores excitatos dicit, arcessitumque a Caesare Androdum, quaesitamque caussam, cur ille atrocissimus leonum vni parsisset. Ibi Androdus rem mirificam narrat, atque admirandam: Quum prouinciam, inquit, Africam Proconsulari imperio meus dominus obtine-

ret,

* al. *datus*

* al. *Androclus.*

ret; ego ibi iniquis eius et quotidianis verberibus ad fugam sum coactus; et, vt mihi a domino, terrae illius praeside, tutiores latebrae forent, in camporum et arenarum solitudines concessi. Ac, si defuisset cibus, consilium fuit mortem aliquo pacto quaerere. Tum sole, inquit, medio rapido et flagrante specum quandam nactus remotam latebrosamque, in eam me penetro et recondo. Neque multo post ad eandem specum venit hic leo, debili vno et cruento pede, gemitus edens et murmura dolorem cruciatumque vulneris commiserantia. Atque illic primo quidem conspectu aduenientis leonis territum sibi et pauefactum animum dixit. Sed postquam introgressus, inquit, leo, vti reipsa apparuit, in habitaculum illud suum, vidit me procul delitescentem, mitis et mansuetus accessit: et sublatum pedem ostendere mihi et porrigere, quasi opis petendae gratia, visus est. Ibi, inquit, ego stirpem ingentem vestigio pedis eius haerentem reuulsi, conceptamque saniem vulnere intimo expressi: accuratiusque sine magna iam formidine siccaui penitus atque detersi cruorem. Ille tunc mea opera et medela leuatus, pede in manibus meis posito recubuit et requieuit. Atque, ex eo die, triennium totum ego et leo in eadem specu, eodemque victu viximus. Nam, quas venabatur feras, membra opimiora ad specum mihi suggerebat: quae ego, ignis copiam non habens, sole meridiano * torrens, edebam. Sed vbi me, inquit, vitae illius ferinae iam pertaesum est, leone in venatum profecto, reliqui specum:

* al. *tosta.*

et viam ferme tridui permensus, a militibus visus apprehensusque sum, et ad dominum ex Africa Romam deductus. Is me statim rei capitalis damnandum dandumque ad bestias curauit. Intelligo autem, inquit, hunc quoque leonem, me tunc separato, captum, gratiam nunc mihi beneficii et medicinae referre.

Haec Appion dixisse Androdum tradit. Eaque omnia scripta, circumlataque tabella populo declarat. Atque ideo, cunctis petentibus, dimissum Androdum, et poena solutum, leonemque ei suffragiis populi donatum. Postea, inquit, videbamus Androdum et leonem, loro tenui reuinctum, vrbe tota circum tabernas ire, donari aere Androdum, floribus spargi leonem, omnesque fere vbique obuios dicere: *Hic est leo, hospes hominis, hic est homo, medicus leonis.*

Plin. l. 9. cap. 8. 2. Diuo Augusto Principe, delphinus, Lucrinum lacum inuectus, pauperis cuiusdam puerum ex Baiano, Puteolos in ludum litterarium itantem, cum Meridiano immorans appellatum eum Simonis nomine saepius fragmentis panis, quem ob id ferebat, allexisset, miro amore dilexit. Quocumque diei tempore inclamatus a puero; quamuis occultus atque abditus, ex imo aduolabat, pastusque e manu, praebebat adscensuro dorsum, pinnae aculeos, velut vagina condens: receptumque Puteolos per magnum aequor in ludum ferebat, simili modo reuehens pluribus annis, donec morbo exstincto puero, subinde ad consuetum locum ventitans, tristis et maerenti simili,

A. Gell. l. 7. cap. 8.

milis, ipse quoque, quod nemo dubitarit, desiderio exspirauit, et in eius sepulcro humatus est. Quae res Maecenatis, et Flauiani et Flaui Alfii, Appionis multorumque est litteris mandata. *A. Gell. l. cit.*

3. Puer, nomine Thoas, paruulum draconem magna cura aluit, loquens cum eo, quasi cum intelligente, ludensque vna et dormiens: donec draconis, qui ad miram magnitudinem excreuerat, conspectu territi vrbis ciues, eum in solitudinem emitti, inuito et flente puero, voluerunt. Postea quum puer ille, iam adolescens factus, e spectaculo quodam rediens, aut, vt alii tradunt, ad venationem egressus, in latrones incidisset, opemque inclamasset; ad notam eius vocem draco statim affuit, et, latronibus aut occisis aut fugatis, adolescentem, educatorem quondam suum, periculo ereptum seruauit. *Aelian. V. H. l. 13. cap. 46. Plin. l. 8. c. 17.*

Caput LXXVIII.

Ingratus animus omnium odio damnatus.

1. Ego ingrati animi crimen horreo: in quo vitio nihil mali non inest. *Cic. l. 9. ad Att. Ep. 2. et 8.*

Omne dixeris maledictum, quum ingratum hominem dixeris. *Ep. 4.*

Omnes immemorem beneficii oderunt: eamque iniuriam in deterrenda liberalitate sibi etiam fieri, eumque, qui faciat, communem hostem tenuiorum putant. *P. Syrus v. 596. Cic. 2. Off. c. 18.*

Ingratus vnus miseris omnibus nocet. *P. Syrus v. 343.*

Malignos fieri maxime ingrati docent.

Landesbibliothek Oldenburg

Seneca 3 benef. c. 6. Hoc tam inuisum vitium, an impunitum esse debeat, quaeritur; et an haec lex, quae in scholis exercetur, etiam in ciuitate ponenda sit, qua ingrati datur actio: quae videtur aequa omnibus. Nostri maiores, maximi illi viri, beneficia magno animo dabant, magno perdebant. Non est in vlla gente data aduersus ingratum actio. Hoc frequentissimum crimen nusquam punitur, vbique improbatur. Neque absoluimus illud: sed quum difficilis esset incertae rei aestimatio, tantum odio damnauimus, et inter ea reliquimus, quae ad vindices deos mittimus.

Xen. 1. Cyrop. 2. Apud Persas tamen, vt refert Xenophon, iudicium instituebatur de eo crimine, vnde grauissima inter homines odia solent exsistere, quum nemo propterea in ius vocari soleat; nimirum de ingrato animo. Itaque si quem intellexerant gratiam non retulisse, quum posset; in eum grauiter animaduertebant. Ingratos enim nulla deorum reuerentia, nulla parentum, patriae, amicorum cura tangi putabant.

CAPVT LXXVIIII.

Quos experimur ingratos, ipsi facimus.

Seneca 3. benef. c. 1. et l. 1. c. 1. 1. Non referre beneficiis gratiam, et est turpe, et apud omnes habetur: nullum tamen inter plurima maximaque hominum vitia frequentius, quam ingrati animi. Id euenire ex pluribus caussis, video. Prima illa est, quod non eligimus dignos, quibus tribuamus. Secunda, in quos experimur in-

gra-

gratos, ipsi facimus: quia alias diu et enixe rogati beneficia conferimus, alias collatorum graues exprobratores exactoresque sumus. Quis enim nostrum contentus fuit, aut leuiter rogari, aut semel? Nemo autem libenter debet, quod non accepit, sed expressit. Gratus esse aduersus eum quisquam potest, qui beneficium aut superbe iniecit, aut iratus impegit, aut fatigatus, vt molestia careret, dedit? quum in omni officio magni aestimetur voluntas.

Eodem animo beneficium debetur, quo datur. *P. Syrus*

2. Generosi et magnifici animi est, iuuare et prodesse. Qui dat beneficia, deos imitatur: qui repetit, feneratores. *Seneca 3. benef. c. 15.*

Sulla postquam in Africam atque in castra Marii cum equitatu venit, multis rogantibus, aliis per se ipse dare, beneficia inuitus accipere; sed ea properantius, quam aes mutuum reddere, ipse ab nullo repetere: magis id laborare, vt illi quamplurimi deberent. *Sallust. Iug. c. 96.*

Odiosum sane genus hominum, officia exprobrantium, quae meminisse debet is, in quem collata sunt; non commemorare, qui contulit. *Cic. de amicit. c. 20.*

Exstat in hanc sententiam elegantissimum Martialis epigramma. *Martial. l. 5 Epigr 53.*

Quae mihi praestiteris, memini, semperque tenebo.
Cur igitur taceo? Postume, tu loqueris.
Incipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat: dixerat ipse mihi.

Non belle quaedam faciunt duo: sufficit vnus
Huic operi: si vis, vt loquar, ipse tace.
Crede mihi, quamuis ingentia, Postume, dones,
Auctoris pereunt garrulitate sui.

P. Syrus v. 77. Beneficium qui dedisse se dicit, petit.

CAPVT LXXX.

Ingrati ingratos aequo animo feramus.

Seneca 7. benef. c. 27. 1. Graue est ingrati animi vitium, intolerabile, et quod dissociet homines, quod concordiam, qua imbecillitas nostra sulcitur, scindat ac dissipet. Sed vsque eo vulgare est, vt illud, nec qui queritur quidem, effugerit. *cap. 28.* Cogita tecum, an, quibuscunque debuisti, gratiam retuleris, an omnium te beneficiorum memoria comitetur. Videbis, quae puero data sunt, ante adolescentiam elapsa: quae in iuuenem collata sunt, non perduraſſe in senectutem. Si te diligenter excusseris; vitium, de quo quereris, in sinu inuenies. Inique publico irascaris crimini: vt absoluaris, ignosce.

Ib. c. 26. 2. Ingrati ferendi sunt placido animo, mansueto, magno. Nunquam te tam inhumanus, et immemor, et ingratus tam offendat, vt non tamen dedisse delectet. Nunquam te in has voces iniuria impellat: Vellem non feciſſe.

Ib. c. 30. Ingratum meliorem facies ferendo, peiorem exprobrando. Quid opus est maledictis?

dictis? quid querelis? quid infectatione? Vt corporum, ita animorum, molliter vitia tractanda sunt. Vincit malos pertinax bonitas: nec quisquam tam duri infestique aduersus diligenda, animi est, vt etiam vi tractus bonos non amet. *cap.* 31.

Si nobis non est relata gratia, quid faciemus? demus, etiamsi multa in irritum data sint. Demus nihilominus aliis, demus ipsis, apud quos iactura facta est. In hoc homine videor beneficium perdidisse: huic ipsi beneficium dabo iterum, et, tanquam bonus agricola, cura cultuque sterilitatem soli vincam. *ibid.* *cap.* 32.

Beneficium saepe dare, docere est reddere. *P. Syr. v.* 78. *Sen.* 1. *benef. c.* 1. *cap.* 2.

3. Non est, quod tardiores faciat ad bene merendum, turba ingratorum. Nam primum nos illam augemus. Deinde ne deos quidem immortales ab hac tam effusa benignitate sacrilegi negligentesque eorum deterrent. Hos sequamur duces, quantum humana imbecillitas patitur. In dandis beneficiis permaneamus, etiamsi spes praecidatur gratos reperiendi. Ne cessaueris dare: opus tuum perage, et partes boni viri exsequere. Alium re, alium fide, alium gratia, alium consilio, alium praeceptis salubribus adiuua.

LIBER QVARTVS DE FORTITVDINE

CAPVT I.

Animi fortitudo duplex.

Cic. 1. Off. c. 20. Fortis animus, et magnus, duabus rebus maxime cernitur: quarum vna in rerum externarum despicientia ponitur, quum persuasum sit, nihil hominem, nisi quod honestum decorumque sit, admirari, aut optare, aut expetere oportere: nullique, neque homini, neque perturbationi animi, nec fortunae succumbere. Altera est res, vt, quum ita sis affectus animo, res geras magnas illas quidem, et maxime vtiles, sed vehementer arduas, plenasque laborum et periculorum, tum vitae, tum multarum aliarum rerum, quae ad vitam pertinent.

Ib. c. 19. Ea animi elatio, quae cernitur in periculis et laboribus, si iustitia vacat, pugnatque non pro salute communi, sed pro suis commodis, in vitio est. Non enim modo id virtutis non est, sed potius immanitatis, omnem humanitatem repellentis. Itaque probe definitur a Stoicis fortitudo, quum eam virtutem esse dicunt pugnantem pro aequitate.

Aurel. Vict. Ep. cap. 2. Dicitur Augustus adeo turbas, bella, si-

mul-

multates exsecratus esse, vt nisi iustis de caussis nunquam genti cuiquam bellum intulerit.

Caput II.

Bellicae fortitudinis exempla.

1. Nunquam omnino periculi fuga committendum est, vt imbelles timidique videamur. Sed fugiendum etiam illud, ne offeramus nos periculis sine caussa: quo nihil potest esse stultius. Quapropter in adeundis periculis consuetudo imitanda medicorum est, qui leuiter aegrotantes leniter curant, grauioribus autem morbis periculosas curationes, et ancipites adhibere coguntur. Quare in tranquillo tempestatem aduersam optare, dementis est: subuenire autem tempestati quauis ratione sapientis. *Cic. 1. Off. cap. 24.*

Temere in acie versari, et manu cum hoste confligere, immane quiddam et belluarum simile est. Sed quum tempus necessitasque postulat, decertandum manu est, et mors seruituti turpitudinique anteponenda. *cap. 23.*

2. Iam Tarquinii, (Roma pulsi) ad Lartem Porsenam, Clusinum (Etruscorum) regem, perfugerunt: (qui eorum precibus motus, bellum Romanis intulit, vt eiectos in vrbem reduceret.) Quum (Etrusci) hostes adessent, (duce Porsena,) (Romani) pro se quisque in vrbem ex agris demigrant: vrbem ipsam sepiunt praesidiis: alia muris, alia Tiberi (amne) *Linius l. 2. cap. 9.* *cap. 10.*

obiecto, videbantur tuta. (Sed) pons sublicius iter paene hostibus dedit, ni vnus vir fuisset, Horatius Cocles: id munimentum illo die, fortuna vrbis Romanae, habuit. Qui positus forte in statione pontis, quum captum repentino impetu Ianiculum, atque inde citatos decurrere hostes vidisset, trepidamque turbam suorum arma ordinesque relinquere, reprehensans singulos, obsistens, obtestansque Deum et hominum fidem, testabatur. Itaque monere, praecipere, vt pontem ferro, igni, quacunque vi possent, interrumpant; se impetum hostium, quantum corpore vno posset obsisti, excepturum. Vadit inde in primum aditum pontis: insignisque inter conspecta cedentium pugnae terga, obuersis cominus ad ineundum praelium armis, ipso miraculo audaciae obstupefecit hostes.

Duos tamen cum eo pudor tenuit, Sp. Lartium ac T. Herminium, ambos claros genere factisque. Cum his primam periculi procellam, et quod tumultuosissimum pugnae erat, parumper sustinuit. Deinde eos quoque ipsos exigua parte pontis relicta, reuocantibus qui rescindebant, cedere in tutum coëgit. Circumferens inde truces minaciter oculos ad proceres Etruscorum; nunc singulos prouocare, nunc increpare omnes, *seruitia regum superborum* (vocans,) *suae libertatis immemores, alienam oppugnatum venire.* Cunctati aliquamdiu (illi) sunt, dum alius alium, vt praelium incipiant, circumspectant. Pudor deinde commouit (eorum) aciem, et clamore sublato vndi-

vndique in vnum hostem (Horatium) tela coniiciunt. Quae quum in obiecto cuncta scuto haesissent, neque ille minus obstinatus ingenti pontem obtineret gradu: iam impetu (facto) conabantur detrudere virum. Quum simul fragor rupti pontis, simul clamor Romanorum alacritate perfecti operis sublatus, pauore subito (eorum) impetum sustinuit. Tum Cocles: *Tiberine pater*, inquit, *te sancte precor, haec arma et hunc militem propitio flumine accipias.* Ita sic armatus in Tiberim desiluit: multisque superincidentibus telis incolumis ad suos tranauit; rem ausus plus famae habituram ad posteros, quam fidei.

Grata erga tantam virtutem ciuitas fuit: statua in comitio posita: (tantum) agri, quantum vno die circumarauit, datum. Priuata quoque, inter publicos honores, studia eminebant: nam in magna (annonae) inopia pro domesticis copiis, vnusquisque ei aliquid, fraudans se ipse victu suo contulit.

3. Imperator Poenus, in terra Sicilia, bello Carthaginiensi primo, obuiam Romano exercitui progreditur, colles, locosque idoneos prior occupat. Milites Romani (vti res narrata est) in locum insinuant fraudi et perniciei obnoxium. Tribunus (de cuius nomine non conuenit inter antiquos scriptores: nam alii Q. Caedicium, alii Laberium, plures Calpurnium Flammam vocant) ad Consulem venit: ostendit exitium de loci importunitate et hostium circumstantia. *Maturum censeo*, inquit, *si rem seruare vis, faciundum, vt CCCC aliquot milites ad verrucam illam,* *A. Gellius l. 3. c. 7. Liuius l. 22. cap. 60. Sen. Ep. 82.*

(*sic enim M. Cato locum editum asperumque appellat*) *ire iubeas; eamque vti occupent imperes horterisque. Hostes profecto, vbi id viderint, fortissimus quisque et promtissimus ad occursandum pugnandumque in eos praeuertentur: vnoque illo negotio sese adligabunt; atque illi omnes CCCC procul dubio obtruncabuntur. Tu interea, occupatis in ea caede hostibus, tempus exercitus ex hoc loco educendi habebis. Alia, nisi haec, salutis via nulla est.* Consul tribuno respondit, *consilium quidem fidum atque prouidens sibi viderier: sed istos,* inquit, *milites CCCC ad eum locum in hostium cuneos quisnam erit, qui ducat? Si alium,* inquit tribunus, *neminem reperis: me licet ad hoc periculum vtare. Ego hanc tibi, et reipublicae animam do.* Consul tribuno gratias laudesque egit.

Ille traditos sibi quadringentos milites admonens, quem in locum deduceret, et quo consilio: *Ire,* inquit, *commilitones, illo necesse est, vnde redire non est necesse. Moriamur, milites, et morte nostra eripiamus ex obsidione circumuentas legiones.* Tum omnes nulla spe euadendi, sed amore laudis et seruandi exercitus cupiditate accensi, proficiscuntur. Hostes eorum audaciam demirantur: quorsum ire pergant, in exspectando sunt. Sed vbi apparuit, ad eandem verrucam occupandam iter intendere; mittit aduersum illos imperator Carthaginiensis peditatum, equitatumque, quos in exercitu viros habuit strenuissimos. Romani milites circumueniuntur: circumuenti repugnant,

Sen. l. c.
Liuius l. c.
A. Gellius l. c.

gnant. Fit praelium diu anceps. Tandem superat multitudo. Quadringenti omnes tum vna perfossi gladiis, aut missilibus operti, cadunt. Consul interibi, dum ea pugna fit, se in locos tutos atque editos subducit. Dii immortales (sunt verba Catonis) tribuno militum fortunam ex virtute eius dedere. Nam ita euenit: quum saucius multifariam ibi factus esset; tum vulnus capiti nullum euenit. Quumque inter mortuos defatigatum vulneribus, aegreque spirantem, quod sanguis defluxerat, cognouere; eum sustulere: isque conualuit: saepeque post illa operam reipublicae fortem atque strenuam perhibuit: illoque facto, quod illos milites subduxit, exercitum ceterum seruauit.

4. Leonidas Spartanus, cuius proposito, opere, exitu, nihil fortius. Nam cum trecentis ciuibus apud Thermopylas obiectus Xerxi, in Graeciam irrumpenti, cum innumerabili militum copia, et loci opportunitate, qua plurimum adiuuabatur, spoliatus, occidere dimicans, quam adsignatam sibi a patria stationem deserere, maluit, Ideoque tam alacri animo suos ad id praelium, quo perituri erant, cohortatus est, vt diceret: *Sic prandete, commilitones mei, tanquam apud inferos coenaturi.* Mors erat denuntiata (trecentis illis Lacedaemoniis:) nec victoriam sperabant, nec reditum: ille locus iis sepulcrum futurus erat. Lacedaemonii, perinde (tamen) ac victoria esset promissa, ductori intrepide paruerunt. *A. Gell. l. c. Valer. l. 3. cap. 2. Seneca Ep. 82. et 6. benef. cap. 31.*

Lacedaemonii Leonidam et socios eius *A. Gell.* pro *l. c.*

pro patria caesos, decorauere sepulcris, sta-
Plinius l. tuis, elogiis. Tribuno militum Romano
22. cap. 3. egregii facinoris merces data est corona gra-
4. minea, qua nulla nobilior corona fuit in prae-
mium virtutis bellicae apud pupulum terra-
rum principem, et quae nulli, nisi ab vni-
uerso exercitu seruato decreta fuit.

Corn. Populi nostri honores quondam fuerunt
Nep. in rari et tenues, ob eamque caussam glorioſi:
Miltiade nunc autem effusi atque obsoleti. Sic olim
cap. 6. in apud Athenienses fuisse reperimus. (Thra-
Thrasyb. sybulo enim,) pro tantis (in patriam) meritis,
cap. 4. honoris (ergo) corona a populo data est, facta
e duabus virgulis oleaginis: quae, quod amor
ciuium, non vis, expressérat, nullam habuit
inuidiam, magnaque fuit gloria. Nam par-
ua munera, diutina: locupletia, non pro-
pria esse consueuerunt. Illa igitur corona
contentus Thrasybulus, neque amplius re-
quisiuit, neque quemquam honore se ante-
cessisse existimauit.

Diodor. 5. Epaminondas non Thebanorum modo,
fragm. sed omnium aetatis suae Graecorum sine con-
Iustin. l. trouersia princeps exstitit. Antequam eo du-
6. cap. 8. ce vterentur Thebani, nullum memorabile
bellum gesserunt, et, eo exstincto, suis tantum
cladibus insignes fuere: vt manifestum sit,
patriae gloriam et natam, et exstinctam cum
eo fuisse. Quam fortiter vero et libenter vitam
pro patria profuderit, haec declarant, quae de
Corn. eius morte narrantur. Hic extremo tempore
Nep. in imperator (Thebanorum) apud (vrbem)
Epam. c. Mantineam, quum acie instructa audacius
9. instaret hostibus, cognitus a Lacedaemoniis,

quod

quod in vnius pernicie (eius) patriae sitam putabant salutem, vniuersi in vnum impetum fecerunt, neque prius abscesserunt, quam magna caede facta, multisque occisis, fortissime ipsum Epaminondam pugnantem, spa-
ro eminus percussum, concidere viderunt. Epominondam exspiranti similem quum in castra detulissent sui; paullatim redeunte animo circumstantes amicos agnouit, et animaduertit, mortiferum se vulnus accepisse, simulque, si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraheretur, nimam statim amissurum. Tunc quaesiuit: *Saluusne esset clypeus?* Quum saluum esse flentes sui respondissent, rogauit; *essentne fusi hostes?* Quumque id quoque, vt cupiebat, audiuisset: *Bene seres habet*, inquit, *et satis vixi.* Tum euelli iussit eam, qua transfixus erat, hastam, et, multo sanguine profuso, in laetitia et in victoria est mortuus. *Cicero l. 2. de fin. cap. 30.*

Quod vero de clypeo suo sollicitus fuerit Epaminondas, mirum non debet videri. Nihil enim apud Graecos, atque inprimis Lacedaemonios, magis dedecori erat militi, quam e pugna reuerti, amisso clypeo: quemadmodum summae laudi ducebatur, militem vulneribus, aduerso corpore acceptis, occisum, et clypeo impositum, in patriam reportari. Vnde mulier Lacaena, filio ad bellum proficiscenti scutum tradens, dixisse fertur: *Aut hoc, aut in hoc.* Id est, aut hoc scutum domum refer e pugna, aut ipse in hoc scuto iacens domum reporteris. *Plut. Apophth.*

6. Cynaegiri quoque, militis Athenienſis, glo- *Iustin. l. 2.*
ria *cap. 9.*

ria, magnis scriptorum laudibus celebrata est: qui post praelii innumeras caedes (duce Miltiade, in campis Marathoniis factas,) quum fugientes hostes ad naues egisset; onustam nauem dextra manu tenuit, nec prius dimisit, quam manum amitteret. Tum quoque amputata dextra, nauem sinistra comprehendit. Quam et ipsam quum amisisset; ad postremum morsu nauem detinuit. Tantam in eo virtutem fuisse, vt non tot caedibus fatigatus, non ambabus manibus amissis victus; truncus ad postremum, veluti et rabida fera, dentibus dimicauerit.

Caput III.

Fortitudo domestica non est inferior militari.

Cic. 1. Offic. cap. 22. 1. Vere si volumus iudicare, multae res extiterunt vrbanae maiores, clarioresque, quam bellicae; nec plus Africanus, singularis et vir, et imperator, in exscindenda Numantia reipublicae profuit, quam eodem tempore P. Nasica priuatus, quum Tiberium Gracchum interemit.

Valer. l. 3. cap. 2. Quum Tiberius Gracchus in tribunatu profusissimis largitionibus fauore populi occupato, rempublicam oppressam teneret, palamque dictitaret, interemto senatu, omnia per plebem agi debere; in aedem Fidei publice conuocati Patres Conscripti a Consule, Mucio Scaeuola, quidnam in tali tempestate faciendum esset, deliberabant: cunctisque censentibus, vt Consul armis

armis rempublicam tueretur, Scaeuola negauit, se quidquam vi esse acturum. Tum Scipio Nasica, qui consobrinus Tiberii Gracchi erat, patriam cognationi praeferens: *Quoniam*, inquit, *Consul, dum (consuetum) iuris ordinem sequitur, (res nostras in hoc periculum adducit,) id agit, vt cum omnibus legibus Romanum imperium corruat: egomet priuatus voluntati vestrae, (Patres Conscripti,) me offero ducem.* Ac deinde laeuam manum parte togae circumdedit, sublataque dextra, (quasi signum extolleret,) proclamauit: *Qui rempublicam saluam esse volunt, me sequantur.* Eaque voce, cunctatione bonorum (omnium) ciuium discussa, Gracchum cum scelerata factione, quas merebatur, poenas persoluere coëgit, eumque manu sua interfecit. Quod factum quum plebs grauiter ferret, tribunique singulos senatores in concionem productos interrogarent, quis auctor caedis fuisset; ceteri quidem omnes veriti concitatae multitudinis furorem, a se id factum negabant, variisque et obliquis responsionibus vtebantur. Solus Scipio Nasica sua manu caedem esse factam professus est. Tum vero constantia et auctoritate viri mota plebs conticuit. *Paterc. l. 2. cap. 3.* *Diod. Sic. l. 34.*

2. Q. Metelli, cognomento Numidici, praeclarum imperium in re militari fuit, egregia Censura, omnis vita plena grauitatis. Quum ab inimicis accusatus caussam de pecuniis repetundis diceret, et ipsius tabulae circumferrentur iudicibus inspiciendae, nemo ex illis fuit, quin remoueret oculos, et se totum auerteret, ne quisquam dubitasse *Cicero pro domo, pro Balbo, et pro Plancio.*

tasse videretur, verum an falsum esset, quod ille retulerat in tabulas. Huius viri laudem magnitudo animi et calamitas propagauit ad memoriam sempiternam. De ciuitate decedere, quam de sententia, maluit; eique salus patriae dulcior, quam conspectus, fuit.

Plut. in Mario.

Legem tulerat Saturninus, tribunus plebis, vt senatus in concione iuraret, se quidquid populus iussisset, comprobaturum, neque vllo modo impugnaturum. Hanc legem, quia Metellus censebat et senatus maiestati aduersam, et reipublicae pernicioſam, palam dixit, se nunquam in eam iuraturum: et tanti viri auctoritate motus senatus, e foro domum discessit. Post paucos dies, quum Saturninus vocatos ad Rostra Patres minando compelleret ad praestandum ius iurandum: Marius, sextum Consul, iurauit primus, eumque populus plausu, et laetis acclamationibus excepit. Senatores deinde omnes, suo quisque ordine, populi metu iurarunt; donec ad Metellum ventum est: qui orantibus licet et obsecrantibus amicis, vt iuraret, ne grauissimas poenas subiret, quae erant a Saturnino propositae, nihil ex animi fortitudine remisit, sed moribus suis seruiens, et acerbissima quaeque potius perpeti paratus, quam quidquam turpe facere, discessit e concione: tumque deducentibus eum domum amicis dixit: *Aliquid sceleris admittere, improbum esse: bene agere, vbi nullum periculum esset, vulgare: proprium vero viri boni, etiam cum periculo sequi, quod rectum esset.*

Metel-

Metello aqua et igni interdictum est, et lata rogatio a Saturnino, ne quis eum tecto reciperet: videbatur quoque plebecula etiam ad caedem eius parata. Quidquid virorum bonorum Romae fuit, ad illius aedes confluxit, eius vicem dolens, et operam pollicens. At ille eos sua causa seditionem in vrbe mouere vetuit, quum contentione et armis superior posset esse, et vrbe discessit, haec secum reputans: *Si rerum melior status fiat, et populo sana mens redeat: magna cum laude in patriam reuocabor. Si contra nulla rebus et animis mutatio accedet: optimum erit abesse.* Honestum Rhodi secessum inuenit, ibique litteris ac philosophiae operam dedit, donec senatus auctoritate, populique iussu, reuocatus est in patriam, tanto quidem omnium gaudio, vt dies totus non sufficeret gratulationibus illum ad portam vrbis excipientium. Sic Q. Metellus nec triumphis, honoribusque, quam aut causa exsilii, aut exsilio, aut reditu clarior fuit. *Appian. l. 1. bell. ciu. Vell. Pat. l. 2. c. 15.*

Vi opprimi in bona causa, est melius, quam malae cedere. *Cic. 3. de leg. c. 15.*

3. Quum tribuni plebis, auctore Caesare Consule, legem Agrariam tulissent, addidissentque, vt senatus in eam iuraret, multa graui sancita in eum, qui non iurasset; iurarunt senatores omnes, non Metelli fortitudinem imitati, sed exsilium metuentes. Catonem nec muliebres lacrimae, nec propinquorum atque amicorum verba infringere potuerant. Tandem eius constantiam expugnauit Cicero, inter cetera admonens: *Plut. in Cat. Vtic.*

si Cato

si Cato Roma opus non haberet, at Romam Catone opus habere. Acceſſit ergo ad iurandum nouiſſimus, ſi vnum amicum eius Fauonium excipias.

Hac victoria elatus Caeſar aliam legem ferendam curauit. Cui quum nemo praeter Catonem obſtitiſſet; hunc a Roſtris in vincula rapi iuſſit, nihil de libertate linguae remittentem, ſed in ipſa ad carcerem via de lege diſſerentem, atque commonentem ciues, vt talia molientibus aduerſarentur. Sequebatur Catonem maeſtus ſenatus, et optimus quisque e populo, tacite indignantes. Id non latebat Caeſarem, ſed exſpectabat, dum aut ad humiles preces Cato ſeſe demitteret, aut ad populum prouocaret. Quod vbi fruſtra a ſe ſperari animaduertit; pudore victus e tribunis vnum ſubmiſit, qui Catonem dimitteret.

Valer. l. 3. cap. 8. 4. C. Piſonem mirifice et conſtanter, turbulento reipublicae ſtatu, egiſſe Conſulem, narratione inſequenti patebit. M. Paſicani, ſeditioſiſſimi hominis, peſtiferis blanditiis praereptus populi (Romani) fauor, conſularibus comitiis, ſummum dedecus admittere conabatur, ampliſſimum ei imperium deferre cupiens, cuius teterrimis actis exquiſitum potius ſupplicium, quam vllus honos debebatur: nec deerat conſternatae multitudini furialis fax tribunicia, quae temeritatem eius et ruentem comitaretur, et languentem actionibus ſuis inflammaret. In hoc miſerando pariter atque erubeſcendo ſtatu ciuitatis, tantum non manibus tribunorum pro Roſtris Piſo collocatus eſt, quum hinc atque illinc eum ambis-

ambissent, et an Palicanum, suffragiis populi Consulem creatum, renuntiaturus esset, interrogaretur, primo respondit: *Non existimare se, tantis tenebris offusam esse rempublicam, vt huc indignitatis veniretur.* Deinde quum perseueranter instarent, ac dicerent: *Age, si ventum fuerit: non renuntiabo,* inquit. Quo quidem tam abscisso responso (Piso) Consulatum Palicano, priusquam illum adipisceretur, eripuit. Multa et terribilia Piso contemsit, dum speciosum mentis suae flecti non vult rigorem.

5. Quum Eurybiades baculum sustuliisset in Themistoclem, sententiae suae aduersantem: *Percute,* inquit Themistocles, *sed audi.* Eam animi moderationem simul et magnitudinem miratus Eurybiades, Themistoclem loqui, quantum vellet, iussit, et ab eo ad meliora consilia reuocatus est. *Plut. in Themist.*

Caput IIII.

Imperare sibi, maximum imperium est.

1. Fortis animus, et magnus, cernitur in dubus, si et solum id, quod honestum sit, bonum iudices, et ab omni animi perturbatione liber sis. Nam et ea, quae eximia plerisque et praeclara videntur, parua ducere, eaque ratione stabili firmaque contemnere, fortis animi magnique ducendum est: et ea, quae videntur acerba, quae multa et varia in hominum vita fortunaque versantur, ita ferre, vt nihil a statu naturae discedas, *Cicero* 1. *Offic. c.* 20.

das, nihil a dignitate sapientis, robusti animi est, magnaeque constantiae. Non est autem consentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate, nec, qui inuictum se a labore praestiterit, vinci a voluptate.

Seneca Epist. 113 O quam magnis homines erroribus tenentur, qui ius dominandi trans maria cupiunt mittere: felicissimosque se iudicant, si multas per milites prouincias obtinent, et nouas veteribus adiungunt, ignari, quod sit illud ingens paratumque regnum! Imperare sibi, maximum imperium est: (sicut seruire cupiditatibus grauissima seruitus est.)

Quaest. l. 3. *in praef.* Quid praecipuum in rebus humanis est? non classibus maria complesse, nec in rubri maris litore ligna fixisse, nec deficiente terra, ad iniurias aliorum errasse in oceano, ignota quaerentem: sed animo omne vidisse, et qua nulla est maior victoria, vitia domuisse. Innumerabiles sunt, qui vrbes, qui populos habuere in potestate: pauciissimi, qui se.

P. Syrus v. 904. Stultum est, imperare ceteris, qui nescit sibi.

Senec. 5. *benef. c.* 7. 2. Gentes facilius est barbaras, impatientesque alieni arbitrii, regere, quam animum suum continere et tradere sibi. (Satis) itaque contra hostes instructi, (saepe) contra

Epist. 113 fortunam (et cupiditates) inermes sunt. Alexander quidem Persas, et Hircanos, et Indos, et quidquid gentium vsque in Oceanum extendit Oriens, vastabat, fugabatque. Sed ipse modo occiso amico, modo amisso, iacebat in tenebris, alias scelus, alias desiderium suum maerens, victor tot regum et populo-

pulorum irae, triſtitiaeque ſuccubuit. Id enim egerat, vt omnia potius haberet in poteſtate, quam affectus. Quem arma Perſarum non fregerant, vitia vicerunt. Victo ad Arbela Dario, palam cupiditates ſuas ſoluit, continentiamque ac moderationem in altiſſima quaque fortuna eminentia bona, in ſuperbiam ac laſciuiam vertit. Purpureumque diadema diſtinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit, veſtemque Perſicam ſumſit. Et ille ſe quidem Perſarum ſpolia geſtare dicebat; ſed cum illis quoque eorum mores induerat, ſuperbiamque habitus animi inſolentia ſequebatur. *Q. Curt. l. 6. c. 2. 6*

3. (*Hanc Caeſari laudem eximiam tribuit Cicero, quod iram ſuam non minus fortiter viciſſet, quam hoſtes vicerat.*) Domuiſti (Caeſar) gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: ſed tamen ea viciſti, quae et naturam, et conditionem, vt vinci poſſent, habebant. Nulla eſt enim tanta vis, (tantaque copia) quae non ferro, ac viribus debilitari, frangique poſſit. Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, etc. haec qui facit, non ego eum cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum deo iudico. *Cicero pro Marc. c. 3.*

Bis vincit, qui ſe vincit in victoria.

Iracundiam qui vincit, hoſtem ſuperat maximum. *P. Syr. v. 88. et 376*

Quum Scipio, poſt partam de Syphace rege victoriam, vidiſſet Maſiniſſam intempeſtiuo Sophonisbae captiuae amore captum; adductum in ſecretum, ſic adloquitur: *Non* *Liuius l. 30. c. 14.*

est, (mihi crede) tantum ab hostibus armatis aetati nostrae periculi, quantum ab circumfusis undique voluptatibus. Qui eas sua temperantia frenauit ac domuit, nae multo maius decus maioremque victoriam sibi peperit, quam nos Syphace victo habemus.

Caput V.

Vitiorum irritamenta sunt fugienda.

Liuius l. 23. cap. 2. 4. 18.

1. Capua, Campaniae vrbs, prona semper ciuitas in luxuriam (fuit), non ingeniorum modo vitio, sed (etiam) affluenti copia voluptatum, et illecebris omnis amoenitatis maritimae terrestrisque; luxurians longa felicitate, atque indulgentia fortunae. Illuc in hiberna concessit Hannibal, victis ad Cannas Romanis; ibi partem maiorem hiemis exercitum in tectis habuit; aduersus omnia humana mala saepe ac diu durantem, bonis inexpertum atque insuetum. Itaque quos nulla mali vicerat vis, perdidere nimia bona ac voluptates immodicae; et eo impensius, quo auidius ex insolentia in eas se immerserant. Somnus enim, et vinum, et epulae, et scorta, balineaque, et otium, consuetudine in dies blandius, ita eneruauerunt corpora animosque, vt magis deinde praeteritae eos victoriae, quam praesentes tutarentur vires: maiusque id peccatum ducis apud peritos artium militarium haberetur, quam quod non ex Cannensi acie protinus ad vrbem Romam duxisset. Illa enim cunctatio distuliſſe modo victoriam videri potuit, hic

cap. 18.

error

error vires ademisse ad vincendum; (vt Marcellus vere dixisse videatur,) *Capuam Hannibali Cannas fuisse.* *Liuius. c 45.*

2, Non tantum corpori, sed etiam moribus salubrem locum eligere debemus. Quemadmodum inter tortores habitare nolim, sic nec inter popinas quidem. Videre ebrios per litora errantes, et commessationes nauigantium, et symphoniarum cantibus perstrepentes lacus, et alia, quae velut soluta legibus luxuria, non tantum peccat, sed publicat, quid necesse est? Id agere debemus, vt irritamenta vitiorum quam longissime profugiamus. Indurandus est animus, et a blandimentis voluptatum procul abstrahendus. Vim Hannibalis hiberna soluerunt, et indomitum illum niuibus atque Alpibus virum eneruauerunt fomenta Campaniae. Armis vicit, vitiis victus est. Nobis quoque militandum est; et quidem genere militiae, quo nunquam quies, nunquam otium datur. Debellandae sunt inprimis voluptates: quae (vt vides) sacua quoque ad se ingenia rapuerunt. Si quis sibi proposuerit, quantum operis adgressus sit, sciet nihil delicate, nihil molliter esse faciendum: non est emolliendus animus. His cogitationibus intentum, loca seria sanctaque (ad habitandum) eligere oportet. Effeminat animos amoenitas nimia: nec dubie aliquid ad corrumpendum vigorem potest regio. Quamlibet viam iumenta patiuntur, quorum durata in aspero vngula est: in molli palustrique pascuo saginata, cito subteruntur. Et fortior miles ex con- *Seneca Ep. 51.*

fragoso venit: segnis est vrbanus et verna. Nullum laborem recusant manus, quae ad arma ab aratro transferuntur. In primo deficit puluere ille vnctus et nitidus. Seuerior loci disciplina firmat ingenium, aptumque magnis conatibus reddit.

Q. Curt. l. 5. c. 1. 3. Diutius in hac vrbe (Babylone) quam vsquam, constitit rex (Alexander:) nec vllus locus disciplinae militari magis nocuit. Nihil vrbis eius corruptius moribus, nec ad irritandas inliciendasque immodicas voluptates instructius. Babylonii (quippe) maxime in vinum, et quae ebrietatem sequuntur, effusi sunt. Inter (has delicias et) haec flagitia exercitus ille domitor Asiae, per triginta quatuor dies saginatus, ad ea, quae sequebantur discrimina, haud dubie debilior futurus fuit, si hostem habuisset.

Caput VI.

Angusti animi est amare diuitias, magni contemnere.

Cicero 1. *Off. c.* 20. 1. Pecuniae fugienda cupiditas. Nihil enim est tam angusti animi, tamque parui, quam amare diuitias. Nihil honestius magnificentiusque, quam pecuniam contemnere, si non habeas; si habeas, ad beneficentiam liberalitatemque conferre.

2 *Off. c.* 11 Homines maxime admirantur eum, qui pecunia non mouetur: quod in quo viro perspectum sit, hunc igni spectatum arbitrantur.

4. *Tusc. c.* 11. 2. Quum est concupita pecunia, nec adhibita

bita continuo ratio, quasi quaedam Socratica medicina, quae sanaret eam cupiditatem: permanat in venas, et inhaeret in visceribus illud malum, exsistitque morbus et aegrotatio: quae euelli inueterata non potest, eique morbo nomen est auaritia. Itaque

Principiis obsta. Sero medicina paratur, *Ouid. de*
Quum mala per longas conualuere moras *Remed. v.* 91 *f.*

Auaritia pecuniae studium habet: quam nemo sapiens concupiuit. Ea quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effeminat; semper infinita, (et) insatiabilis est; neque copia, neque inopia minuitur. Etenim *Sallust. Cat. c.* 11.

Auarum irritat, non satiat, pecunia. *P. S. v. v.* 7
Auarus animus nullo satiatur lucro.
Tam deest auaro quod habet, quam quod non habet. *v.* 917.
Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit. *v.* 382.

3. Prouideas oportet, vt iuuentus probitati et industriae, non sumptibus, neque diuitiis studeat. Id ita euenìet, si pecuniae, quae maxima omnium pernicies est, vsum atque decus demseris. *Sall. I. ad Caes.*

Ex quo pecunia in honore esse coepit, non quaeritur, quale sit aliquid, sed quanti (pretii.) Haec ipsa res, tot magistratus, tot iudices detinet, quae magistratus et iudices facit, pecunia; quae ex quo in honore esse coepit, verus rerum honor cecidit, mercatoresque et venales inuicem facti, quaerimus, non quale sit quid, sed quanti. Ad mercedem pii sumus, ad mercedem impii. Honesta, *Seneca Ep.* 115.

quam diu aliqua illis spes inest, sequimur: in contrarium transituri, si plus scelera promittant.

Ouidius 3. Amor. Eleg. 8. v. 55. Senec. ib.

Curia pauperibus clausa est: dat census honores.

Admirationem nobis parentes auri argentique fecerunt: et teneris (animis) infusa cupiditas altius sedit, creuitque nobiscum. Deinde totus populus in aliis discors, in hoc conuenit: hoc suspiciunt, hoc suis optant, hoc diis velut rerum humanarum maximum, quum grati videri volunt, consecrant. Denique eo mores redacti sunt, vt paupertas maledicto probroque sit, contemta diuitibus, inuisa pauperibus (et loca cuncta his vocibus personare videantur:)

Horat. 1. l. Ep. 1. v. 53.

O ciues, ciues, quaerenda pecunia primum est:
Virtus post nummos.

Ouid. de art. am. l. 2. v. 277

Aurea nunc vere sunt saecula: plurimus auro
Venit honos.

Id. l. 1. Fast. v. 195 ſ.

Tempore creuit amor, qui nunc est summus, habendi,
Vix vltra, quo iam progrediatur, habet.

v. 211. ſ.

Creuerunt et opes, et opum furiosa cupido:
Et, quum possideant plurima, plura volunt:

v. 215. ſſ.

Sic, quibus intumuit suffusa venter ab vnda,
Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae.

In

In pretio pretium nunc est. Dat census honores,
Census amicitias: pauper vbique iacet.

Tam rarum est etiam imperfectae liberalitatis exemplar. Ea inuasit homines habendi cupido, vt possideri magis a diuitiis, quam eas possidere, videantur. *Plin. l. 9. Ep. 30.*

CAPVT VII.

Quod satis est, cui contingit, nihil amplius optet. *Horat. l. 1. Ep. 2. v. 46.*

1. Non possidentem multa vocaueris
Recte beatum. Rectius occupat
Nomen beati, qui deorum
Muneribus sapienter vti,
Duramque callet pauperiem pati,
Peiusque leto flagitium timet:
Non ille pro caris amicis,
Aut patria timidus perire. *l. 4. Od. 9. v. 45. et seqq.*

Contemplatus Cato maior Manii Curii villam, quae non longe aberat a sua, admirari satis non poterat vel hominis ipsius continentiam, vel temporum disciplinam. Curio ad focum sedenti in agresti scamno, et ligneo catillo coenanti, magnum auri pondus quum Samnites attulissent; repudiati ab eo sunt: *Non enim aurum habere, praeclarum sibi videri*, dixit, *sed iis, qui haberent aurum, imperare.* Atque istud vt pretiosum, ita malo hominum excogitatum, munus refertote, et mementote, me nec acie vinci, nec pecunia corrumpi posse. *Valer. l. 4. cap. 3. Cicero de Senect. c. 16.*

Valer. ib. Auctor de Vir. ill. c 36. Idem quum Italia Pyrrhum regem expulisset: nihil omnino ex praeda regia, quae exercitum vrbemque ditauerat, attigit, praeter cadum ligneum, quo deinde ad sacrificia vsus est. Quumque Senatus ciuibus septem iugera agri ex hostibus capti adsignasset, ipsi autem quinquaginta; plus accipere, quam singulis e plebe datum fuerat, noluit: parum idoneum, immo etiam pernicioſum, reipublicae ciuem eum existimans, cui septem iugera non essent satis.

Plin. l. 18 cap. 3.

Valer. l. 4. cap. 4. 2. Eiusdem nominis et sanguinis Attilius Reguius, primi Punici belli gloria, cladesque maxima: quum in Africa insolentissimae Carthaginis opes, crebris victoriis contunderet, ac prorogatum sibi ob bene gestas res in proximum annum imperium cognouisset, Consulibus scripsit: villicum in agello quem septem iugerum in Pupinia habebat, mortuum esse, occasionemque nactum mercenarium, amoto inde rustico instrumento, discessisse: ideoque petere, vt sibi successor mitteretur, ne deserto agro non esset, vnde vxor ac liberi sui alerentur. Quae postquam Senatus a Coss. accepit, et agrum alii villico colendum locari, et alimenta coniugi eius, ac liberis praeberi, resque, quas amiserat, redimi publice iussit.

A. Gellius l. 1. c. 14. 3. Iulius Hyginus in libro de vita, rebusque illustrium virorum sexto, Legatos, dicit, a Samnitibus ad C. Fabricium imperatorem populi Rom. venisse, et memoratis multis magnisque rebus, quae bene ac beneuole post redditam pacem Samnitibus feciſſet, obtulisse dono grandem pecuniam, oraſſeque,

Landesbibliothek Oldenburg

que, vti acciperet, vtereturque: atque id facere Samnites dixisse, *quod viderent, multa ad splendorem domus, atque victus defieri; neque pro magnitudine, dignitateque lautum paratumque esse.* Quippe ad focum coenabat illas ipsas radices et herbas, quas in agro repurgando triumphalis senex euulserat: totaque eius supellex argentea salino constabat, et patella ad vsum sacrorum, quae tamen ipsa corneo pediculo sustinebatur. Tum Fabricium ferunt respondisse: *Quamdiu cupiditatibus obsistere atque imperare posset, nunquam sibi quidquam defuturum: propterea se pecuniam, qua nihil sibi opus esset, non accipere ab iis, quibus sciret eam vsui esse.* Erat certe Fabricius continentiae suae beneficio sine pecunia praediues; quia locupletem illum faciebat, non multa possidere, sed modice desiderare. Ergo domus eius, quemadmodum aere, et argento, et mancipiis Samnitum vacua fuit; ita gloria ex his contemtis parta, referta fuit.

Senec. de Prou. c. 3. Valer. l. 4. cap. 4.

Valer. l. 4. cap. 3.

Viuitur paruo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum;
Nec leues somnos timor, aut cupido
Sordidus aufert.

Horat. l. 2 Od. 16. v. 13. ff.

Qui domum intrauerit, nos potius miretur, quam supellectilem nostram. Magnus ille est, qui fictilibus sic vtitur, quemadmodum argento: nec ille minor est, qui sic argento vtitur, quemadmodum fictilibus. Infirmi animi est, pati non posse diuitias.

Senec. Ep. 5.

4. Quum Caius Caesar, (cui cognomen Caligula, Demetrio philosopho) ducenta ses-

Senec. 7. benef. c. 11

tertia donaret, ridens reiecit, ne dignam quidem summam iudicans, qua non accepta gloriaretur. Quum miraretur dementiam eius, quod se putasset tanti posse mutari: *Si tentare*, inquit, *me constituerat, toto illi fui experiendus imperio.*

Cicero 2. *Off. c.* 20. Sunt quidem exempla haec praeclara: sed corrupti mores, deprauatique sunt admiratione diuitiarum: quarum magnitudo quid ad vnumquemque nostrum pertinet? Illum fortasse adiuuat, qui habet: ne id quidem semper: sed fac iuuare: vtentior sane sit: honestior vero quomodo?

Idem 1. *Off. cap.* 8. Delectant etiam magnifici apparatus, vitaeque cultus cum elegantia et copia: quibus rebus effectum est, vt infinita pecuniae cupiditas esset.

Caput VIII.

Optimus quisque Graecorum pauperrimus.

Aelian. V. H. l. 2. *c.* 43. *c.* 11. *c.* 9. 1. Viri inter Graecos praestantissimi, per vitam omnem in summa paupertate versati sunt, nec eorum virtus pecunia potuit expugnari.

Idem l. 13 *c.* 39. Ephialtes, Sophonidae filius, pauperrimus fuit. Quum vero amici ducenta talenta ei dono darent; ipse non accepit, dixitque: *Haec non accipio, propter quae, si gratus videri velim, cogar fortasse aliquid praeter ius concedere: si vero nihil gratificer, habear ingratus.* Adeo autem eum inopiae non puduit, vt, homine nescio quo, eam illi ex-

pro-

probrante, respondérit: *Cur non etiam alterum exprobras, quod iustitiam colam?*

2. Epaminondas, dux clarissimus Thebanorum, vnam solum habebat vestem. Itaque quoties eam mittebat ad fullonem, ipse interea cogebatur se continere domi, quod vestis altera deesset. In hoc statu rerum, quum ei Persarum rex magnam auri copiam misisset; noluit accipere. Si recte iudico, celsiore animo fuit is, qui aurum recusauit, quam qui obtulit. *Id. l. 5. c. 5.*

Diomedon Cyzicenus, rogatu Artaxerxis, Epaminondam pecunia corrumpendum susceperat. Hic magno cum pondere auri Thebas venit, et Micythum adolescentulum quinque talentis ad suam perduxit voluntatem: quem tum Epaminondas plurimum diligebat. Micythus Epaminondam conuenit, et caussam aduentus Diomedontis ostendit. At ille Diomedonte coram: *Nihil*, inquit, *opus pecunia est. Nam si ea rex vult, quae Thebanis sint vtilia, gratis facere sum paratus; sin autem contraria, non habet auri atque argenti satis. Namque orbis terrarum diuitias accipere nolo, pro patriae caritate. Te, qui me incognitum tentasti, tuique similem existimasti, non miror: tibique ignosco. Sed egredere propere, ne alios corrumpas, quum me non potueris. Tu, Micythe, argentum huic redde. Quod nisi confestim facis, ego te tradam magistratui.* *Cornel. Nep. in Epam. c. 4.*

Paupertatem adeo facile perpessus est Epaminondas, vt de republica nihil praeter gloriam ceperit. Amicorum in se *cap. 3.*

tuendo caruit facultatibus. Fide ad alios subleuandos, saepe sic vsus est, vt possit iudicari, omnia ei cum amicis fuisse communia. Nam quum aut ciuium suorum aliquis ab hostibus esset captus, aut virgo amici nubilis propter paupertatem collocari non posset, amicorum consilium habebat, et quantum quisque daret, pro cuiusque facultatibus imperabat. Eamque summam faciebat.

Corn. Nep. in Phoc. cap. 1. 3. Phocion, Athenienſis, etſi ſaepe exercitibus praefuit, ſummosque magiſtratus cepit; tamen multo eius notior integritas eſt vitae, quam rei militaris labor. Fuit enim perpetuo pauper, quum ditiſſimus eſſe poſſet, propter frequentes delatos honores, poteſtatesque ſummas, quae ei a populo dabantur. Hic quum a rege Philippo munera magnae pecuniae repudiaret, legatique hortarentur accipere, ſimulque admonerent, ſi ipſe his facile careret, liberis tamen ſuis proſpiceret, quibus difficile eſſet in ſumma paupertate tantam paternam tueri gloriam. His ille: *Si mei ſimiles erunt, idem hic*, inquit, *agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit: ſin diſſimiles ſunt futuri, nolo meis impenſis illorum ali augerique luxuriam.*

Plut. in Phocion. Aelian. V. H. l. 1. c. 25 et l. 11. c. 9. Eidem Phocioni Alexander, Philippi filius, centum talenta dono miſit. Oblati muneris magnitudine nihil motus Phocion, eos, qui pecuniam attulerant, percontatus eſt, *cur ſibi vni inter tot Athenienſes dona mitteret Alexander*? Quibus reſpondentibus, *eum vnum Alexandro videri virum honeſtum*

neſtum et bonum. Ergo ſinat, inquit ille, *me talem et haberi, et eſſe.* Inſtiterunt tamen legati, vt adlatum auri pondus acciperet, maxime vbi domum eius ingreſſi, vilem vbique ſupellectilem, et vxorem eius pinſentem viderunt; ipſeque, hauſta in eorum conſpectu aqua e puteo, pedes lauit. At ille non mutata ſententia: *Si eam*, inquit, *quam offertis obtruditisque mihi, pecuniam accepero, neque ea vtar, fruſtra tantus theſaurus in manus meas venerit: ſi vero vtar, et mihi et Alexandro malam apud Athenienſes famam comparabo.* Sic in Aſiam ad Alexandrum reportata fuit illa pecunia: et ditior eſt viſus, qui ea aequo animo carere potuit, quam qui obtulit.

Munera ſua fuiſſe a Phocione repudiata moleſte ferens Alexander, ſcripſit ad eum: *Non habere ſe pro amicis eos, qui nihil a ſe vellent accipere.* Eandem pecuniam denuo offerri iuſſit, et quatuor Aſiae vrbes nominari, quarum vnam pro arbitrio eligeret, cuius reditibus frueretur. Phocion ne ſic quidem quidquam accepit. Ne tamen plane Alexandrum contemnere videretur, hoc regiae maieſtati dedit, vt liberos dimitti rogaret viros quatuor, qui in arce Sardium vincti tenebantur: quod extemplo praeſtitit Alexander.

Antipater dicebat, duos ſe Athenis habere amicos, Phocionem et Demadem: quorum alteri perſuadere non poſſet, vt quidquam acciperet, alterum, multa dando, explere nequiret.

CAPVT VIIII.

Paruo contentus sapiens, pauperta-tem non timet.

Cicero 5. Tusc. c. 32.

1. Hic ipse quam paruo est contentus! nemo de tenui victu plura dixit. Etenim quae res pecuniae cupiditatem afferunt, vt amori, vt ambitioni, vt quotidianis sumtibus copiae suppetant: quum procul ab iis omnibus rebus absit, cur pecuniam magnopere desideret, vel potius curet omnino? An Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pecuniam ducere: nostrates philosophi facere non poterunt? Illius epistola fertur his verbis: *Anacharsis Hannoni salutem. Mihi amictui est Scythicum tegmen: calciamentum, solorum callum: cubile, terra: pulpamentum, fames; lacte, caseo, carne vescor. Quare vt ad quietum me licet venias. Munera autem ista, quibus es delectatus, vel ciuibus tuis, vel diis immortalibus dona.*

Diog. Laert. in Socrat. segm. 25. et 27: Cicero 5. Tusc. c. 32.

Socrates, qui eum diis proximum dicebat, cui quam pauciſſima satis essent, quum eorum, quae publice vendebantur, multitudinem intueretur, secum ista voluebat: *Quam multis ipse non egeo.* Ac semper habebat in ore iambos illos,

Argentea vasa, ac purpura
Tragoedis vtilia sunt, nequaquam autem vitae.

Cicer. ib.

1. Xenocrates, quum legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attulissent, quae erat pecunia temporibus illis, Athenis praesertim, maxima; abduxit legatos ad coenam in Academiam: iis apposuit tantum, quod

satis

satis esset, nullo apparatu. Quum postridie, rogarent eum, cui numerari iuberet: *Quid? vos hesterna*, inquit, *coenula non intellexistis, me pecunia non egere?* Quos quum tristiores vidisset, triginta minas accepit, ne adspernari regis liberalitatem videretur.

3. Diogenes Alexandro roganti, vt diceret, si quid sibi opus esset, libere, vt Cynicus, respondit: *Nunc quidem paullulum a sole abstis.* Offecerat videlicet apricanti. His auditis Alexandrum dixisse ferunt: *Nisi Alexander essem, libenter essem Diogenes.* Multo potentior, multo locupletior fuit Diogenes, omnia tunc possidente Alexandro. Plus enim erat, quod hic nollet accipere, quam quod ille posset dare. Et qui gloriari solebat, a nullo se beneficiis victum; quidni victus sit illo die, quo homo supra mensuram humanae superbiae tumens, vidit aliquem, cui nec dare quidquam posset, nec eripere? *Ibid.* *Senec. 5. benef. c. 4. et 6.*

Diogenes quidem disputare solebat, quanto regem Persarum vita, fortunaque superaret. *Sibi nihil deesse: illi nihil satis vnquam fore: se eius voluptates non desiderare, quibus numquam satiari ille posset; suas eum consequi nullo modo posse.* Haec vere Diogenes. Nam Xerxes quidem refertus omnibus praemiis donisque fortunae, non equitatu, non pedestribus copiis, non nauium multitudine, non infinito pondere auri contentus, praemium proposuit, qui inuenisset nouam voluptatem. Qui ipse non fuit contentus. Neque enim vnquam finem inuenit libido. *Cicero 5. Tusc. c. 32. ibid. c. 7.*

CAPVT

CAPVT X.

Diuitiae atque otium pestes virtutis.

Iustinus l. 3. cap. 2. Plutarch. in Lycurg. Xenoph. in Lacon.

1. Vt Lacedaemoniis nihil supereſſet, quod magnopere quaererent, praeter laudem virtutis; auri argentique vſum, velut omnium ſcelerum materiam, ſuſtulit Lycurgus. Hoc-que adeo ſeuere ab illo interdictum ſcribunt, vt inquireretur de auri poſſeſſione, tanquam de graui ſcelere: et qui hac in re contra leges peccaſſe deprehenſus eſſet, morte poenas daret. Solo ferreo nummo vti permiſit, qui ita grauis pondere, et mole amplus erat, vt ad transferendum non ita magnum eiusmodi nummorum numerum, plauſtro opus eſſet. Emi autem pleraque non pecunia, ſed mutatione mercium iuſſit. Fundos aequaliter inter omnes diuiſit, vt aequata patrimonia neminem altero potentiorem redderent.

Aelian. V. H. l. 14. cap. 44.

Quum Lacedaemoniis ſolitum eſſet, non ſolum in acie aduerſus hoſtem, ſed etiam domi aduerſus diuitias, inuictum animum gerere; Lacedaemonius adoleſcens, qui viliſſimo pretio fundum emerat, in iudicium vocatus eſt apud magiſtratus, et damnatus. Mali quippe exempli viſum eſt, iuuenem lucri ſtudio teneri.

Ib. c. 32.

Alter Lacedaemonius, nomine Timandridas, peregre abiens, domus ſuae ac rei familiaris curam filio reliquit. Reuerſus poſtea, ab eo rem ſuam multo ampliorem factam quum comperiſſet, dixit: *Magnam ab illo*

illo diis, propinquis, amicis, hospitibus ac pauperibus factam esse iniuriam: quae enim in facultatibus, praeter necessaria ad vitam, abundarent, ea in illos esse eroganda.

2. Tamdiu gloria et potentia floruit Lacedaemoniorum respublica, quamdiu apud eam paupertatis amor viguit. Inuictam per quingentos annos praestiterat seuera Lycurgi disciplina: intra annos haud multos diuitiae pessum dedere. Primus Lysander iis, quibus carebat ipse, vitiis patriam infecit, et pecuniae abstinens, eius cupiditatem iniecit ciuibus. Quidquid auri et argenti ex praeda hostili redegerat, non sibi vindicauit, sed Lacedaemonem deferendum curauit, quae antea ferreis tantum nummis vtebatur. Tum vero exortum est inter priuatos studium habendi, et sic interiit pristina eorum virtus, suoque ipsi damno intellexere, quam verum esset, quod olim Lycurgo interroganti Pythia responderat: *Auro et argento inaccessam esse Spartam oportere.* *Ibid. c.* 29. *Plut. in Lycurgo et Sylla.*

3. Quomodo priscorum quoque Romanorum virtus labefactata fuerit, narrant his verbis Sallustius et Paterculus. Vbi labore, atque iustitia respublica creuit, reges magni bello domiti, et populi ingentes vi subacti, Carthago, aemula imperii Romani a stirpe interiit; cuncta maria, terraeque patebant: fortuna saeuire ac miscere omnia coepit. Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, iis otium, diuitiae, optandae aliis, oneri miseriaeque fuere. Non gradu, sed praecipiti cursu a virtute desci- *Sallust. Cat. cap.* 10. *et* 12. *Paterc. l.* 2. *cap.* 1.

tum,

tum, ad vitia transcursum: vetus disciplina deserta; noua inducta: in somnum a vigiliis, ab armis ad voluptates, a negotiis in otium conuersa ciuitas. Primo pecuniae, deinde imperii cupido creuit. Ea quasi materies omnium malorum fuere. Postquam diuitiae honori esse coeperunt, et eas gloria, imperium, potentia sequebatur; hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro maliuolentia duci coepit. Igitur ex diuitiis iuuentutem luxuria atque auaritia cum superbia inuasere.

Sallust. Cat. cap. 11. et 12.

Valer. l. 4. cap. 1.

Nec Africanus quidem posterior nos de se tacere patitur: qui Censor quum lustrum conderet, inque solito sacrificio scriba ex publicis tabulis solemne ei precationis carmen praeiret, quo dii immortales, vt populi Romani res meliores amplioresque facerent, rogabantur: *Satis*, inquit, *bonae ac magnae sunt. Itaque precor, vt eas perpetuo incolumes seruent.* Ac protinus in publicis tabulis carmen ad hunc modum emendari iussit. Qua votorum verecundia deinceps Censores in condendis lustris vsi sunt.

Caput XI.

Vera bona virtus et doctrina.

Seneca de Const. cap. 5.

1. (Vrbem) Megara Demetrius ceperat, cui cognomen Poliorcetes fuit. Ab hoc Stilpon philosophus interrogatus, num quid perdidisset: *Nihil*, inquit, *omnia namque mea mecum sunt.* Atqui et patrimonium eius in praedam cesserat, et filias rapuerat hostis, et patriam. At ille victoriam illi excus-

excussit: et se, vrbe capta, non inuictum tantum, sed indemnem esse testatus est. Habebat enim secum vera bona, in quae non est manus iniectio, (doctrinam scilicet, et virtutem:) at ea, quae dissipata et direpta ferebantur, non iudicabat sua, sed aduentitia, et nutum fortunae sequentia; ideo non vt propria dilexerat. Omnium enim extrinsecus affluentium lubrica et incerta possessio est. Cogita nunc, an huic fur, an calumniator, aut vicinus potens, aut dives aliquis regnum orbae senectutis exercens, facere iniuriam possit, cui bellum et hostis ille, egregiam artem quassandarum vrbium professus, eripere nihil potuit. (Ita) inter micantes vbique gladios et militarem in rapinam tumultum, inter flammas et sanguinem stragemque impulsae ciuitatis, inter fragorem templorum, super deos suos cadentium, vni homini pax fuit.

2. Numquam mehercule ego neque pecu- *Cicero* 1. nias istorum, neque tecta magnifica, ne- *parad. c.* 2. que opes, neque imperia, neque eas, qui- *Valer. l.* 7. bus maxime adstricti sunt, voluptates in *cap.* 2. bonis rebus aut expetendis esse duxi; quippe quum viderem, rebus his circumfluentes ea tamen desiderare maxime, quibus abundarent. Neque enim expletur vnquam, nec satiatur cupiditatis sitis; neque solum ea qui habent, libidine augendi cruciantur, sed etiam amittendi metu. Atque ista omnia, talia videmus, vt etiam improbi habeant, et obsint probis. Quamobrem licet irrideat, si quis vult: plus apud me (sapientem) tamen vera ratio valebit, quam vulgi opi-

opinio. Neque ego vnquam bona perdidisse dicam, si quis pecus aut supellectilem amiserit: neque non saepe laudabo sapientem illum, Biantem, vt opinor, qui numeratur in septem: cuius quum patriam Prienem cepisset hostis, ceterique ita fugerent, vt multa de suis rebus secum asportarent: quum esset admonitus a quodam, vt idem ipse faceret: *Ego vero*, inquit, *facio. Nam omnia mea porto mecum.* Ille haec ludibria fortunae, ne sua quidem putauit. Pectore enim illa gestabat, non humeris: non oculis visenda, sed aestimanda animo: quae domicilio mentis inclusa, nec mortalium, nec deorum manibus labefactari queunt: et vt manentibus praesto sunt, ita fugientes non deserunt.

Plut. de vtil. ex inim.

3. Quidquid auri supra et infra terram est, nullius pretii est, si cum virtute comparetur, inquit Plato. Et viris probis illud Solonis in mente semper habendum, et verbis vsurpandum: *Alii sibi diuitias habeant, nos virtutem.*

Caput XII.

Cauenda est gloriae cupiditas, neque imperia expetenda.

Cicero 1. *Off. c.* 20.

1. Cauenda est gloriae cupiditas: eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio. Nec vero imperia expetenda; ac potius aut non accipienda interdum, aut deponenda nonnunquam.

Corn. Nep. in Timol.

Timoleon, Corinthius: sine dubio magnus omnium iudicio hic vir exstitit. Namque

que huic vni contigit, quod nescio an vlli, vt et patriam, in qua erat natus, oppressam a tyranno liberaret, et a Syracusis, quibus auxilio erat missus, inueteratam seruitutem depelleret: totamque Siciliam, multos annos bello vexatam, a barbarisque oppressam suo aduentu in pristinum restitueret. Quum frater eius Timophanes, dux a Corinthiis delectus, tyrannidem per milites mercenarios occupasset, particepsque regni posset esse; tantum abfuit a societate sceleris, vt antetulerit suorum ciuium libertatem fratris saluti, et patriae parere legibus, quam imperare, satius duxerit. Itaque fratrem tyrannum, saepius frustra oratum, vt ciuibus libertatem restitueret, interficiendum curauit. Hoc praeclarissimum eius facinus non pari modo probatum est ab omnibus. Nonnulli enim laesam ab eo pietatem putabant, et inuidia laudem virtutis obterebant. *c. 1. et Plut. in Timol.*

Missus a Corinthiis ad ferendam opem Syracusanis, incredibili felicitate Dionysium (tyrannum) tota Sicilia depulit: ciuitatibus leges libertatemque reddidit, ex maximo bello tantum otium toti insulae conciliauit, vt hic conditor vrbium earum, non illi, qui initio deduxerant, videretur. Quum tantis esset opibus, vt (Siculis) etiam inuitis imperare posset; tantum autem haberet amorem omnium Siculorum, vt, nullo recusante, regnum obtineret: maluit se diligi, quam metui. Itaque, quum primum potuit, imperium deposuit, et priuatus Syracusis, quod reliquum vitae fuit, vixit. Nullus *Cornel. Nep. Timol. c. 2. et 3.*

honos

honos huic defuit: neque postea Syracusis res vlla gesta est publica, de qua prius sit decretum, quam Timoleontis sententia cognita. Nullius vnquam consilium non modo antelatum, sed ne comparatum quidem est: neque id magis beneuolentia factum est, quam prudentia. Acceptius praestantiusque nihil est tyrannorum depulsoribus, maxime si modesti ipsi, abstinentesque sint.

Aur. Vict. cap. 40.

Liu. 10. c. 13.

2. Romae fama exorta, Etruscos Samnitesque ingentes conscribere exercitus: hic terror, quum illustres viri Consulatum peterent, omnes in Q. Fabium Maximum, primo non petentem, deinde vt inclinata studia vidit, etiam recusantem, conuertit. Acuebat hac moderatione tam iusta (ciuium) studia; quae verecundia legum restinguenda ratus, legem recitari iussit, qua intra decem annos eundem Consulem refici non liceret: (tot vero anni non effluxerant ab vltimo eius consulatu.) Vix prae strepitu audita lex est: tribunique plebis nihil id impedimenti futurum aiebant: se (enim) ad populum laturos, vti legibus solueretur. Et ille quidem in recusando perstabat: *Quid ergo attineret leges ferri*, rogitans, *quibus per eosdem, qui nuliſſent, fraus fieret?* (et querens) *iam regi leges, non regere.* Populus nihilominus suffragia inibat: et vt quaeque intro vocata erat centuria, Consulem haud dubie Fabium dicebat. Tum demum consensu ciuitatis victus, (Consulatum accepit, eique is collega est datus, quem petierat.) Omnes

quae

quae supererant centuriae Q. Fabium, P. Decium Consules dixere.

Idem Fabius Maximus, quum a se quinquies, et a patre, auo, proauo, maioribusque suis saepenumero Consulatum gestum animaduerteret; in comitiis, quibus filius suus summo consensu Consul creabatur, quam potuit constanter cum populo egit, vt vacationem aliquando huius honoris Fabiae genti daret; non quod virtutibus filii diffideret: erat enim illustris: sed ne maximum imperium in vna familia continuaretur. Quid hac moderatione valentius, aut efficacius? quae etiam patrios affectus, qui potentissimi habentur, superauit? *Valer. l. 4. cap. 1.*

3. Fuluius Romam comitiorum caussa arcessitus, quum comitia consulibus rogandis haberet, praerogatiua centuria iuniorum declarauit Consules T. Manlium Torquatum, et T. Otacilium. Manlius, qui praesens erat, gratulandi caussa quum turba coiret, nec dubius esset consensus populi, magna circumfusus turba ad tribunal consulis venit, petitque, vt pauca sua verba audiret, centuriamque, quae tulisset suffragium, reuocari iuberet. Erectis omnibus exspectatione, quidnam postulaturus esset, oculorum valetudinem excusauit. (Dixit:) *Impudentem et gubernatorem, et imperatorem (futurum) esse, qui, quum alienis oculis ei omnia agenda sint, postulet sibi aliorum capita ac fortunas committi.* Proinde si videretur, et redire in suffragium centuriam iuniorum iuberet, et *Liuius l. 26. c. 22.*

memi-

meminisset in consulibus creandis belli, quod in Italia sit, temporumque reipublicae. Vix dum requiescere aures a strepitu et tumultu hostili, quo paucos ante menses adsederint prope moenia Romana. Post haec quum centuria frequens succlamasset, nihil se mutare sententiae, (seque) eosdem Consules dicturos esse; tum Torquatus: *Neque ego vestros*, inquit, *mores Consul ferre potero, neque vos imperium meum. Redite in suffragium, et cogitate, bellum Punicum in Italia, et hostium ducem Annibalem, esse.* Tum centuria et auctoritate mota viri, et admirantium circa fremitu, petit a Consule, vt centuriam seniorum citaret. Velle sese cum maioribus natu colloqui, et auctoritate eorum consules dicere. Ita de tribus consultatione data, senioribus dimissis, iuniores suffragium ineunt, M. Claudium Marcellum, fulgentem tum Sicilia domita, et M. Valerium absentem Consules dixerunt. Auctoritatem praerogatiuae omnes centuriae secutae sunt.

Valer. l. 4. cap. 1. 4. Non defuit maioribus grata mens ad praemia superiori Africano exsoluenda. Siquidem maxima eius merita paribus ornamentis decorare conati sunt. Voluerunt illi statuas in comitio, in rostris, in curia, in ipsa denique Iouis Optimi Maximi cella ponere. Voluerunt imaginem eius, triumphali ornatu indutam, capitolinis puluinaribus applicare. Voluerunt ei continuum per omnes vitae annos Consulatum, perpetuamque dictaturam tribuere. Quorum sibi nullum, neque plebiscito dari, neque senatus con-

consulto decerni patiendo, paene tantum in recusandis honoribus se gessit, quantum gesserat in merendis.

5. Diocletianus apud Nicomediam sponte imperiales fasces relinquens, in propriis agris consenuit. Qui dum ab Herculio atque Galerio ad recipiendum imperium rogaretur; illud tanquam pestem aliquam detestans, in hunc modum respondit: *Vtinam Salonae possetis visere olera, nostris manibus instituta. Profecto nunquam istud tentandum indicaretis.* *Aurel. Vict. Ep. cap. 54.*

6. Fuit incertum, vir melior, an dux, esset Epaminondas. Nam et imperium non sibi semper, sed patriae, quaesiuit, et pecuniae adeo parcus fuit, vt sumtus funeri defuerint. Gloriae quoque non cupidior, quam pecuniae: quippe recusanti omnia imperia ingesta sunt: honoresque ita gessit, vt ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati, videretur. *Iustin. l. 6. cap. 8.*

Caput XIII.

Hoc est regnare, nolle regnare, quum possis. *Seneca 3 benef. c. 37*

1. Quum P. Cornelius Scipio, (praelio victor) se erga Hispanos gessisset perhumaniter; circumfusa inde multitudo Hispanorum et ante deditorum, et pridie captorum, regem eum ingenti consensu appellauit. Tum Scipio, silentio per praeconem facto, *sibi maximum nomen Imperatoris esse,* dixit, *quo se milites sui appellassent: regium nomen alibi mangnum, Romae intolerandum esse; regalem* *Liuius l. 27. cap. 19*

lem animum in se esse. Si id in hominis ingenio ampliſſimum ducerent, tacite iudicarent; vocis vſurpatione abſtinerent, (se orare.) Senſere etiam barbari magnitudinem animi, cuius miraculo nominis alii mortales ſtuperent, id ex tam alto faſtigio aſpernantis.

Plut. in Pyrrho

2. Inter Romanorum legatos, qui ad Pyrrhum de captiuis redimendis, aut commutandis venerant, C. Fabricius fuit. Cuius poſtquam audiuit Pyrrhus magnum eſſe apud Romanos nomen, vt viri boni et bello inſignis, ſed admodum pauperis, eum prae ceteris benigne habuit, contenditque, vt munera atque aurum abs ſe acciperet, in hoſpitii tantum et amicitiae pignus. Cuncta oblata reſpuit Fabricius. Poſtero die quum illum exterrere cuperet Pyrrhus ſubito conſpectu elephantis, cuius ſpeciem nunquam viderat; imperauit ſuis, vt bellua, quae ceteras magnitudine praeſtaret, Fabricio ſecum colloquenti admoueretur a tergo poſt aulaeum. Quod vbi factum eſt; ſigno dato, remotoque aulaeo, repente bellua ſtridorem horrendum emiſit, et proboſcidem ſuper Fabricii caput ſuſpendit minaciter. At ille placide ad belluam conuerſus, ſubriſit, dixitque Pyrrho: *Non me hodie magis commouet tua bellua, quam heri aurum tuum mouit.* Admiratus Pyrrhus Fabricii fortitudinem animi et grauitatem, illum priuatim inuitauit, vt, poſt factam cum Romanis pacem, ſecum vellet viuere: primumque ei inter amicos locum atque etiam imperii partem obtulit. Cui ſubmiſſa voce fertur Fabricius reſpondiſſe: *Hoc tibi, o rex, non*

Florus l. 1. cap. 18.

non expedit. Nam illi ipsi, qui te nunc tantopere colunt ac mirantur, si me cognouerint ac probauerint, magis a me regi, quam a te, volent.

3. Quum Strato, Sidoniae rex, vrbis deditionem Alexandro, animo magis popularium, quam sua sponte feciſſet, regno visus indignus, Hephaestionique permissum, vt quem eo fastigio Sidones digniſſimum arbitrarentur, constitueret regem. Erant Hephaestioni hospites clari inter suos iuuenes, qui facta ipsis potestate regnandi, negauerunt quemquam patrio more in id fastigium recipi posse, nisi regia stirpe ortum. Admiratus Hephaestion magnitudinem animi, spernentis, quod alii per ignes ferrumque peterent: *Vos quidem macti virtute*, inquit, *estote, qui primi intellexistis, quanto maius esset, regnum fastidire, quam accipere. Ceterum, date aliquem regiae stirpis, qui meminerit, a vobis acceptum habere se regnum.* At illi, quum multos imminere tantae spei cernerent, singulis amicorum Alexandri, ob nimiam regni cupiditatem, adulantes; statuunt, neminem esse potiorem, quam Abdolominum quendam, longa quidem cognatione stirpi regiae annexum, sed ob inopiam suburbanum hortum exigua colentem stipe. Causſa ei paupertatis, sicut plerisque, probitas erat: intentusque operi diurno, strepitum armorum, qui totam Asiam concusſerat, non exaudiebat. *Q. Curt. l. 4. c. 1.*

Subito deinde, de quibus ante dictum est,

eum regiae vestis insignibus hortum intrant, quem tum forte, steriles herbas eligens, Abdolominus repurgabat. Tunc rege eo salutato, alter ex his: *Habitus hic*, inquit, *quem cernis in meis manibus, cum isto squalore permutandus tibi est. Ablue corpus illuuie aeternisque sordibus squalidum: cape regis animum, et in eam fortunam, qua dignus es, istam continentiam profer. Et quum in regali solio residebis, vitae necisque omnium ciuium dominus, caue obliuiscaris huius status, in quo accipis regnum, immo hercule, propter quem.*

Somnio similis res Abdolomino videbatur: interdum, satisne sani essent, qui tam proterue sibi illuderent, percontabatur. Sed vt cunctanti squalor ablutus est, et iniecta vestis, purpura auroque distincta, et fides a iurantibus facta; serio iam Rex, iisdem comitantibus, in regiam peruenit. Admitti eum Alexander protinus iussit, diuque contemplatus: *Corporis*, inquit, *habitus famae generis non repugnat. Sed libet scire, inopiam qua patientia tuleris?* Tum ille: *Vtinam*, inquit, *eodem animo regnum pati possim! Hae manus sufficere desiderio meo. Nihil habenti, nihil defuit.* Magnae indolis specimen ex hoc sermone Abdolomini cepit. Itaque non Stratonis modo regiam supellectilem attribui ei iussit, sed pleraque etiam ex Persica praeda. Regionem quoque, vrbi appositam, ditioni eius adiecit. Nec sane quidquam ingenium Alexandri soli-

solidius et constantius habuit, quam admirationem verae laudis et gloriae. *Q. Curt. l. 8. c. 14.*

Caput XIIII.

Gloriae et famae iactura facienda est publicae vtilitatis caussa.

1. Inuenti multi sunt, qui non modo pecuniam, sed vitam etiam profundere pro patria parati essent; iidem gloriae iacturam ne minimam quidem facere vellent, ne republica quidem postulante: vt Callicratidas, qui quum Lacedaemoniorum dux fuisset Peloponnesiaco bello, multaque feciſſet egregie; vertit ad extremum omnia, quum consilio non paruit eorum, qui classem ab Arginussis remouendam, nec cum Atheniensibus dimicandum putabant. Quibus ille respondit: *Lacedaemonios, classe illa amissa, aliam parare posse; se fugere sine suo dedecore non posse.* Quanto Q. Fabius Maximus melius, de quo Ennius: *Cic. 1. Off. c. 24.*

Vnus homo nobis cunctando restituit rem.
Non ponebat enim rumores ante salutem.
Ergo postque, magisque viri nunc gloria claret.

Etenim aduersus Hannibalem, callidum imperatorem, toties victorem, dux a Romanis electus Q. Fabius, nouam de Hannibale victoriam commentus est, non velle pugnare. Hinc illi cognomen nouum, et reipublicae salutare, Cunctator. *Florus l. 2 cap. 6. Liuius l. 22. cap. 12*

Non ignorabat, suam cunctationem Romae infamem esse, seque timidum pro cauto, *Liuius l. c. et cap. 15.*

Th. c. 39. imbellem pro perito belli haberi. At maluit, vt se hostis metueret, quam stulti ciues laudarent. Obstinatus in id, quod videbat patriae saluti futurum esse, eodem consiliorum tenore semper bellum gessit. Q. Minucium, magistrum Equitum, iure imperii aequari Fabio Dictatori iussit populus, verae virtutis malus aestimator. Quam legem omnes, qui Romae aut in castris erant, aequi atque iniqui, praeter ipsum Dictatorem, in contumeliam eius latam esse iudicauerunt. Ipse qua grauitate criminantes se ad multitudinem inimicos tulerat, eadem et populi in se saeuientis iniuriam tulit. Inuictum tam a ciuibus, quam ab hoste animum retinuit, et patriae consulere, etiam famae suae dispendio, non destitit.

Liuius l. 9. *c.* 4. Sed ea caritas patriae est, vt tam ignominia eam, quam morte nostra, si opus sit, seruemus.

Senec. de Const. c. 19. 2. Et honores et iniuriae vulgi in promiscuo habendi sunt: nec his dolendum, nec illis gaudendum. Alioquin multa, timore contumeliarum, aut taedio, necessaria omittemus, et publicis priuatisque officiis, aliquando etiam salutaribus, non occurremus, dum muliebris nos cura angit, aliquid contra animum audiendi: aliquando etiam obirati potentibus, detegemus hunc affectum intemperanti libertate.

Cic. 1. Off. c. 19. Vera et sapiens animi magnitudo, honestum illud, quod maxime natura sequitur, in factis positum, non in gloria, iudicat: principemque se esse mauult, quam videri. Etenim qui ex errore imperitae multitudinis pendet,

det, hic in magnis viris non est habendus. *Liu. l. 22. c. 39.*
Gloriam qui spreuerit, veram habebit.

3. Sunt, qui, quod sentiunt, etiamsi optimum sit, tamen inuidiae metu non audent dicere. Quod genus peccandi vitandum est in rebus vrbanis: et T. Quinctius Capitolinus vitauit. Quum Romae Patrum ac plebis certamina ciuitatem distraherent; Aequi Volscique sustulere animos, et ad ipsa vrbis moenia populabundi accessere. Vnde postquam praedas inulti egere, Tribunis delectum militum impedientibus; T. Quinctus Capitolinus, quartum Consul, populum ad concionem vocauit; eumque grauiter obiurgatum quum libere monuisset, quae agenda essent, haec subiunxit: *His ego gratiora dicta alia esse scio: sed me vera pro gratis loqui, etsi meum ingenium non moneret, necessitas cogit. Vellem equidem vobis placere, Quirites, sed multo malo vos saluos esse, qualicunque erga me animo futuri estis.* *Cicero 1. Off. c. 24.* *Liu. l. 3. c. 68.*

Caput XV.

Mortem ac dolorem contemnere fortis animi est.

1. Fortitudinis munera duo sunt maxima mortis dolorisque contemtio. Vtendum est igitur his, si virtutis compotes, vel potius, si viri volumus esse. *Cicero 2. Tusc. c. 18*

Hoc meditatum ab adolescentia debet esse, mortem vt negligamus: sine qua meditatione, tranquillo esse animo nemo potest. Moriendum enim certe est: et id incertum, an eo ipso die. Qui autem id, quod vitari non *de Senect. c. 20.* *2 Tusc. c. 1*

potest, metuit, is viuere animo quieto nullo modo potest.

P. Syrus v. 901. v. 2 Stultum est, timere, quod vitare non potes.

A morte semper homines tantumdem absumus.

v. 306. Homo vitae commodatus, non donatus est.

Cic. I. Tusc. c. 38. cap. 39. Non deterret sapientem mors, quae propter incertos casus quotidie imminet, propter breuitatem vitae nunquam longe potest abesse. Dedit nobis natura vsuram vitae, tanquam pecuniae, nulla praestituta die. Quid est igitur, quod querare, si repetit, quum vult? ea enim conditione acceperas. Quae vero aetas longa est? aut quid omnino homini longum? Apud Hypanim fluuium, qui ab Europae parte in Pontum influit, Aristoteles ait, bestiolas quasdam nasci, quae vnum diem viuant. Ex his igitur, hora octaua quae mortua est, prouecta aetate mortua est: quae vero occidente sole, decrepita: eo magis, si etiam solstitiali die. Confer nostram longissimam aetatem cum aeternitate; in eadem propemodum breuitate, qua illae bestiolae, reperiemur.

Ib. c. 40. 2. Contemnamus omnes ineptias: (quod enim leuius huic leuitati nomen imponam?) totamque vim bene viuendi in animi robore ac magnitudine, et in omnium rerum humanarum contemtione ac despicientia, et in omni virtute ponamus. Nam nunc quidem cogitationibus mollissimis effeminamur, vt, si ante mors aduentet, quam Chaldaeorum promissa consecuti sumus, spoliati magnis

magnis quibusdam bonis, illusi, destitutique videamur. Quod si exspectando et desiderando, pendemus animis, cruciamur, angimur: proh dii immortales! quam iter illud iucundum esse debet, quo confecto, nulla reliqua cura, nulla sollicitudo futura sit!

Quam me delectat Theramenes! quam elato animo est! Etsi enim flemus, quum legimus, tamen non miserabiliter vir clarus emoritur. Qui quum coniectus in carcerem triginta iussu tyrannorum (Athenienſium) venenum, vt sitiens, obduxisset, reliquum sic e poculo eiecit, vt id resonaret; quo sonitu reddito, arridens, *propino*, inquit, *hoc pulchro Critiae*: qui in eum fuerat (e tyrannis) teterrimus. Graeci enim in conuiuiis solent nominare, cui poculum tradituri sint. Tum seruo publico, qui venenum praebuerat: vide igitur, inquit, vt hoc poculum continuo ad eum (Critiam) perferas. Lusit vir egregius extremo spiritu, quum iam praecordiis conceptam mortem contineret: vereque Critiae mortem est eam auguratus, quae breui consecuta est. *Valer. l. 3. cap. 2.*

Caput XVI.

Non quam diu, sed quam bene vixeris, refert.

1. Nemo tam imperitus est, vt nesciat, sibi quandoque moriendum. Tamen quum prope accesserit, tergiuersatur, tremit, plorat. Nonne tibi videbitur stultissimus omnium, qui fleuerit, quod ante annos mille non vixerat? Aeque stultus est, qui flet, *Sen. Ep. 77.*

quod post annos mille non viuet. Vtrumque tempus alienum est. In hoc punctum coniectus es: quod, vt extendas, quousque extendes? Quid fles? Quid optas? Perdis operam.

Desine fata deûm flecti sperare precando:

Rata et fixa sunt, atque magna et aeterna necessitate ducuntur. Non eris, nec fuisti. Quid fles? Eo ibis, quo omnia eunt.

Ouid. Metamorph. l. 10. v. 32.

Omnia debentur morti: paullumque morati,
Serius aut citius sedem properamus ad vnam.
Tendimus huc omnes: haec est domus vltima nobis.

ad Liv. v. 357. ff.

Fata manent omnes, omnes exspectat auarus
Portitor: et turbae vix satis vna ratis.
Tendimus huc omnes: metam properamus ad vnam:
Omnia sub leges mors vocat atra suas.

P. Syr. v. 399.

Lex vniuersa est, quae iubet nasci et mori.

Seneca ibid.

Ad hanc legem natus es: hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc maioribus, hoc omnibus ante te, hoc omnibus post te. Quantus te populus morituorum sequetur! quantus comitabitur! multa millia hominum et animalium hoc ipso momento, quo tu mori dubitas, animam variis generibus emittunt. Quomodo fabula, sic vita: non quam diu, sed quam bene acta sit, refert.

Cicer. de Senect. c. 19.

Quod cuique temporis ad viuendum datur, eo debet esse contentus. Breue tempus aetatis satis est longum ad bene honesteque viuendum.

Stat

Stat sua cuique dies; breue et irreparabile tempus
Omnibus est vitae: sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus. *Virgil. Aen. 10. v. 467.*

2. Maior pars mortalium de naturae malignitate conqueritur, quod in exiguum aeui gignimur, quod haec tam velociter, tam rapide dati nobis temporis spatia decurrant: adeo vt, exceptis admodum paucis, ceteros in ipso vitae apparatu vita destituat. Verum non exiguum temporis habemus, sed multum perdimus. Satis longa vita et in maximarum rerum consummationem large data est, si tota bene collocaretur. Sed vbi per luxum ac negligentiam defluit, vbi nulli rei bonae impenditur; vltima demum necessitate cogente, quam ire non intelleximus, transisse sentimus. Ita est, non accepimus breuem vitam, sed fecimus, nec inopes eius, sed prodigi sumus. Sicut amplae et regiae opes, vbi ad malum dominum peruenerunt, momento dissipantur; ac quamuis modicae, si bono custodi traditae sunt, vsu crescunt; ita vita, si scias vti, longa est. Ii vero soli vti sciunt, qui *ibid. c. 2.* sapientiae vacant. Non viuere bonum est, sed *Ep. 70.* bene viuere. Itaque non vt diu viuamus curandum est, sed vt bene. Longa est vita, si plena est. Quid illum octoginta anni iuuant *Ep. 93.* per inertiam exacti? Sapienter ac fortiter factis metiamur cuiusque vitam, non tempore. Laudemus itaque et in numero felicium reponamus eum, cui, quantulumcumque temporis contigit, bene collatum est. *Senec. de breu. c. 1.*

Landesbibliothek Oldenburg

Valer. l. 9. cap. 12.

Nam etsi eo bene vti velis, etiam paruum amplissimum efficies, numerum annorum multitudine operum superando.

Senec. Ep. 101.

Excutienda vitae cupido est, discendumque, quam bene viuas referre, non quam diu, saepe autem in hoc esse bene, ne diu.

Caput XVII.

Mortem aequo animo oppetit, qui bene vixit.

Cicero I Tusc. c. 45

1. Profecto mors tum aequissimo animo oppetitur, quum suis se laudibus vita occidens consolari potest. Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectae perfecto functus est munere. Quare, si ipsa ratio minus perficiet, vt mortem negligere possimus: at vita acta perficiet, vt satis superque vixisse videamur.

Cicero I de orat. 54. Quinctil. l. 11. cap. 1. Valer. l. 6. cap. 4.

Imitatus est homo Romanus, et consularis, veterem illum Socratem, qui, quum omnium sapientissimus esset, sanctissimeque vixisset; ita in iudicio capitis pro se ipse dixit, vt non supplex, aut reus, sed magister aut dominus videretur esse iudicum. Quin etiam, quum ei scriptam orationem disertissimus orator Lysias attulisset, demissam et supplicem, imminentique procellae accommodatam: quam ediscceret, vt ea pro se in iudicio vteretur, non inuitus legit, et commode scriptam esse, dixit. *Sed*, inquit, *vt, si mihi calceos Sicyonios attulisses, non vterer, quamuis essent habiles et apti ad pedem, quia non essent viriles: sic illam orationem disertam sibi, et oratoriam videri; fortem et viri-*

virilem non videri. Ex sententia, quum iudicibus daretur, interrogabatur reus, quam quasi aestimationem (sceleris sui) commeruisse se maxime confiteretur: quod, quum interrogatus Socrates esset, respondit: *sese meruisse, vt amplissimis honoribus et praemiis decoraretur, et vt ei victus quotidianus in Prytaneo publice praeberetur.* Qui honos apud Graecos maximus habebatur. Cuius responso sic iudices exarserunt, vt capitis hominem innocentissimum condemnarent. Nuntianti quod eum iudices morte damnassent: *Et illos*, inquit, *natura.* Vxorique cum lacrimis exclamanti: *ergone iniuste morieris? an tu*, respondit, *iuste malles?* *Diog. Laert. in Socr. segm.* 35.

Nec patronum quaesiuit ad iudicium capitis Socrates, nec iudicibus supplex fuit: adhibuitque liberam contumaciam, a magnitudine animi ductam, non a superbia. Et supremo vitae die de hoc ipso multa disseruit, et paucis ante diebus, quum facile posset educi e custodia, et essent, qui promitterent fugam, noluit: remansitque dies triginta in carcere, et in exspectatione mortis, vt duarum rerum grauissimarum hominibus metum demeret, mortis et carceris. Supremo vitae die, quum paene in manu iam mortiferum teneret poculum, locutus ita est, vt non ad mortem trudi, verum in caelum videretur adscendere. Ita enim censebat. itaque disseruit: *Duas esse vias, duplicesque cursus animorum e corpore excedentium. Nam qui se humanis vitiis contaminauissent, et se totos libidinibus dedis-* *Cicero Tusc. l. 1. c.* 29. *Senec. Ep.* 24. *et* 70. *cap.* 30.

sent, quibus coecati velut domesticis vitiis atque flagitiis se inquinauissent, vel republica violanda fraudes inexplicabiles concepissent, iis denium quoddam iter esse, seclusum a concilio deorum. Qui autem se integros castosque seruauissent, quibusque fuissent minima cum corporibus contagio, se seque ab his semper seuocassent, essentque in corporibus humanis vitam imitari deorum: his ad illos, a quibus essent profecti, reditum facile patere.

Diog. Laert. in Aristip. segm. 76. Interrogatus Aristippus, quomodo Socrates diem obiisset? *Vtinam*, inquit, *sic ego.*

Seneca ad Marc. c. 23. Nec vnquam magnis ingeniis cara in corpore mora est: exire atque erumpere gestiunt, aegre has angustias ferunt.

Plutarch. in Phocion. 2. Quum Athenienses in concione et Phocionem, et nonnullos alios, morte damnassent; hi quidem inter amicorum et propinquorum complexus lamentantes eiulantesque trahebantur in carcerem: ille vero eodem animo vultuque ibat, quo quondam publice, accepto exercitus imperio, domum deducebatur: ita, vt grauitatem viri et constantiam mirari nemo satis posset. Hic quum ad mortem duceretur, obuius ei fuit Emphyletus, quo familiariter fuerat vsus. Is quum lacrimans dixisset: *O quam indigna perpeteris Phocion!* Huic ille: *At non inopinata*, inquit: *hunc enim exitum plerique clari viri habuerunt Athenienses.* Inimici praetercurrentes incessebant eum conuiciis, Vnus etiam inspuit in faciem eius. Ibi fama est, Phocionem conuersum ad Archontas, id vnum dixisse: *An nemo huius hominis compescet petulantiam?*

Corn. Nep. in Phoc. c. 4.

Rogan-

Rogante quodam ex amicis, numquid filio suo Phoco mandari vellet? *Maxime*, inquit, *iubeo enim eum populi Atheniensis iniuriarum in me obliuiſci.* Quod mandatum qui non admiratur, is mihi nihil egregium ſapere videtur, inquit Aelianus. *Aelian. V. H. l. 12. c. 49.*

Poſtquam in carcerem ventum eſt, et cicuta teri coepta, Phocionem Nicocle amico fidiſſimo rogante, ſibi vt permitteret priori venenum haurire: *iſta quidem*, inquit, *o Nicocle, moleſta mihi valde et grauis eſt poſtulatio tua, verum quia nihil tibi vnquam denegaui, hoc quoque largiar.* Vbi ceteri venenum biberunt, defecit; negauitque carnifex ſe aliam cicutam triturum, niſi duodecim drachmae ſibi eſſent numeratae. Tum Phocion, arceſſito quodam amico, petiit, vt carnifici illud pecuniae daret: *quoniam ne gratis quidem mori Athenis licebat.*

3. Quum Canius Iulus, vir in primis magnus, cum Caio Caeſare Caligula diu fuiſſet altercatus, abeunti Falaris ille dixit: *Ne forte inepta ſpe tibi blandiaris, duci te iuſſi. Gratias*, inquit, *ago, optime princeps.* Decem medios vsque ad ſupplicium dies ſine vlla ſollicitudine exegit. Veriſimile non eſt, quae vir ille dixerit, quae fecerit, quam in tranquillo fuerit. Ludebat latrunculis, quum centurio agmen perituroruṁ trahens, et illum quoque citari iubet. Vocatus numerauit calculos, et ſodali ſuo: *Vide*, inquit, *ne poſt mortem meam mentiaris, te viciſſe.* Tum centurioni adnuens: *Teſtis*, inquit, *eris, me vno antecedere.* Ecce in media tempeſtate tranquillitas! *Senec. de Tranqu. c. 14.*

4. Eo-

Cicero I. *Tusc. c.* 49.

4. Eorum, qui mortem fortiter oppetierunt, exemplis incitati, mortem tandem vel optare incipiamus, vel certe timere desistamus. Nam si supremus ille dies, non exstinctionem, sed commutationem affert loci; quid optabilius? Itaque, si quid tale acciderit, vt a Deo denuntiatum videatur, vt exeamus e vita; laeti et agentes gratias pareamus, emittique nos e custodia et leuari vinculis arbitremur, vt aut in aeternam, et plane in nostram domum remigremus, aut omni sensu molestiaque careamus. Mortem portum potius paratum nobis et perfugium putemus.

Seneca de Beat. c. 15.

Adscendere illo sola virtus potest: illius gradu cliuus iste frangendus est: illa fortiter stabit, et quidquid euenerit, feret: non patiens tantum, sed etiam volens: omnemque temporum difficultatem, sciet legem esse naturae. Et vt bonus miles feret vulnera, enumerabit cicatrices, et transuerberatus telis, moriens amabit eum, pro quo cadet, imperatorem. Habebit in animo illud vetus praeceptum: *Deum sequere.*

Caput XVIII.

Humatio contemnenda in nobis, non negligenda in nostris.

Cicero I. *Tusc. c.* 43.

1. Quum Socrates de immortalitate animorum disputauisset, et iam moriendi tempus vrgeret, rogatus a Critone, quemadmodum sepeliri vellet: *Multam vero,* in-

inquit, *operam, amici, frustra consumsi. Critoni enim nostro non persuasi, me hinc auolaturum, neque quidquam mei relicturum. Verumtamen, Crito, si me adsequi potueris, aut sicubi nactus eris, vt tibi videbitur, sepelito: sed mihi crede, nemo me vestrum, quum hinc excessero, consequetur.* Durior Diogenes, et id quidem sentiens, sed, vt Cynicus, asperius, proiici se iussit inhumatum. Tum amici: *Volucribusne et feris? Minime vero,* inquit: *Sed bacillum propter me, quo abigam, ponitote. Qui poteris?* illi: *non enim senties. Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit nihil sentienti?*

2. Minabatur Theodoro Philosopho tyrannus mortem, et quidem insepultam. *Habes,* inquit, *cur tibi placeas: hemina sanguinis in tua potestate est. Nam, quod ad sepulturam pertinet: O te inceptum, si putas interesse, supra terram, an infra, putrescam.* Diuinus animus, egressurus hominem, quo receptaculum suum conferatur, ignis illud adurat, an ferae distrahant, an terra contegat, non magis ad se iudicat pertinere, quam secundas ad editum infantem. *Senec. de Tranqu. c. 14.* *Seneca Ep. 92.*

Praeclare Anaxagoras: qui quum Lampsaci moreretur, quaerentibus amicis, vellet-ne Clazomenas in patriam, si quid ei accidisset, auferri? *Nihil necesse est,* inquit: *vndique enim ad inferos tantumdem viae est.* Rogantibus quoque ciuitatis principibus, numquid fieri mandaret? Iussisse ferunt, *Cicero 1. Tusc. cap. 43.* *Diog. Laert. in Anaxagor. segm. 14.*

runt, *vt pueri quotannis, quo mense defecissent*, ludendi copiam haberent. Quod deinde Lampsaci obseruatum.

Cicero 1. *Tusc. c.* 45. 3. De humatione vnum tenendum est, contemnendam in nobis, non negligendam in nostris: ita tamen, vt mortuorum corpora nihil sentire sentiamus. Quantum autem consuetudini, famaeque dandum sit, id curent viui.

Caput XVIIII.

Tollatur fortunae discrimen in morte.

Cicero 2. *de legg. cap.* 25. 1. Maxime e natura est, tolli fortunae discrimen in morte: et vt ceteros sumtus, sic etiam sepulcrorum modum recte requiri. Credo minimam olim istius rei fuisse cupiditatem: alioquin multa exstarent exempla maiorum. Nec haec a sapientissimis legum scriptoribus neglecta sunt. Nam et Athenis iam ille mos a Cecrope, vt aiunt, permansit, hoc ius terra humandi: quam quum proximi iniecerant, obductaque terra erat, frugibus obserebatur, vt sinus et gremium quasi matris mortuo tribueretur, solum autem frugibus expiatum, vt viuis redderetur. Sequebantur epulae, quas inibant parentes coronati: apud quas de mortui laude, quum quid veri erat, praedicatum. Nam mentiri nefas habebatur. Posteaquam, vt scribit Phalereus, sumtuosa fieri funera et lamentabilia coepissent; Solonis lege sublata sunt.

2. Cy-

2. Cyrus morti proximus filiis mandauit, vt, postquam obiisset, corpus suum neque auro, neque argento, neque vlla alia re pretiosa conderent, sed terrae quamprimum redderent. *Xenoph. Cyrop. l. 8.*

Alexander Asiae fines vltimos victor peragrans, sepulcrum Cyri regis iussit aperiri, in quo erat conditum eius corpus, cui dare volebat inferias. Auro argentoque repletum esse crediderat: quippe ita fama Persae vulgauerant. Sed praeter clipeum eius putrem, et arcus duos Scythicos, et acinacem, nihil reperit. Ceterum corona aurea imposita, amiculo, cui adsueuerat ipse, (Alexander) solium, in quo corpus iacebat, velauit, miratus *tanti nominis regem, tantis praeditum opibus, haud pretiosius sepultum esse, quam si fuisset e plebe.* *Q. Curt. l. 10. c. 1.*

2. Babyloniorum regina Nitocris, supra portam vrbis celeberrimam, loco edito et conspicuo, sepulcrum sibi exstrui iussit, atque his verbis inscribi: *Si cui regum, qui post me apud Babylonios imperium obtinebunt, pecuniae inopia fuerit; aperto sepulcro, sumito quantum libuerit. Ne tamen aperito, nisi indiguerit: non enim proderit aperuisse.* Hoc sepulcrum intactum permansit, donec regnum peruenit ad Darium Hystaspis filium: qui reserato monumento, non quidem pecunias, quas sperauerat, inuenit: sed cadauer, et haec verba exarata: *Nisi turpis lucri studiosus esses, et te inexplebilis pecu-* *Herodot. l. 1.*

niae

niae cupiditas teneret, mortuorum sepulcra non violasses.

Diod. Sic. l. 1. 4. Refert Diodorus Siculus, hunc apud veteres Aegyptios morem fuisse, vt mortui regis corpus non ante sepulcro conderetur, quam cuncta eius facta expensa essent. Volenti cuique facultas dabatur defunctum accusandi. Instituebatur iudicium: et, si plura male feciſſe rex coargueretur, carebat sepulcro. Cuius dedecoris timore factum est, vt mnlti pie iusteque imperauerint.

CAPVT XX.

Viro forti fortiter ferendus est dolor.

Cicero 2. *Tusc. c.* 18 1. Inter omnes hoc constat, nec doctos homines solum, sed etiam indoctos, virorum esse fortium, et magnanimorum, et patientium, et humana vincentium, toleranter dolorem pati. Nec vero quisquam fuit, qui eum, qui ita pateretur, non laudandum putaret. Quod ergo et postulatur a fortibus, et laudatur, quum fit, id aut extimescere veniens, aut non ferre praesens, nonne turpe est?

2. *Tusc. c.* 22. *et* 23. In dolore cogitandum nobis est, quid fortitudine, quid magnitudine animi, dignum sit: et maxime prouidendum, ne quid abiecte, ne quid timide, ne quid ignaue, ne quid seruiliter muliebriterue faciamus. Ingemiscere nonnunquam viro concessum est;

est, idque raro: eiulatus, ne mulieri quidem.

2. Ad ferendum dolorem placide et sedate, plurimum proficit, toto pectore, vt dicitur, cogitare, quam id honestum sit. Sumus enim natura studiosissimi appetentissimique honestatis: cuius si quasi lumen aliquod adspexerimus, nihil est, quod, vt eo potiamur, non parati simus et ferre, et perpeti. Et hoc cursu atque impetu animorum ad veram laudem, atque honestatem, illa pericula adeuntur in praeliis, non sentiunt viri fortes in acie vulnera, vel sentiunt, sed mori malunt, quam tantum modo de dignitatis gradu demoueri. Fulgentes gladios hostium videbant Decii, quum in aciem eorum irruebant: his leuabat omnem vulnerum metum nobilitas mortis et gloria. Num tum ingemuisse Epaminondam putas, quum vna cum sanguine vitam effluere sentiret? imperantem enim patriam Lacedaemoniis relinquebat, quam acceperat seruientem. Haec sunt solatia, haec fomenta summorum dolorum. *Ib. c. 24.*

3. Dolor esse videtur acerrimus virtuti aduersarius: is ardentes faces intentat: is fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam se debilitaturum minatur. Huic igitur succumbet virtus? Huic beata sapientis et constantis viri vita cedet? Quam turpe, o dii boni! Pueri Spartiatae non ingemiscunt verberum dolore laniati. Adolescentium greges Lacedaemone vidimus ipsi, inquit Cicero, incredibili contentione certantes pugnis, calcibus, vnguibus, morsu denique, *Cicero 5. Tusc. c. 27*

vt

vt exanimarentur prius, quam se victos fa-terentur. Quae barbaria India vastior aut agrestior? in ea tamen gente primum ii, qui sapientes habentur, nudi aetatem agunt, et Caucasi niues hiemalemque vim perfe-runt sine dolore; quumque ad flammam se applicauerint, sine gemitu aduruntur. Mu-lieres vero in India, quum est cuiusque earum vir mortuus, in certamen iudiciumque ve-niunt, quam plurimum ille dilexerit: plures enim singulis solent esse nuptae. Quae est vi-ctrix, ea laeta, prosequentibus suis, vna cum viro in rogum imponitur: illae victae, moe-stae discedunt. Quanto magis dolorem non formidabit sapientis et constantis viri virtus?

Caput XXI.

Dolorem ferri fortiter posse, multo-rum exemplа docent.

Cicero 2. Tusc. c. 22 Valer. l. 3. cap. 3. Diog. La-ert. in Anax.

1. Vt lubentius dolori obsistere possi-mus; obuersentur animo fortium virorum exempla. Zeno proponatur Eleates, qui perpessus est omnia potius, quam conscios delendae (Nearchi) tyrannidis indicaret. De Anaxarcho Democritio cogitetur, qui quum Cypri in manus Nicocreontis regis incidis-set, nullum genus supplicii deprecatus est, neque recusauit. Coniectus in mortarium saxeum, ibique ferreis malleis contusus: *Tunde*, inquiebat, *Anaxarchi culeum*, (sic corpus vocabat:) *nam Anaxarchum non tundis.* Iubente vero illo ipsius praecidi lin-guam, fama est, praecisam mordicus in eius faciem conspuisse.

2. Ro-

2. Romam obsidebat rex Porsena, sedendoque (propter frumenti inopiam) expugnaturum se vrbem, spem habebat: quum C. Mucius, adolescens nobilis, cui indignum videbatur, populum Romanum seruientem, quum sub regibus esset, nullo bello, nec ab hostibus vllis obsessum esse; liberum eundem populum ab iisdem Etruscis obsideri, quorum saepe exercitus fuderit: itaque magno audacique aliquo facinore eam indignitatem vindicandam ratus, primo sua sponte penetrare in hostium castra constituit: dein metuens, ne si Consulum iniussu, et ignaris omnibus iret, forte deprehensus a custodibus Romanis retraheretur vt transfuga, fortuna tum vrbis crimen affirmante, Senatum adiit: *Transire Tiberim*, inquit, *Patres, et intrare, si possim, castra hostium volo: non (futurus) praedo, nec populationum inuicem vltor. Maius, si dii iuuant, in animo est facinus.* Approbant Patres: abdito intra vestem ferro, proficiscitur. Vbi eo (in hostium castra) venit, in confertissima turba prope regium tribunal constitit. Ibi quum stipendium forte militibus daretur, et scriba cum rege sedens pari fere ornatu multa ageret, eum milites vulgo adirent: timens (Mucius) sciscitari, vter (eorum, qui sedebant) *Porsena esset*, ne ignorando regem semet ipse aperiret, quis esset, quo temere traxit fortuna facinus, scribam pro rege obtruncat. *Liuius l. 2 cap. 12.*

Vadentem inde, qua per trepidam turbam cruento mucrone sibi ipse fecerat viam, quum

quum concursu ad clamorem facto, comprehensum regii satellites retraxissent, ante tribunal regis destitutus, tum quoque inter tantas fortunae minas, metuendus magis, quam metuens: *Romanus sum*, inquit, *ciuis: C. Mucium vocant. Hostis hostem occidere volui, nec ad mortem (ferendam) minus animi est, quam fuit ad caedem (patrandam.) Et facere et pati fortia, Romanum est. Nec vnus in te ego hos animos gessi: longus post me ordo est idem petentium decus. Proinde in hoc discrimen, si iuuat, accingere, vt in singulas horas capite dimices tuo: ferrum hostemque in vestibulo habeas regiae. Hoc tibi iuuentus Romana indicimus bellum. Nullam aciem, nullum praelium timueris, vni tibi, et cum singulis, res erit.* Quum rex, simul ira infensus, periculoque conterritus, circumdari ignes minitabundus iuberet, nisi expromeret propere, quas insidiarum sibi minas per ambages iaceret: *En tibi*, inquit (Mucius,) *vt sentias, quam vile corpus sit iis, qui magnam gloriam vident.* Dextramque accenso ad sacrificium foculo iniicit. Quam quum velut alienato ab sensu torreret animo; prope attonitus miraculo rex, quum ab sede sua prosiluisset, amouerique ab altaribus iuuenem iussisset: *Tu vero abi*, inquit, *in te magis, quam in me, hostilia ausus. Iuberem macte virtute esse, si pro mea patria ista virtus staret. Nunc iure belli liberum te, intactum inuiolatumque hinc dimitto.* Tum Mucius quasi remunerans meritum: *Quandoquidem*, inquit, *est apud te virtuti honos, vt beneficio tuleris*

a me

a me, quod minis nequisti: trecenti coniuranimus principes iuuentutis Romanae, vt in te hac via grassaremur. Mea prima sors fuit: ceteri, vt cuique ceciderit primo, quoad te opportunum fortuna dederit, suo quisque tempore aderunt. Mucium dimissum, cui postea Scaeuolae a clade dextrae manus cognomen inditum, legati a Porsena Romam secuti sunt. Adeo mouerat eum primi periculi casus, vt pacis conditiones vltro ferret Romanis. *ibid. c. 13*

Quum peteret regem decepta satellite dextra, *Mart ial. l. Epigr. 22.*
Iniecit sacris se peritura focis.
Sed tam saeua pius miracula non tulit hostis,
Et raptum flammis iussit abire virum.
Vrere quam potuit contemto Mucius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.
Maior deceptae fama est et gloria dextrae.
Si non peccasset, fecerat illa minus.

Vetusto Macedoniae more, regi Alexandro nobilissimi pueri praesto erant sacrificanti. E quibus vnus, turibulo accepto, ante ipsum adstitit, in cuius brachium ardens carbo delapsus est; quo etsi ita adurebatur, vt adusti corporis eius odor ad circumstantium nares peruenirет: tamen et dolorem silentio pressit, et brachium immobile tenuit, ne sacrificium Alexandri, aut excusso turibulo impediret, aut edito gemitu aures regias adspergeret. *Valer. l. 3. cap. 3.*

C. Marius, rusticanus vir, sed plane vir, *Cicero 2.*

quum ei varices in crure secarentur, non sine acri doloris morsu, vetuit se adligari. Nos, si pes condoluit, si dens, ferre non possumus.

ibid. c. 25. 4. Ex Syria decedens, confecto Mithridatico bello, quum Rhodum veniisset Pompeius; nobilissimum Stoicae disciplinae Philosophum, Posidonium, cupiit audire. Sed quum diceretur grauiter tunc aeger esse, quod vehementer eius artus laborarent: voluit saltem visere, quem audire de rebus philosophicis differentem non licebat. Quem vt vidit, et salutauit, honorificisque verbis est prosecutus; moleste se ferre dixit, quod eum non posset audire. At ille: *Tu vero*, inquit, *potes: nec committam, vt dolor corporis efficiat, vt frustra tantus vir ad me venerit.* Itaque cubans, grauiter et copiose disputauit de hoc Stoicorum dogmate: *Nihil esse bonum, nisi quod honestum esset.* Quumque quasi faces ei doloris admouerentur, saepe dixit: *Nihil agis dolor: quamuis sis molestus, nunquam te esse confitebor malum.* Illud enim Stoici negabant malum dici posse, quod turpe non esset.

id. 5. de fin. cap. 31. Etsi Peripatetici dolorem dicebant malum esse; de asperitate autem eius fortiter ferenda eadem praecipiebant, quae Stoici. Et quidem Arcesilas, Peripateticus, quum arderet podagrae doloribus, visitassetque hominem Carneades, et tristis exiret; *Mane, quaeso*, inquit, *Carneade noster: nihil illius huc peruenit.* Ostenditque pedes et pectus.

id. 2. Tusc. c. 16. 5. Consuetudo laborum, perpessionem dolorum efficit faciliorem. Ferre laborem, con-

contemnere vulnus, consuetudo docet. Consuetudinis magna vis est. Pernoctant venatores in niue: in montibus vri se patiuntur. Inde pugiles cestibus contusi, ne ingemiscunt quidem. Gladiatores, aut perditi homines aut barbari, quas plagas perferunt? Tantum exercitatio, meditatio, consuetudo valet. Ergo hoc poterit Samnis, spurcus homo, vita illa dignus locoque? Vir natus ad gloriam, vllam partem animi tam mollem habebit, quam non meditatione et ratione corroboret aduersus dolorem? *cap. 17.*

6. Dolorum patientia in omni genere se aequabilem praebeat. Saepe enim multi, qui aut propter victoriae cupiditatem, aut propter gloriae, aut etiam vt ius suum et libertatem tenerent, vulnera exceperunt fortiter et tulerunt, iidem omissa contentione dolorem morbi ferre non possunt. Neque enim illum, quem facile tulerant, ratione aut sapientia tulerant, sed studio potius et gloria. Itaque barbari quidem, et immanes, ferro decertare accerrime possunt: aegrotare viriliter non queunt. Sic Cimbri et Celtiberi in praeliis exsultant, lamentantur in morbo. Nihil enim potest esse aequabile, quod non a certa ratione proficiscatur. *Ibid. c. 17.*

Caput XXII.

Quae dura sunt, fiunt leuiora patientia.

1. Cuiuis dolori remedium est patientia. Miseriarum portus est patientia. Vtrumque infestum est tranquillitati, et nihil *P. Syrus v. 155. Tranq. Seneca de c. 4.*

nihil mutare posse, et nihil pati. Vtique animus ab omnibus externis in se reuocandus est, sibi confidat, se gaudeat, sua suspiciat: recedat, quantum potest, ab alienis. et se sibi applicet, damna non sentiat, etiam aduersa benigne interpretetur. Nuntiato naufragio, Zeno noster, quum omnia sua audiret submersa: *Iubet*, inquit, *me fortuna expeditius philosophari.*

Cic. 1. Tusc. c. 42 Lacaena quaedam, quum filium, quem in praelium miserat, interfectum audisset: *Idcirco*, inquit, *genueram, vt esset, qui pro patria mortem non dubitaret occumbere.*

3. Tusc. cap. 14. Anaxagoram quoque ferunt, nuntiata morte filii, dixisse: *Sciebam, me genuisse mortalem.*

Seneca ad Polyb. c. 29 Quotidie praeter oculos nostros transeunt notorum ignotorumque funera: nos tamen aliud agimus, et subitum id putamus esse, quod nobis tota vita denuntiatur futurum. Non est itaque ista fatorum iniquitas, sed mentis humanae prauitas, insatiabilis rerum omnium, quae indignatur inde se exire, quo admissa est precario. Quanto ille iustior, qui nuntiata filii morte, dignam magno viro vocem emisit? *Ego cum genui, tum moriturum sciui.* Prorsus non mireris, ex hoc natum esse, qui fortiter mori posset. Non accepit tamquam nouum nuntium filii mortem. Quid enim est noui, hominem mori, cuius tota vita nihil aliud, quam ad mortem iter est? Itaque id, quod necesse est, nunquam timeat; quod incertum est, semper exspectet.

cap. 30.

Valer. l. 5. cap. 10. 2. Xenophon, quod ad Socraticam disciplinam attinet, proximus a Platone felicis

ac

ac beatae facundiae gradus, quum solemne sacrum perageret, et e duobus filiis maiorem natu, nomine Gryllum, apud Mantineam in praelio cecidisse cognouit: nec ideo institutum deorum cultum omittendum putauit, sed tantummodo coronam deponere contentus fuit. Quam ipsam, percontatus quonam modo occidisset, vt audiuit, fortissime pugnantem interiisse, capiti reposuit; numina, quibus sacrificabat, testatus, maiorem se ex virtute filii voluptatem, quam ex morte amaritudinem sentire. Alius remouisset hostiam, abiecisset altaria, lacrimis respersa tura disiecisset. Xenophontis corpus religioni immobile stetit, et animus in consilio prudentiae stabilis mansit. Nam dolori succumbere, ipsa clade, quae nuntiata erat, tristius duxit.

3. Aemilius Paullus, nunc felicissimi, nunc miserrimi patris clarissima repraesentatio, ex quatuor filiis insignis formae et egregiae indolis, duos iure adoptionis in Corneliam Fabiamque gentem translatos, sibi ipsi denegauit: duos ei fortuna abstulit: quorum alter triumphum patris funere suo quartum ante diem praecessit; alter in triumphali curru conspectus post diem tertium exspirauit. Itaque qui ad donandos vsque liberos abundauerat, in orbitate subito destitutus est. Quem casum quo robore animi sustinuerit, oratione, quam de rebus a se gestis apud populum habuit, hanc adiiciendo clausulam, nulli ambiguum reliquit. *Quum in maximo prouentu felicitatis vestrae, Quirites, timerem, ne quid mali fortuna moliretur: Iouem Opt. Max. Iu-*

Valer. l. c. Liuius l. 45. c. 41.

nonemque reginam, et Mineruam precatus sum, vt, si quid aduersi populo Romano immineret, totum in meam domum conuerteretur. Quapropter bene se res habet: adnuendo enim votis meis, id egerunt, vt vos potius meum casum doleatis, quam ego vestro ingemiscerem.

CAPVT XXIII.

Aliorum respice incommoda, vt mitius ferat tua.

Valer. l. 7. cap. 2.

1. Quum ex amicis quendam grauiter moerentem videret Solon, in arcem (Athenarum) perduxit, hortatusque est, vt per omnes subiectorum aedificiorum partes oculos circumferret. Quod vt factum animaduertit: *Cogita nunc tecum*, inquit, *quam multi luctus sub his tectis et olim fuerint, hodieque versentur, insequentibusque saeculis sint habitaturi: ac mitte mortalium incommoda tanquam propria deflere. Qua consolatione demonstrauit, vrbes esse humanarum cladium consepta miseranda.*

Idem Solon aiebat: *Si in vnum locum cuncti mala sua contulissent; futurum, vt propria deportare domum, quam ex eo communi miseriarum acerno, portionem suam ferre mallent.* Vnde colligebat, non oportere nos, quae fortuito patimur, ea magis intolerabilia iudicare, quam quae alii patiuntur.

Ciceroni, mortem Tulliae filiae insolabiliter lugenti, cum multa alia, tum haec *Cic. ad Diuers. l. 4. Ep. 5.* scripsit Seruius Sulpicius. Quae res mihi non mediocrem consolationem attulit, volo tibi commemorare: si forte eadem res

tibi

tibi minuere dolorem possit. Ex Asia rediens, quum ab Aegina Megaram versus nauigarem, coepi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Aegina, ante Megara, dextra Piraeeus, sinistra Corinthus. Quae oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata et diruta ante oculos iacent. Coepi egomet mecum sic cogitare: *Hem, nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit, aut occisus est, quorum vita breuior esse debet, quum vno loco tot oppidûm cadauera proiecta iaceant? Visne tu te, Serui, cohibere, et meminisse, hominem te esse natum?* Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus. Hoc idem, si tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas. Modo vno tempore tot clarissimi viri interierunt: de imperio praeterea tanta deminutio facta est: omnes prouinciae conquassatae sunt. In vnius mulierculae animula si iactura facta est, tanto opere commoueris? Quae si hoc tempore non suum diem obiisset, paucis post annis tamen ei moriendum fuit: quoniam homo nata fuerat.

Noli te obliuisci Ciceronem esse, et eum, qui aliis consueris praecipere, et dare consilium: neque imitare malos medicos, qui in alienis morbis profitentur se tenere medicinae scientiam, ipsi se curare non possunt: sed potius, quae aliis tute praecipere soles, ea tute tibi subiice, atque apud animum propone.

Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat ac molliat. Hoc te ex-

spectare tempus, tibi turpe est, ac non ei rei sapientia tua te occurrere. Vidimus aliquoties secundam pulcherrime te ferre fortunam, magnamque ex ea re te laudem adipisci: sic aliquando intelligamus, aduersam quoque te aeque ferre posse; neque id maius, quam debeat, tibi onus videri: ne ex omnibus virtutibus haec vna tibi videatur deesse.

Caput XXIIII.

Ira furor breuis est.

Horat. 1. 1. Ep. 2. v. 62. Cic. Off. c. 20.

1. Vacandum est omni animi perturbatione, tum cupiditate, et metu, tum etiam aegritudine, et voluptate animi, et iracundia: vt tranquillitas et securitas adsit, quae affert cum constantiam, tum etiam dignitatem.

Seneca de ira l. 1. c. 1

Quidam itaque e sapientibus viris iram dixerunt breuem insaniam. Aeque enim impotens sui est, decoris oblita, necessitudinum immemor, in (id) quod coepit partinax et intenta, ratione consiliisque praecluſa, vanis agitata causſis, ad dispectum aequi verique inhabilis, ruinis simillima, quae super id, quod oppressere, franguntur. Vt autem scias, non esse sanos, quos ita possedit, ipsum illorum habitum intuere. Nam vt furentium certa indicia sunt, audax et minax vultus, tristis frons, torua facies, citatus gradus, inquietae manus, color versus, crebra et vehementius acta suspiria: ita irascentium eadem signa sunt. Flagrant et micant oculi, multus ore toto rubor, exaestuante ab imis praecordiis sanguine; labia quatiun-

tiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus ac ſtridens, articulorum ſeipſos torquentium ſonus, gemitus mugitusque, et parum explanatis vocibus ſermo praeruptus, et complosae ſaepius manus, et pulſata humus pedibus, et totum concitum corpus, magnasque minas agens, foeda viſu et horrenda facies deprauantium ſe, atque intumeſcentium. Non eſt vllius affectus facies turbatior. Pulcherrima ora foedauit, toruos vultus ex tranquilliſſimis reddidit. Liquit decor omnis iratos: et ſiue amictus illius compoſitus ſit ad legem, attrahet veſtem, omnemque curam ſui effunder. Si capillorum, natura vel arte iacentium, non informis eſt habitus; quum animo inhorreſcunt, tumeſcunt venae, concutitur crebro ſpiritu pectus, rabida vocis eruptio colla diſtendit. Tunc artus trepidi, inquietae manus, totius corporis fluctuatio. Vt de ceteris dubium ſit, nulli certe affectui peior eſt vultus, quem in prioribus libris deſcripſimus, aſperum et acrem, et nunc ſubito retrorſum ſanguine fugato, pallentem, nunc in os omni calore ac ſpiritu verſo, ſubrubicundum, et ſimilem cruento, venis tumentibus, oculis nunc trepidis et exſilientibus, nunc in vno obtutu defixis et haerentibus. Adiice dentium inter ſe arietatorum, et aliquem eſſe cupientium, non alium ſonum, quam eſt apris, tela ſua attritu acuentibus. Adiice articulorum crepitum, quum ſe ipſae manus frangunt, et pulſatum ſaepius pectus, anhelitus crebros, tractosque altius gemi-

l.2. c.35.

l.3. c.4.

tus, instabile corpus, incerta verba subitis exclamationibus, trementia labra, interdumque compressa, et dirum quiddam exsibilan-
ib. l. 1. c. 1. tia. Nescias, vtrum magis detestabile vitium sit, an deforme. Cetera licet abscondere, et in abdito alere: ira se profert, et in faciem exit: quantoque maior est, hoc efferuescit manifestius.

ib. l. 1, c. 2. Iam vero si effectus eius damnaque intueri velis, nulla pestis humano generi pluris stetit. Videbis caedes ac venena, et reorum mutuas sordes, et vrbium clades, et totarum exitia gentium, et principum sub ciuili hasta capita venalia, et subiectas tectis faces, nec intra moenia coërcitos ignes, sed ingentia spatia regionum hostili flamma relucentia. Adspice nobilissimarum ciuitatum fundamenta vix notabilia: has ira deiecit. Adspice solitudines, per multa millia sine habitatione deserras: has ira exhausit. Adspice tot memoriae proditos duces, mali exempla fati: alium ira in cubili suo confodit; alium inter sacra mensae ira percussit; alium inter leges celebrisque spectaculum fori lancinauit: alium filii patricidio dare sanguinem iussit; alium seruili manu regalem aperire iugulum; alium in cruces membra diuidere.

A. Gellius l. 1. c. 26. 2. Plutarchus, vir doctissimus et prudentissimus, seruo suo, nequam homini et contumaci, sed libris disputationibusque philosophiae aures imburas habenti, tunicam detrahi ob nescio quod delictum, caedique eum loro iussit. Coeperat verberari: obloquebatur, *non meruisse, vt vapulet; nihil*

mali

mali, nihil sceleris admisisse. Postremo vociferari inter vapulandum incipit: neque iam querimonias aut gemitus, eiulatusque facere, sed verba seria et obiurgatoria: *Non ita esse Plutarchum, vt deceret: Philosophum irasci turpe esse: saepe eum de malo irae dissertauisse; librum quoque* περὶ ἀοργησίας *pulcherrimum conscripsisse. His omnibus, quae in eo libro scripta sint, nequaquam conuenire, quod prouolutus effususque in iram, plurimis se plagis multaret:* Tum Plutarchus lente et leniter: *quid autem,* inquit, *verbero; nunc ego tibi irasci videor? Ex vultune meo, an ex voce, an ex colore, an etiam ex verbis correptum esse me ira, intelligis? Mihi quidem neque oculi, opinor, truces sunt, neque os turbidum: neque immaniter clamo: neque in spumam ruboremue efferuesco, neque pudenda dico, aut poenitenda: neque omnino trepido ira et gestio. Haec enim omnia, si ignoras, signa esse irarum solent.* Et simul ad eum, qui caedebat conuersus: *interim,* inquit, *dum ego atque hic disputamus, hoc tu age.*

CAPVT XXV.

Nil minus, quam irasci, punientem decet.

Seneca 1. l. de ira c. 15.

1. Prohibenda maxime est ira, in puniendo. Nunquam enim, iratus qui accedet ad poenam, mediocritatem illam tenebit, quae est inter nimium et parum. *Cicero 1. Offic. c. 25.*

Corrigendus est, qui peccat, et admonitione, et vi, et molliter, et aspere, melior- *Seneca l. 1 de ira c. 15*

que tam sibi, quam aliis faciendus, non sine castigatione, sed sine ira. Quid enim est, cur oderim eum, cui tum maxime prosum, quum illum sibi eripio? Eo magis ad emendationem poena proficit, si iudicio lata est. Inde est, quod Socrates seruo ait: *Caederem te, nisi irascerer.* Admonitionem serui in tempus sanius distulit: illo tempore se admonuit. Cuius erit temperatus affectus, quum Socrates non sit ausus se irae committere? Ergo ad coercitionem errantium, sceleratorumque, irato castigatore non opus est. Non quum ira delictum animi sit; non oportet peccata corrigere peccantem. Ex quo illud laudatur Achytae: qui quum villico factus esset iratior: *Quo te modo,* inquit, *accepissem, nisi iratus essem?* Maluit impunitum eum dimittere, quam propter iram grauius iusto punire.

Cicero 4. Tusc. c. 36.
Valer. l. 4. cap. 1.

Senec. 3. l. de ira c. 12.

2. Maximum remedium irae, dilatio est: vt primus eius feruor relangueſcat, et caligo, quae premit mentem, aut residat, aut minus densa sit. Quaedam ex his, quae te praecipitem ferebant, hora, non tantum dies, molliet: quaedam ex toto euanescent. Si in hoc erit petita aduocatio, apparebit iam, iudicium esse, non iram. Quidquid voles quale sit scire, tempori trade; nihil diligenter in fluctu cernitur. Non potuit impetrare Plato a se tempus, quum seruo suo irascceretur, sed ponere illum statim tunicam, et praebere scapulas verberibus iussit, sua manu ipse percussurus. Postquam intellexit, irasci se, sicut sustulerat, manum suspensam detinebat, et stabat percussuro similis. Interrogatus

gatus deinde ab amico, qui forte interuenerat, quid ageret? *Exigo*, inquit, *poenas ab homine iracundo.* Velut stupens, gestum illum saeuituri deformem sapienti viro seruabat, oblitus iam serui: quia alium, quem potius castigaret; inuenerat. Itaque abstulit sibi in suos potestatem, et ob peccatum quoddam commotior: *Tu*, inquit, *Speusippe, seruulum istum verberibus obiurga: nam ego irascor.* Ob hoc non cecidit, propter quod alius cecidisset. Irascor, inquit: plus faciam, quam oportet: libentius faciam. Non sit iste seruus in eius potestate, qui in sua non est.

3. Theodosius irasci rebus indignis, sed flecti cito solebat: vnde modica dilatione emolliebantur aliquando seuera praecepta; habuitque a naturae munere, quod Augustus a philosophiae doctore (Athenodoro,) qui quum vidisset, eum facile commoueri; ne asperum aliquid statueret, monuit, vt, vbi irasci coepisset, quatuor atque viginti Graecas litteras memoria recenseret: vt illa concitatio, quae momenti est, mente alio traducta, parui temporis interiectu langueseeret. *A. Vict. Ep. in Theod. cap. 76.*

Caput XXVI.

Ne inimicis quidem irascendum.

1. Non audiendi, qui grauiter irascendum inimicis putabunt, idque magnanimi et fortis viri esse censebunt. Nihil enim laudabilius, nihil magno et praeclaro viro dignius placabilitate atque clementia. *Cicero 1. Offic. c. 25.*

Zaleuci legibus interdictum erat, ne quis ciuis *Diod. Sic. l. 12.*

ciuis diuturnam aduersus ciuem iram et inimicitiam gereret. Si qui essent irae peruicacioris, eos pro indomitis, et feris, et agrestis inhumanique ingenii viris habendos sanxerat.

Sueton. in Tito c. 9.

2. Titus imperator, nec auctor cuiusquam necis, nec conscius, quamuis interdum (grauiter) vlciscendi caussa non deesset: sed *perituram se potius, quam perditurum*, adiurans. Quum amplissimi ordinis duo aduersus eum coniurassent, neque abnuere cogitatum scelus quirent; monuit, vt desisterent ab incepto: si quid desiderarent, promisit se tributurum: cursores suos confestim misit ad matrem alterius, vt ei anxiae de vita filii nuntiarent, illum saluum: vtrumque epulis secum accumbere voluit, et in eadem familiaritae, qua antea, habere non destitit.

Aur. Vict. Ep. c. 21. Eutrop. l. 7. cap. 41.

S. Chrys. 10. hom. ad Ant.

Quum Constantini imperatoris statuam lapidibus impetere ausi essent nonnulli ex eius inimicis; ipsum amici hortabantur ad supplicium sumendum de contumeliae auctoribus, a quibus faciem eius deturpatam et conuulneratam dicebant. Verum ille quum et vultum, et caput suum, contrectasset: *At ego*, inquit leniter ridens, *nullum in ore ac fronte vulnus inuenio, sed omnia illaesa et sana.*

Caput XXVII.

Ira sui impotens est et pertinax.

Seneca l. 1. de ira cap. 16.

1. Ira sibi indulget, ex libidine iudicat, et audire non vult, et patrocinio non relinquit locum,

locum, et ea tenet, quae inuasit, et eripi sibi iudicium suum, etiamsi prauum est, non sinit. Saepe infesta patrono, reum damnat: etiamsi ingeritur oculis veritas, amat et tuetur errorem: coargui non vult, et in male coeptis, honestior illi pertinacia videtur, quam poenitentia. Cn. Piso fuit memoria nostra vir a multis vitiis integer, sed prauus, et cui placebat pro constantia rigor. Is quum iratus (ad mortem) duci iussisset eum, qui ex commeatu sine commilitone redierat, quasi interfecisset, quem non exhibebat, roganti tempus aliquod ad conquirendum, non dedit. Damnatus extra vallum castrorum ductus est, et iam ceruicem porrigebat, quum subito apparuit ille commilito, qui occisus videbatur. Tunc centurio supplicio praepositus, condere gladium speculatorem iubet. Damnatum ad Pisonem reducit, redditurus Pisoni innocentiam. Nam militem fortuna reddiderat. Ingenti concursu deducuntur, complexi alter alterum, cum magno gaudio castrorum, commilitones. Conscendit tribunal furens Piso, ac iubet duci vtrumque, et eum militem, qui non occiderat, et eum, qui non perierat. Quid hoc indignius? quia vnus innocens apparuerat, duo peribant: Piso adiecit et tertium. Nam ipsum centurionem, qui ipsum damnatum reduxerat, duci iussit. Constituti sunt in eodem illo loco perituri tres, ob vnius innocentiam. O quam solers est iracundia, ad fingendas caussas furoris! *Te*, inquit, *duci* (*haec praefatus*) *iubeo, quia damnatus es: te, quia caussa damnationis commilitoni fuisti: te,*

te, quia iussus occidere, imperatori non paruisti.

P. Syrus p. 267. Fulmen est, vbi cum potestate habitat, iracundia.

Caput XXVIII.

Circumscribenda multis modis ira est.

Senec. l. 3. de ira c. 11. 1. Non expedit omnia videre, omnia audire. Multae nos iniuriae transeunt: ex quibus plerasque non accipit, qui nescit. Non vis esse iracundus? Ne sis curiosus. Qui inquirit, quid in se dictum sit, qui malignos sermones, etiamsi secreto habiti sint, eruit, se ipse inquietat. Quaedam interpretatio eo perducit, vt videantur iniuriae. Itaque alia differenda sunt, alia deridenda, alia donanda. Circumscribenda multis modis ira est. Pleraque in lusum iocumque vertantur. Socratem, aiunt, colapho percussum, nihil amplius dixisse, quam, *molestum esse, quod nescirent homines, quando cum galea prodire deberent.* Alia vice mirantibus amicis, quod a proteruo quodam homine calce impetitus, patienter tulisset: *Quid enim,* inquit, *si me asinus calce impetisset, num illi diem dixissem?* Denique quum ipsum maledictis incessere quidam diceretur; hoc vnum respondit: *Bene,* inquit, *loqui non didicit.*

Diog. Laert. in Socrat. segm. 25. segm. 35.

Plut. in Catone T. I. p. 341. 2. Cato maior prosciissus conuiciis ab homine flagitioso et improbo: *Iniqua,* inquit, *tecum mihi pugna est. Tu enim probra facile audis*

audis, et dicis libenter: mihi vero et dicere insuaue, et audire insolitum.

Arcesilaum Academicum Antagoras poëta probris insectabatur, idque in foro, temere ad eum accedens. At ille magnifice prorsus, vbi quam plurimos homines stare videret, eo adibat, atque cum ipsis colloquebatur, vt conuiciator coram pluribus suam stultitiam proderet. Audientes igitur auertebant sese, et insaniae Antagoram accusabant. *Aelian. I. 14. cap. 26*

Clazomenii quidam Spartam quum venissent: sedes Ephororum, vnde ius dicere consueuerant, nigro colore inunxerunt insolentius. Ephori, re cognita, non in iram exarserunt; sed tantum vocato praecone publico, hoc ei mandarunt, vt publice proclamaret: *Liceat Clazomeniis indecore se gerere.* *Idem l. 2. cap. 15.*

Quo rarior moderatio in regibus, hoc laudanda magis est. C. Iulius Caesar, qui victoria ciuili clementissime vsus est, quum scrinia deprehendisset epistolarum ad Pompeium missarum ab iis, qui videbantur aut in aduersis, aut in neutris fuisse partibus; legere noluit, sed combussit. Quamuis enim moderate soleret irasci; maluit tamen non posse. Gratissimum putauit genus veniae, nescire quid quisque peccasset. *Senec. l. 2. de ira, c. 23. Dio l. 41. Plinius l. 7. cap. 25.*

Fuit Cotys, Thracum rex, natura iracundior, et asper eorum, qui in ministeriis deliquissent, castigator. Quum ei aliquando hospes vasa multa fictilia, quae quidem exquisite elaborata, sed tenuia admodum et fragilia, donum attulisset: ipse vicissim hospiti *Plut. Apophth. T. II. p. 174.*

Landesbibliothek Oldenburg

spiti dedit munera. At vasa omnia statim confregit, *ne*, vt tum dixit, *in eos, qui illa fregissent, asperius animaduerteret.*

Senec. l. 3. de ira c. 11. 3. Non video, quare difficilis sit (irae) moderatio, quum sciam, tyrannorum quoque tumida et fortuna et licentia ingenia, familiarem sibi saeuitiam repressisse. Pisistratum certe, Athenienſium tyrannum, memoriae proditur, quum multa in crudelitatem eius ebrius conuiua dixisset, nec deessent, qui vellent manus ei commodare, et alius hinc, alius illinc faces subderent, placido animo tulisse, et hoc irritantibus respondisse: *Non magis illi (ebrio) se succensere, quam si quis obligatis oculis in se incurrisset.*

Valer. l. 5. cap. 1. Liuii supp. l. 12. c. 24. Tarentini, qui regis Pyrrhi auxilium aduersus Romanos implorauerant, se pro socio dominum accepisse sero intelligentes, sortem suam liberis questibus miserabantur, maxime vbi vino incaluerant. Arcessitos, qui conuiuio interfuerant, percontabatur, an ea, quae ad aures eius peruenerant, dixissent. Tum ex his vnus: *Nisi*, inquit, *vinum nobis defecisset, ista, quae tibi relata sunt, prae iis, quae de te locuturi eramus, lusus ac iocus fuissent.* Tam vrbana crapulae excusatio, tam simplex veritatis confessio, iram regis conuertit in risum.

Senec. l. 3. de ira c. 8. 4. (Homini iracundo) cum placidissimo, et facillimo, et minime anxio morosoque viuendum est, (si irae mederi velis.) Sumuntur a conuersantibus mores: et vt quaedam in contactos corporis vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit.

Ebrio-

Ebriosus conuictores in amorem vini traxit: impudicorum coetus fortem quoque, et siliceum virum emollit: auaritia in proximos virus suum transtulit. Eadem ex diuerso ratio virtutum est, vt omne, quod secum habent, mitigent. Nec tam valetudini profuit vtilis regio et salubrius caelum; quam animis parum firmis, in turba meliorum versari. Retunditur omnis asperitas, paullatimque inter placida dediscitur. Accedit huc, quod non tantum exemplo melior fit, qui cum quietis hominibus viuit, sed quod causas irascendi non inuenit, nec vitium suum exercet. Fugere itaque debebit (iracundus) omnes, quos irritaturos iracundiam sciet. Qui sunt, inquis, isti? multi ex variis causis idem facturi. Offendet te superbus contemtu, diues contumelia, petulans iniuria, liuidus malignitate, pugnax contentione, ventosus et mendax vanitate. Non feres a suspicioso timeri, a pertinace vinci, a delicato fastidiri. Elige simplices, faciles, moderatos, qui iram tuam non euocent, sed ferant.

Caput XXVIIII.

Imitanda multorum in summa potentiâ lenitas.

1. Et tam haec cogitanda sunt exempla, quae vites, quam illa e contrario, quae sequaris, moderata, lenia: quibus nec ad irascendum caussa defuit, nec ad vlciscendum potestas. Quid enim facilius fuit (regi) Antigono, quam duos manipulares (ad supplicium) du-

Seneca l. 3. de ira c. 22.

ci

ci iubere, qui incumbentes regio tabernaculo faciebant, quod homines et periculosissime et libentissime faciunt, de rege suo male existimant? Audierat omnia Antigonus, vtpote quum interdicentes et audientem palla interesset: quam ille leuiter commouit, et: *longius*, inquit, *discedite, ne vos rex audiat*. Idem quadam nocte, quum quosdam ex militibus suis exaudisset, omnia mala imprecantes regi, qui ipsos in illud iter, et inextricabile lutum deduxisset, accessit ad eos, qui maxime laborabant: et quum ignorantes, a quo adiuuarentur, explicuisset: *Nunc*, inquit, *maledicite Antigono, cuius vitio in has miserias incidistis: ei autem bene optate, qui vos ex hac voragine eduxit*. Idem tam miti animo hostium suorum maledicta, quam ciuium tulit. Itaque quum in paruulo quodam castello Graeci obsiderentur, et fiducia loci contemnentes hostem multa in deformitatem Antigoni iocarentur, et nunc staturam humilem, nunc collisum nasum deriderent; *Gaudeo*, inquit, *et aliquid boni spero: in castris meis Silenum habeo*. Quum hos dicaces fame domuisset, captis sic vsus est, vt eos, qui militiae vtiles erant, in cohortes describeret, ceteros praeconi subiiceret: id quoque se negauit facturum fuisse, nisi expediret his dominum habere, qui tam malam haberent linguam. Illorum vero maledicta miti animo tulit.

Aelian. V. H. l. 2. c. 20. Narrant, hunc Antigonum filio suo, violentius aduersus ciues agenti, dixisse: *An non nouisti, fili, nostrum regnum nobilem esse seruitutem?* Quae verba maximae humanitatis

sunt

sunt et mansuetudinis. Rex etiam ille subtilis iudicii, quem ferunt traditum sibi diadema, priusquam capiti imponeret, retentum diu considerasse, ac dixisse: *O nobilem magis, quam felicem, pannum! quem si quis penitus cognoscat, quam multis sollicitudinibus, et periculis, et miseriis sit refertus, ne humi quidem iacentem tollere velit.* Hinc P. Syrus: *Valer. l. 7. cap. 8.*

Fortuna magna, magna domino est seruitus. *v. 251.*

2. Si qua alia in Philippo, (Macedonum rege) virtus, fuit et contumeliarum patientia, ingens instrumentum ad tutelam regni. Demochares ad illum, Parrhesiastes ob nimiam et procacem linguam appellatus, inter alios Athenienssium legatos venerat: audita benigne legatione Philippus: *Dicite*, inquit, *mihi, facere quid possum, quod sit Athenienssibus gratum?* Excepit Demochares: *Te*, inquit, *suspendere.* Indignatio circumstantium ad tam inhumanum responsum exorta est: quos Philippus conticescere iussit, et Thersitem illum saluum incolumemque dimittere: *At vos*, inquit, *ceteri legati, nunciate Athenienssibus, multo superbiores esse, qui ista dicunt, quam qui impune dicta audiunt.* *Seneca l. 3. de ira c. 23.*

Quum Methonam, vrbem, oppugnaret: in praetereuntem de muris sagitta iacta, dextrum eius oculum effodit. Quo vulnere nec segnior in bellum, nec iracundior aduersus hostes factus est: adeo vt interiectis diebus pacem deprecantibus dederit, nec mode- *Iustin. l. 7. cap. 6.*

moderatus tantum, verum etiam mitis aduersus victos fuerit.

Senec. ib. 3. Multa et diuus Augustus digna memoria fecit, dixitque, quibus appareat, illi iram non imperasse. Timagenes, historiarum scriptor, quaedam in ipsum, quaedam in vxorem eius, et in totam domum dixerat, nec perdiderat dicta. Magis enim circumfertur, et in ore hominum est temeraria vrbanitas. Saepe illum monuit Caesar, vt moderatius lingua vteretur: perseueranti, domo sua tantum interdixit.

ib. c. 24. 4. Dicat itaque quisque sibi, quoties lacessitur: Numquid potentior sum Philippo? Illi tamen impune maledictum est. Numquid in domo mea plus possum, quam toto orbe terrarum diuus Augustus potuit? Ille tamen contentus fuit, a conuiciatore suo secedere. Quid est, quare ego serui mei hilarius responsum, et contumaciorem vultum, et non peruenientem vsque ad me murmurationem, flagellis et compedibus expiem? Quis sum, cuius aures laedi nefas sit? Ignouerunt multi hostibus: ego non ignoscam pigris, negligentibus, garrulis? Puerum aetas excuset, feminam sexus, extraneum libertas, domesticum familiaritas. Nunc primum offendit? Cogitemus quamdiu placuerit. Saepe et alias offendit? Feramus, quod diu tulimus. Amicus est? Fecit, quod noluit. Inimicus est? Fecit, quod debuit. Prudentiori cedamus: stultiori remittamus.

CAPVT

CAPVT XXX.

Minimis rebus exasperari, insania est.

1. Nihil, nisi quod in oculos incurret, manifestumque erit, credamus: et quoties suspicio nostra vana apparuerit, obiurgemus credulitatem. Haec enim castigatio consuetudinem efficiet non facile credendi. Inde et illud sequitur, vt minimis sordidisque rebus non exacerbemur. Parum agilis est puer, aut tepidior aqua potui (erogata,) aut turbatus torus, aut mensa negligentius posita? Ad ista concitari, insania est. Aeger et infelicis valetudinis est, quem leuis aura contraxit: affecti oculi, quos candida vestis obturbat: dissolutus deliciis, cuius latus alieno labore condoluit. Vbi animum simul et corpus voluptates corrupere, nihil tolerabile videtur: non quia dura, sed quia molles patimur. Nulla itaque res magis iracundiam alit, quam luxuria intemperans et impatiens: dure tractandus animus est, vt ictum non sentiat, nisi grauem. *Senec. l. 2. de ira, c. 24. cap. 25. cap. 26.*

2. Insania quoque est, aduersus inanima et non sensura irasci.

Quum Babylonem oppugnaturus festinaret Cyrus ad bellum, cuius maxima momenta in occasionibus sunt, Gynden late fusum amnem vado transire tentauit: quod vix tutum est, etiam quum sensit aestatem, et ad minimum deductus est. Ibi vnus ex equis, qui trahere regium currum albi solebant, abreptus, vehementer commouit regem. Iurauit itaque, amnem illum, regiis *Senec. l. 3. de ira cap. 21.*

giis equis meatum auferentem, eo se redacturum, vt transiri calcarique etiam a feminis posset. Huc deinde omnem transtulit belli apparatum, et tamdiu adsedit operi, donec C et LXXX cuniculis diuisum alueum in trecentos et sexaginta riuos dispergeret, et siccum relinqueret in diuersum fluentibus aquis. Periit itaque et tempus, magna in vanis rebus iactura, et militum ardor, quem inutilis labor fregit, et occasio adgrediendi imparatos, dum ille bellum indictum hosti cum flumine gerit.

Herodot. l. 7. Xerxes, vt ex Asia in Europam traiiceret, pontem in Hellesponto fecit. Qui quum tempestate et fluctibus esset quassatus, ac disiectus; iussit trecentos flagellorum ictus ponto infligi, stigmata inuri, compedes dari.

Caput XXXI.

Lingua diligentissime continenda.

Cicero 1. Offic. cap. 38. 1. Rectum est, etiam in illis contentionibus, quae cum inimicissimis fiunt, etiamsi nobis indigna audiamus, tamen grauitatem retinere, iracundiam repellere. Quae enim cum aliqua perturbatione fiunt, nec constanter fieri possunt, nec ab iis, qui adsunt, possunt probari.

Plut. in Pericle Tom. I. p 154. Periclem in foro publica negotia tractantem improbus et petulans homo maledictis insectabatur. Quae quum ille patienter ferret, nec vllum ad ea verbum reponeret; diem totum perseuerauit insectatio. Vesperi vultu gressuque placido domum reuersus est Pericles, insequente eodem nebulone, et omni-

omnibus contumeliis eum impetente. Aedes ingressurus, quum iam nox esset, vni e seruis suis mandauit, vt accenso lumine hominem comitaretur, ac reduceret domum.

Dionem Academicum, e conuiuio redeuntem, maledicus quidam insectabatur, nulla non conuicia in eum fundens. Tacebat interea Dion: cui iam domum ingressuro quum conuiciator dixisset: *Nihilne ad haec respondes? Nihil prorsus*, inquit Dion. *Stob. serm.* 19.

Quum Lacedaemoniorum legatus Geloni, Syracusanorum regi, quaedam dixisset, quibus offendi posse videbatur: *Spartane hospes*, inquit Gelon,, *contumeliae homini factae solent eius iram accendere. Verum tu, contumeliosis liect in me verbis sis inuectus, non tamen induces me ad vicem tibi contra decus reddendam.* *Herod. l.* 7

2. Magni animi mansuetique est, moderate ferre obiecta crimina, et contemtum: non celeriter rapi in vltionem, nec facile moueri ad iram; sed moribus comem esse mitemque; ingenio quieto et constanti. *Stob. serm.* 19.

Illud te admoneo, dicebat olim Cicero fratri suo, viro iracundiori, vt te ante compares, quotidieque meditere, resistendum esse iracundiae; quumque ea maxime animum moueat, tum tibi esse diligentissime linguam continendam. Quae quidem mihi virtus non interdum minor videtur, quam omnino non irasci. Nam illud non solum est grauitatis, sed nonnunquam etiam lentitudinis. Moderari vero et animo, et orationi, quum sis iratus, aut etiam tacere, et te- *Cicero* 1. *Ep. ad Q. fratr. c.* 13

nere in sua potestate motum animi, et dolorem, etsi non est perfectae sapientiae, tamen est non mediocris ingenii.

Valer. l. 6. cap. 2. Inserit se tantis viris mulier alienigeni sanguinis: quae a Philippo, rege temulento, immerenter damnata: Prouocarem, inquit, ad Philippum, sed sobrium. Excussit crapulam oscitanti, ac praesentia animi ebrium resipiscere caussaque diligentius inspecta, iustiorem, sententiam ferre coëgit. Igitur aequitatem, quam impetrare non potuerat, extorsit, ac praesidium potius a libertate, quam ab innocentia mutuauit.

CAPVT XXXII.

Cicero I. Off. c. 26. ***Quanto superiores sumus, tanto nos submissius geramus.***

ibid. 1. In rebus prosperis, et ad voluntatem nostram fluentibus, superbiam, fastidium, arrogantiamque magnopere fugiamus. Nam vt aduersas res, sic secundas, immoderate ferre, leuitatis est: praeclaraque est aequabilitas in omni vita, et idem semper vultus, eademque frons, vt de Socrate, item de C. Laelio accepimus. Philippum quidem, Macedonum regem, rebus gestis et gloria superatum a filio, facilitate et humanitate video superiorem fu-
Iustin. l. 9. cap. 4. isse. Ingenti clade apud Chaeroneam Athe-
Aelian. l. 8. cap. 15. nienses ac Thebanos affecerat Philippus, et magnos propter tam claram victoriam animos gerere posse videbatur. Verum ille, quo die parta est victoria, non solita sacra fecit, non in conuiuio risit, non ludos inter epulas adhibuit, non coronas aut vnguenta sumsit:

sit: et quantum in illo fuit, ita vicit, vt victorem nemo sentiret: sed nec regem se Graeciae, sed ducem appellari iussit. Atque ita inter tacitam laetitiam, et dolorem hostium temperauit, vt neque apud suos exsultasse, neque apud victos insultasse videretur. Athenienſibus, quos passus infestissimos fuerat, et captiuos gratis remisit, et bello consumtorum corpora sepulturae reddidit, reliquiasque funerum, vt ad sepulcra maiorum deferrent, vltro hortatus est. Denique adeo nihil superbe, nihil insolenter egit, vt voluerit sibi deinceps ab vno ex seruis suis, singulis diebus mane in memoriam reuocari, se hominem esse. Itaque nec foras ipse prodibat, nec ad eum quisquam mane prius intrabat, quam puer ei ter acclamasset: *Philippe, homo es.*

2. Quam dispar Philippo, patri, Alexander fuit! Superato Dario, Persarum rege, Iouis filium non dici tantum se, sed etiam credi volebat, tanquam perinde animis imperare posset, ac linguis. Itaque more Persarum Macedonas venerabundos ipsum salutare prosternentes humi corpora. Scripsit quoque Graeciae populis, vt se deum esse publicis edictis confiterentur. Aliis alia in eius honorem decernentibus, Lacedaemonii huiusmodi decretum fecerunt: *Quoniam Alexander deus esse vult, esto deus.* Laconica libertate et breuitate redarguentes vecordiam Alexandri. *Q. Curtius, l. 8. c. 5.* *Aelianus V. H. l. 2. c. 19.*

3. Quum solitus esset Epaminondas, vncto corpore hilarique vultu prodire in publicum; postridie eius diei, quo feliciter pugna- *Plutarch. Apophth. T. II. p. 193.*

gnatum erat in Leuctris, processit squalidus, et tristis. Scisscitantibus igitur amicis, ecquid illi molesti accidisset? *Nihil*, inquit, *sed heri sensi, me animo fuisse, quam par sit, elatiore. Quocirca hesternae laetitiae intemperantiam hodierna tristitia castigo.*

Liuius l. 45. *cap.* 8

4. Postquam victum, et ad pedes suos submittentem se, regem Perseum consolatus est victor Paullus Aemilius; sermone ad circumstantes Romanos conuerso: *Exemplum insigne cernitis*, inquit, *mutationis rerum humanarum! Vobis hoc praecipue dico, iuuenes. Ideo in secundis rebus nihil in quemquam superbe ac violenter consulere decet, nec praesenti credere fortunae; quum, quid vesper ferat, incertum sit. Is demum vir erit, cuius animum fortuna nec prospera flatu suo efferet, nec aduersa infringet.*

Idem l. 41 *c.* 62.

Modum imponere secundis rebus, nec nimis credere serenitati praesentis fortunae, prudentis hominis, et merito felicis est.

Ibid.

Mos erat Romanis, in aduersis vultum secundae fortunae gerere; moderari animos in secundis.

Iustin. l. 22. *cap.* 1.

5. Agathocles, Siciliae tyrannus, qui magnitudini prioris Dionysii successit, ad regni maiestatem ex humili et sordido genere peruenit. Quippe in Sicilia patre figulo natus, non honestiorem pueritiam, quam principia originis habuit. Postquam rerum potitus est, solebat in mensa pocula fictilia inter aurea ponere, et palam fateri, se quondam eiusmodi poculorum fuisse artificem.

Plutarch. Apoph. Ausonius Epigr. 8.

Longe

Longe alio animo fuit Tiberius. Nam inter initia (principatus) dicenti cuidam: *Meministi?* Antequam plures notas familiaritatis veteris proferret: *Non memini*, inquit, *quid fuerim.* Ab hoc quamdiu repetendum non esset beneficium, optanda erat obliuio. Auersabatur nempe omnium amicorum, et aequalium notitiam, et illam solam praesentem fortunam suam adspici, illam solam cogitari et narrari volebat. Contra Vespasianus mediocritatem pristinam neque dissimulauit vnquam, ac frequenter etiam prae se tulit: quin et conantes quosdam originem Flauii generis ad conditores Reatinos, comitemque Herculis, referre, irrisit vltro. *Seneca l. 5. benef. c. 25.* *Sueton. in Vesp. c. 12.*

Caput XXXIII.

Ne adsentatoribus patefaciamus aures.

1. In secundissimis rebus maxime est vtendum consilio amicorum, hisque maior etiam, quam ante, tribuenda auctoritas. Iisdemque temporibus cauendum est, ne adsentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos sinamus. In quo falli facile est. Tales enim nos tunc esse putamus, vt iure laudemur. Ex quo nascuntur innumerabilia peccata. *Cicero 1. Off. c. 26.*

Nemo nostrum in altum descendit. Summa tantum decerpsimus: et exiguum temporis impendisse philosophiae, satis abundeque occupatis fuit. Illud praecipue impedit, quod cito nobis placemus: si inueni- *Seneca Ep. 59.*

mus, qui nos bonos viros dicat, qui prudentes, qui sanctos, agnoscimus. Nec sumus modica laudatione contenti: quidquid in nos adulatio sine pudore congessit, tanquam debitum prendimus: optimos nos esse, sapientissimos affirmantibus adsentimus, quum sciamus, illos saepe mentiri. Adeoque indulgemus nobis, vt laudari velimus in id, cui contraria quam maxime facimus.

4. Quaest. praeem. A turba, quantum potes, te separa, nec adulatoribus latus praebeas, artifices sunt ad captandos superiores. Habent hoc in se naturale blanditiae, etiam quum reiiciuntur, placent; saepe excluſae, nouissime recipiuntur.

Ep. 123. Quemadmodum qui audierunt symphoniam, ferunt secum in auribus modulationem illam, ac dulcedinem cantus, quae cogitationes impedit, nec ad seria patitur intendi: sic adulatorum et praua laudantium sermo, diutius haeret, quam auditur, nec facile est, animo dulcem sonum excutere. Ideo claudendae sunt aures malis vocibus, et quidem primis.

Q. Curt. l. 8. c. 5. 2. Alexandro caelestes honores concupiscenti, non deerat pernicioſa adulatio, perpetuum malum regum, quorum opes saepius adsentatio, quam hostis, euertit. Nec Macedonum haec erat culpa: nemo enim illorum quidquam ex patrio more labare sustinuit; sed Graecorum, qui professionem honestarum artium malis corruperant moribus. Agis quidam Argiuus, pessimorum carminum post Choerilum conditor, et ex

Sicilia

Sicilia Cleo; hic quidem non ingenii solum, sed etiam nationis vitio adulator; et cetera vrbium suarum purgamenta, quae propinquis etiam, maximorumque exercituum ducibus a rege praeferebantur. Hi tum caelum illi aperiebant; Herculemque, et Patrem Liberum, et cum Polluce Castorem nouo numini cessuros esse iactabant. Quae adulationes Alexandro mire placebant. Etenim

- - - - Nihil est quod credere de se *Iuuenal.*
Non possit, quum laudatur diis aequa *Sat.4.v.70*
potestas.

Admonebat contra Callisthenes, haudquaquam aulae et adsentantium accommodatus ingenio, ne rebus felicissime gestis inuidiam contraheret, adscita dei appellatione. At grauitas viri et promta libertas inuisa erat regi, quasi solus Macedonas paratos ad tale obsequium moraretur: fuitque propterea in eum irae peruicacis. Cuius explendae occasionem vbi inuenit, virum praeditum optimis moribus, indicta caussa, excruciatum necauit. *Curt. l. 8. cap. 6. c. 8.* Quam crudelitatem sera poenitentia secuta est. Certe nullius caedes maiorem apud Philosophos inuidiam Alexandro excitauit. Hinc illa Senecae: Fuit Callistheni nobile ingenium, et furibundi regis impatiens. *l. 6. quaest. c. 23.* Hoc est Alexandri crimen aeternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet. Nam quoties quis dixerit: occidit Persarum multa millia; opponetur: et Callisthenem. Quoties dictum erit: occidit Darium, penes quem tunc magnum regnum erat; oppo-

netur: et Callisthenem. Quoties dictum erit: omnia Oceano tenus vicit, ipsum quoque tentauit nouis classibus, et imperium (e Macedonia) ex angulo Thraciae vsque ad Orientis terminos protulit; dicetur: sed Callisthenem occidit. Omnia licet antiqua ducum regumque exempla transierit, ex his, quae fecit, nihil tam magnum erit, quam scelus Callisthenis.

Q. Curt, l. 3. cap. 2.

3 Darius aduersus Alexandrum in Cilicia pugnaturus, coëgerat vndique paene innumerabilem militum multitudinem. Cuius tum vniuersae adspectu admodum laetus, purpuratis solita vanitate spem eius inflantibus; conuersus ad Charidemum, Athenienſem, belli peritum, et ob exsilium infestum Alexandro (quippe Athenis, iubente eo, fuerat expulsus,) percontari coepit: *Satisne ei videretur instructus ad obterendum hostem?* At ille et suae sortis, et regiae superbiae oblitus: *Illam ex omnibus Orientis partibus excitam hominum multitudinem, purpura, argento, auroque fulgentem, futuram esse imparem Macedonibus: qui paupertate magistra vsi militarem disciplinam didicissent, et non decora arma, sed fortitudinem animi, ad praelium afferrent.* Itaque suasit, vt argentum atque aurum illud, quo eius exercitus frustra fulgeret, in conducendis e gente bellicosa militibus insumeretur.

Erat Dario mite ac tractabile ingenium: nisi suam naturam plerumque fortuna corrumperet. Itaque veritatis impatiens, hospi-

spitem ac supplicem, tunc maxime vtilia suadentem abstrahi iussit ad capitale supplicium. Ille ne tum quidem libertatis oblitus: *Habeo*, inquit, *paratum mortis meae vltorem: expetet poenas mei consilii spreti is ipse, contra quem tibi suasi. Tu quidem licentia regni tam subito mutatus, documentum eris posteris, homines, quum se permisere fortunae, etiam naturam dediscere.* Haec vociferantem, quibus erat imperatum, iugulant. Sera deinde poenitentia subiit regem: ac vera dixisse confessus, eum sepeliri iussit.

4. Non defuit Caio Caesari Caligulae conuersatio hominum, vitia eius adsentatione alentium. Etenim semper magnae fortunae comes est adulatio. *Patercul. l. 2. c. 102.*

Ptolemaeus, rex Aegypti, aliquamdiu cum laude imperauit. Postea vero ab adulatoribus corruptus, Aristomenem, qui tutor ipsius fuerat, qui cuncta negotia prudenter administrauerat, quem instar patris diu coluerat, tandem odio prosequi coepit, ob illius in loquendo libertatem, ac postremo epoto cicutae poculo mori coëgit. Exinde magis ac magis efferatus, et tyrannica saeuitia, non regia vtens potestate, in odium Aegyptiorum venit, parumque abfuit, quin regno excideret. *Diod. Sic. l. 26.*

5. Pauca ex ingenti turba exempla proferam, ex quibus vtrumque discere licet, quantum mali habeat ira, vbi hominum praepotentum potestate tota vtitur, quan- *Senec. 3. de ira c. 14.*

tum sibi imperare possit, vbi metu maiore compressa est.

Herodot. l. 1. *Iustin. l.* 1. *c.* 4. 5. *Senec. ib. cap.* 15.

Somnio quodam, et deinde hariolorum responso territus Medorum rex, Astyages, natum e filia sua filium (qui postea Cyrus est dictus) Harpago amico necandum tradiderat. Quod quum ille facere neglexisset, et infans inter pastores adoleuisset; Astyages Harpago liberos epulandos apposuit, et subinde quaesiuit, *an placeret conditura?* Deinde vbi satis illum plenum malis suis vidit, afferri capita illorum iussit, et, *quomodo esset acceptus?* interrogauit. Non defuerunt misero verba, non os concurrit: *apud regem*, inquit, *omnis coena iucunda est. Quid hac adulatione profecit? ne ad reliquias inuitaretur.*

Herod. l 3. *Seneca ib. c.* 44.

Cambysem, regem Persarum, nimis deditum vino, Praexaspes, vnus ex carissimis, monebat, vt parcius biberet: *Turpem esse*, dicens, *ebrietatem in rege, quem oculi omnium auresque sequerentur.* Ad hoc ille: *Vt scias*, inquit, *quemadmodum nunquam excidam mihi, approbabo iam, et oculos esse et manus post vinum in officio.* Bibit deinde liberalius, quam alias, capacioribus scyphis; et iam grauis, obiurgatoris sui filium procedere vltra limen iubet, adleuataque super caput sinistra manu stare. Tunc intendit arcum, et ipsum cor adolescentis, id enim se petere dixerat, figit, reciscoque pectore, haerens in ipso corde spiculum ostendit. Ac respiciens patrem, an satis certam haberet manum, interrogauit? At ille (eius rei laudator,

dator, cuius nimis erat spectatorem fuisse) negauit: *Apollinem potuisse certius dimittere.* O regem cruentum! O dignum, in quem omnium suorum arcus verterentur! O patrem animo magis, quam conditione, seruum!

6. Ad Traiani aures cum ceteris omnibus, tum vel maxime auaris adulationibus obstructus est aditus. Silent ergo, et quiescunt, postquam non est, cui suadeatur; qui suadeant, non sunt. *Plin. Paneg c.41.*

Quum Pescennio Nigro, imperatori recens facto, quidam panegyricum recitare vellet, dixit: *Scribe laudes alicuius ducis optimi vita functi, et dic, quid ille fecerit, vt eum nos imitemur. Nam viuentes laudare, irrisio est; maxime Imperatores, a quibus speratur; qui timentur. Se autem viuum placere velle, mortuum etiam laudari.* *Spart. in Nig. c.11.*

Quo tempore Solon, ad Croesum vocatus venit Sardes, erat in regia Aesopus, nobilis fabularum scriptor: qui dolens vicem Solonis, parum benigne accepti, quod Croeso interroganti libere respondisset; his verbis eum admonuit: O *Solon, cum regibus aut quam minime, aut quam blandissime agendum est. Immo mehercule*, inquit Solon, *vel quam minime, vel quam optime.* *Plut. in Solon. T. I. p.94.*

Caput XXXIIII.

Fortis et constantis animi est, non perturbari in rebus asperis. *Cic. 1. Off. cap. 23.*

1. Nec secunda sapientem euehunt, nec aduersa demittunt. *Sen. ad Helu. c.5.*

Horat. l. 2. Od. 11. v. 21. s.

Rebus angustis animosus atque
Fortis appare.
Quem res plus nimio delectauere secundae,
Mutatae quatient.

Id. l. 1 Ep. 10. v. 30.

Diog. Laert. in Bian. seg. 86.

Dicebat Bias, eum vere infelicem esse, qui infelicitatem ferre non posset. Interrogatusque, *quidnam esset difficile? ferre,* inquit, *fortiter mutationem rerum in deterius.*

Seneca ad Helu. c. 13

Qui aduersus saeuissimos casus se extollit, et ea mala, quibus alii opprimuntur, euertit, ipsas miserias insularum loco habet: quando ita affecti sumus, vt nihil aeque magnam apud nos admirationem occupet, quam homo fortiter miser.

2. Pulsus in exsilium Seneca, refert ipse, quo animo calamitatem exceperit.

Ibid. c. 5.

Nunc, quod satis est ad omnes miserias leniendas, sapientibus viris me dedi; et nondum in auxilium mei validus, in aliena castra confugi, eorum scilicet, qui facile se et sua tuentur. Illi me iusserunt stare adsidue, velut in praesidio positum, et omnes conatus fortunae, et omnes impetus prospicere multo ante, quam incurrant. Illis grauis est (fortuna) quibus est repentina: facile eam sustinere potest, qui semper exspectat. Nam et hostium aduentus eos prosternit, quos inopinate occupauit: at qui futuro se bello ante bellum parauerunt, compositi et aptati, primum, qui tumultuosissimus est, ictum facile excipunt.

ibid.

Nunquam ego fortunae credidi, etiamsi videretur pacem agere. Omnia illa, quae

in

in me indulgentissime conferebat, pecuniam, honores, gloriam, eo loco posui, vnde posset ea sine motu meo repetere.

Fortuna ius in hominis mores non habet. *P. Syrus v. 250. et 524.*

Nihil eripit fortuna, nisi quod et dedit.

Illi, qui munera eius (fortunae) velut sua et perpetua amauerunt, qui se propter illa suscipi voluerunt; iacent et maerent, quum vanos et pueriles animos, omnis solidae voluptatis ignaros, falsa et mobilia oblectamenta destituunt. At ille, qui se laetis rebus non inflauit, nec mutatis contrahit, aduersus vtrumque statum inuictum animum tenet, exploratae iam firmitatis. *Sen. ibid.*

Ego in illis, quae omnes optant, existimaui semper, nihil veri boni inesse: quin inania, et specioso, ac decepturo fuco circumlita inueni, intra nihil habentia, fronti suae simile. Nam in illis, quae mala vocantur, nihil tam terribile ac durum inuenio, quam opinio vulgi minabatur. *ibid.*

Caput XXXV.

Viri boni nati sunt in exemplar, et eos sibi praeparat deus.

1. Quare tamen bonis viris patitur aliquid mali deus fieri? ille vero non patitur. Omnia mala ab illis remouit, scelera, et flagitia, et cogitationes improbas, et auida consilia, et libidinem caecam, et alieno imminentem auaritiam: ipsos tuetur ac vindicat. Quare (vero) quaedam dura patiuntur? (paupertatem, exsilium, et alia eiusmodi?) Vt etiam alios pati doceant. Nati sunt in *Seneca de prouid. c. 6*

exemplar. Puta itaque deum dicere: *Quid habetis, quod de me queri possitis vos, quibus recta placuerunt? Aliis bona falsa circumdedi: et animos inanes, velut longo fallacique somnio lusi: auro illos, argento et ebore ornaui: intus boni nihil est. Isti, quos pro felicibus adspicitis, si non qua occurrunt, sed qua latent, videritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti. Non est ista solida et sincera felicitas: crusta est, et quidem tenuis. Itaque dum illis licet stare, et ad arbitrium suum ostendi, nitent et imponunt: quum aliquid incidit, quod disturbet ac detegat, tunc apparet, quantum altae ac veraе foeditatis alienus splendor absconderit. Vobis dedi bona certa, mansura: quanto magis versaueritis, et undique inspexeritis, meliora maioraque. Permisi vobis, metuenda contemnere; cupienda fastidire. Non fulgetis extrinsecus: bona vestra introrsus obuersa sunt. Sic mundus exteriora contemsit, spectaculo sui laetus: intus omne posuit bonum. Non egere felicitate, felicitas vestra est. At multa incidunt tristia, horrenda, dura toleratu. Quia non poteram vos istis subducere, animos vestros aduersus omnia armaui. Ferte fortiter: hoc est, quo deum antecedatis. Ille extra patientiam malorum est, vos supra patientiam. Contemnite paupertatem. Nemo tam pauper viuit, quam natus est. Contemnite dolorem: aut soluetur, aut soluet. Contemnite fortunam: nullum illi telum, quo feriret animum,*

mum dedi. Contemnite mortem: quae vos aut finit, aut transfert.

Quemcunque fortem videris, miserum ne ges. *Senec. Herc. v. 464.*

2. Bonus ipse tempore tantum a deo differt, discipulus eius, aemulatorque, et vera progenies: quem parens ille magnificus, virtutum non lenis exactor, sicut seueri patres, durius educat. Itaque quum videris, bonos viros acceptosque diis laborare, sudare, per arduum adscendere, malos autem lasciuire, et voluptatibus fluere: cogita, filiorum nos modestia delectari, vernularum licentia: illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de deo liqueat. Bonum virum in deliciis non habet: experitur, indurat, sibi illum praeparat. Non vides, quanto aliter patres, aliter matres indulgeant? Illi excitari liberos iubent ad studia obeunda mature, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, et sudorem illis, et interdum lacrimas excutiunt: at matres fouere in sinu, continere in vmbra volunt, nunquam flere, nunquam tristari, nunquam laborare. Patrium habet deus aduersus bonos viros animum, et illos fortiter amat: et, operibus, inquit, doloribus, ac damnis exagitentur, vt verum colligant robur. *Seneca de prou. c. 1.* *ibid. c. 2.*

CAPVT

CAPVT XXXVI.

Praeclara est vniuersae vitae aequabilitas.

Cicero 1. *Off. c.* 31. *et* 3. *Tusc. c.* 15.

1. Si quidquam est decorum, nihil est profecto magis, quam aequabilitas vniuersae vitae, et vultus semper idem, eademque frons. Vt de Socrate accepimus, quem dicitur (vxor eius) Xantippe praedicare solita in illo fuisse, eodem semper se vidisse exeuntem illum domo, et reuertentem. Nec vero ea frons erat, quae M. Crassi illius veteris, quem semel ait in omni vita risisse Lucilius; Plinius nunquam: sed tranquilla et serena. Iure autem erat semper idem vultus, quum mentis, a qua is fingitur, nulla fieret mutatio.

Plin. hist. l. 7. *c.* 19.

Senec. Ep. 104.

Vt omnia aequo animo feratis, exemplum accipite Socratem, per omnia aspera iactatum, inuictum tamen et paupertate, quam grauiorem illi domestica onera faciebant: et laboribus, quos militares quoque pertulit, et quibus ille domi exercitus: siue vxorem eius spectes, moribus feram, lingua petulantem: siue liberos indociles, et matri quam patri similiores. Nouissime obiecta illi est et religionum violatio, et iuuentutis corruptela, quam immittere in deos, in patres, in rempublicam dictus est. Post haec carcer et venenum. Haec vsque eo animum Socratis non mouerunt, vt ne vultum quidem mouerint. Illam mirabilem laudem, et singularem, vsque ad extremum seruauit. Non hilariorem quisquam, non tristi-

triſtiorem Socratem vidit: aequalis fuit in tanta inaequalitate fortunae.

2. Q. Metellus Numidicus, populari factione patria pulſus, in Aſiam ſeceſſit: in qua quum ei forte ludos Trallibus ſpectanti litterae redditae eſſent, quibus ſcriptum erat, maximo ſenatus et populi conſenſu reditum illi in vrbem datum; non e theatro prius abiit, quam ſpectaculum ederetur; non laetitiam ſuam proxime ſedentibus vlla ex parte patefecit, ſed ſummum gaudium intra ſe continuit. Eundem conſtat pari vultu, et exſulem fuiſſe, et reſtitutum: adeo moderationis beneficio, medius ſemper inter ſecundas et aduerſas res animi firmitate verſatus eſt. *Valer. l. 4. cap. 1.*

3. Brutus in eo libro, quem de virtute compoſuit, ait ſe vidiſſe Marcellum, Mitylenis exſulantem, et quantum modo natura hominis pateretur, beatiſſime viuentem, neque vnquam bonarum artium cupidiorem, quam illo tempore. Bene ergo exſilium tulit: nec quidquam in animo eius mutauit loci commutatio, quamuis eum paupertas ſequeretur. *Seneca ad Helu. c. 9.*

4. P. Rutilii Rufi verba prius, an facta exiſtimem, neſcio: nam vtrisque aeque admirabile ineſt robur. Quum eſſet ille vir exemplum innocentiae, quumque illo nemo neque integrior in ciuitate eſſet, neque ſanctior; magis ordinum diſſenſione, quam vlla culpa ſua, inuiſus equeſtri ordini, penes quem iudicia erant, reus factus, nec obſoletam veſtem induit, nec inſignia Senatoris depoſuit, nec dixit quidquam ſplendore *Valer. l. 2. c. 10. l. 6. c. 4. Cicer. I. Orat. c. 53.*

prae-

praeteritorum annorum humilius: et non modo supplex iudicibus esse noluit, sed ne ornatius quidem, aut liberius caussam dici suam, quam simplex oratio veritatis ferebat. Damnatus itaque est repetundarum vir inter optimos numerandus, et missus in exsilium.

Ep. Liu. l. 70.

Valer. l. 2. cap. 10. Ex Italia Asiam petetenti omnes prouinciae illius ciuitates legatos, eius secessum opperientes, obuiam miserunt. Exsulare aliquis hoc loco, an triumphare iustius dixerit?

Seneca benef. c. 37 6. Quum ei inter Smyrnaeos, a quibus fuerat ciuitate donatus, agenti quidam consolandi caussa dixisset, instare arma ciuilia, breui futurum, vt omnes exsules reuerterentur: *Quid tibi,* inquit Rutilius, *mali feci, vt mihi peiorem reditum, quam exitum, optares? malo, vt patria exsilio meo erubescat, quam reditu maereat.* Quod dixerat, praestitit: nam quum ei reditum in patriam postea Sullana victoria praestaret; in exsilio, ne quid contra leges faceret; remansit.

Valer. l. 6. cap. 4.

Seneca Ep. 79. Multos illustrat fortuna, dum vexat: Rutilii innocentia ac virtus lateret, nisi accepisset iniuriam. Dum violatur, effulsit.

LIBER

LIBER QVINTVS
DE
TEMPERANTIA

CAPVT I.

Ratione duce per totam vitam eundum est.

1. Temperantia moderatrix omnium commotionum (animi) est, tum a libidine auocat, tum inani laetitia gestire non sinit: haec pacem animis affert, in rebus aut expetendis, aut fugiendis, rationem vt sequamur, monet: in ea verecundia, et quasi quidam ornatus vitae, temperantia et modestia, omnisque sedatio perturbationum animi, et rerum modus cernitur. *Cicer. 5. Tusc. c.* 14. 1. *de fin. cap.* 14. 1. *Off. c.* 27. *usc. c.*

2. Est animus in partes distributus duas: quarum vna in appetitu posita est, quae est ὁρμὴ Graece, quae hominem huc et illuc rapit: altera in ratione, quae docet et explanat, quid faciendum fugiendumque sit. Efficiendum autem est, vt ratio praesit, appetitus vero rationi obediant. Quod temperantiae munus est. 2. *Tusc. c.* 21. 1. *Off. c.* 28. 29.

Est in animis omnium fere natura molle quiddam, demissum, humile, eneruatum quodammodo, et languidum. Si nihil aliud: nihil esset homine deformius. Sed praesto est domina omnium et regina, ratio, *Cicero 2. Tusc. c.* 21

quae

quae connixa per se, et progressa longius fit perfecta virtus. Haec vt imperet illi parti animi, quae obedire debet, id videndum est viro. Quonam modo? inquies. Velut dominus seruo; velut imperator militi, velut parens filio.

Seneca 2. *benef.c.*18. Ratione duce per totam vitam eundum est: minima maximaque ex huius consilio gerenda sunt.

Caput II.

In sedatione perturbationum animi vita beata.

Cicero 5. *Tusc. c.*6. 1. Motus turbulenti, iactationesque animorum incitatae, et impetu inconsiderato elatae, rationem omnem repellentes, vitae beatae nullam partem relinquunt. Hi soli beati dicendi sunt, quos nulli metus terrent, nullae aegritudines exedunt, nullae libidines incitant nullae futiles laetitiae, exsultantes languidis liquefaciunt voluptatibus. Vt maris igitur tranquillitas intelligitur, nulla ne minima quidem aura fluctus commouente: sic animi quietus et placatus status cernitur, quum perturbatio nulla est, qua moueri queat.

1. *de fin.* *cap.* 18. 2. Quemadmodum ciuitas in seditione beata esse non potest, nec in discordia dominorum domus: sic animus a se ipse diffidens, secumque discordans pugnantibus et contrariis studiis consiliisque, gustare partem nullam liquidae voluptatis et liberae potest.

Ibid. 3. Quod si corporis grauioribus morbis vitae

vitae iucunditas impeditur: quanto magis animi morbis impediri necesse est? Animi autem morbi sunt cupiditates immensae et inanes diuitiarum, gloriae, dominationis, libidinosarum etiam voluptatum: accedunt aegritudines, molestiae, maerores, qui animos exedunt, conficiuntque curis.

4. Beatum dicimus hominem eum, cui vnum bonum honestas, vnum malum turpitudo videatur. Cui vera voluptas erit, voluptatum contemtio. Quem, honesti cultorem, et virtute contentum, nec extollant fortuita, nec frangant. Qui fortunae muneribus vtatur, non seruiat. Hunc necesse est sequantur gaudium inconcussum et aequabile, perpetua tranquillitas et libertas, tum pax et concordia animi, et magnitudo cum mansuetudine. *Senec. de beat. c. 3. et 4.*

5. Quum esset ex Socrate quaesitum a Polo, Archelaum, Perdiccae filium, qui tum fortunatissimus haberetur, nonne beatum putaret? *Haud scio*, inquit Socrates, *numquam enim cum eo collocutus sum*. Polus: *Au tu aliter id scire non potes?* Soc. *Nullo modo.* Pol. *Tu igitur ne de Persarum quidem rege magno potes dicere, beatusne sit?* Soc. *An ego possum, quum ignorem, quam sit doctus, quam vir bonus?* Pol. *Quid? tu in eo sitam vitam beatam putas?* Soc. *Ita prorsus existimo, bonos, beatos: improbos, miseros.* Pol. *Miser ergo Archelaus?* Soc. *Certe, si iniustus.* *Cicero 5. Tusc. c. 45. Plato in Gorgia.*

Videturne omnem hic Socrates beatam vitam in vna virtute ponere?

CAPVT

CAPVT III.

Malus beatae vitae iudex populus.

Senec. de beat. c. 1. 1. Viuere omnes beate volunt: sed ad perueidendum, quid sit, quod beatam vitam efficiat, caligant. Proponendum est itaque, quid si, quod petamus: tunc circumspiciendum est, qua contendere illo celerrime possimus. Nihil ergo magis praestandum est, quam ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum est, sed qua itur. Atqui nulla res nos maioribus malis implicat, quam quod non ad rationem, sed ad similitudinem viuimus: eadem probamus, eadem reprehendimus, quae multitudo, alienisque perimus exemplis. Id optimum nobis videtur, quod petitores laudatoresque multos habet.

ibid. et c. 2. Sanabimur, si modo separemur a coetu. Haec pars maior esse videtur, ideo enim peior est: non tam bene cum rebus humanis agitur, vt meliora pluribus placeant: argumentum pessimi, turba est. Quaeramus, quid optime factum sit; non quid vsitatissimum; et quid nos in possessione felicitatis aeternae constituat, non quid vulgo, veritatis pessimo interpreti, probatum sit.

Diog. Laert. in Diog. segm. 46. 2. Quodam die quum populus e theatro egrederetur, Diogenes aduersus populum nitens ingrediebatur. Interrogatus, qua de causa id faceret: *Hoc*, inquit, *in omni vita facere studeo.*

Idem in Antist. segm. 18. Dicebat Antisthenes: *Satius esse cum paucis viris bonis dissentire ab omnibus malis, quam cum multis malis dissentire a paucis bonis.*

bonis. Idem aliquando laudatus ab improbis hominibus: *Quam timeo*, inquit, *ne forte quid mali fecerim!* Et Antimachus poëta, qui quum conuocatis auditoribus legeret eis magnum illud, quod nouistis, volumen suum, et eum legentem omnes, praeter Platonem, reliquissent: *legam*, inquit, *nihilominus: Plato enim mihi vnus instar est omnium mille.* *segm.* 8. *Cicero in Bruto c.* 51.

3. Nec parum prudenter Anaxagoras interroganti cuidam, quisnam esset beatus? *Nemo*, inquit, *ex iis, quos tu felices existimas: sed eum in illo numero reperies, quî a te ex miseriis constare creditur. Non erit ille diuitiis et honoribus abundans, sed aut exigui ruris, aut non ambitiosae doctrinae fidelis ac pertinax cultor, in secessu, quam in fronte, beatior.* *Valer. l.* 7. *c.* 2.

Vbi Croesus Solonem, quem ad se Sardes vocauerat, audiuit accedere; vt aduenae oculos perstringeret, eumque aliqua sui admiratione afficeret, corpus quam potuit magnificentissime exornauit, et vestem, tum variis coloribus distinctam, tum auro et gemmis fulgentem, induit. Quo spectaculo non modo nihil moueri visus est Solon, nullamque emisit vocem, qua regi, pro eius exspectatione gratularetur: sed etiam satis ostendit, se eiusmodi ineptias contemnere, et angusti animi esse ducere. Iussit ergo Croesus, omnes ei pecuniarum suarum thesauros aperiri, et regium omne instrumentum ac supellectilem ante eius oculos explicari. Quae cuncta contemplatus Solon, *Plut. in Solon.* a *Tom. I. p.* 94 *seq.*

vt

vt ad regem est reductus; quaesiuit ab eo rex, *an quem in terris hominem vidisset se beatiorem?* Ille Tellum nominauit, popularem suum, virum bonum, qui rebus ad vitam degendam necessariis quum non caruisset, egregie pugnando vitam pro patria profuderat, relictis liberis bene institutis et probatis. Tum vero Croeso et agrestis et insanus Solon est visus, qui beatitudinem non auro, neque argento metiretur, et priuati hominis vitam atque obitum tantae opulentiae, tantoque imperio praeferret. Interrogauit tamen eum denuo, *an post Tellum istum cognosceret aliquem aliam, se ipso beatiorem?* Beatiores profecto fuisse, respondit Solon, Cleobin et Bitonem, fraterna inter se amicitia et singulari in matrem pietate insignes viros; qui morantibus bubus, a quibus eorum genitrix ad Iunonis delubrum trahi deberet, iugum plaustri ipsi subierant, et sacris peractis epulati non surrexerant postridie: sed vitam cum morte sine vllo dolore commutauerant. *Quid ergo*, inquit iam ira incensus Croesus, *nullone nos numero inter beatos ponis?* Cui Solon, nec adulari sustinens, nec iram vltra mouere volens: *Nos quidem Graeci*, inquit, *o Lydorum rex, quam variis casibus pateat hominum vita, cernentes, nemini licere existimamus propter praesentia bona animos tollere: neque felicitatem suspicimus, quae temporis vicissitudinibus obnoxia sit: illum vero solum beatum dicimus, cui vitam feliciter absoluere dii concesserunt. Viuentis enim et adhuc fortunae telis propositi hominis beatitudo,*

titudo, non minus incerta et dubia est, quam militis in acie decertantis victoria ac corona. His dictis, discessit Solon a rege offenso magis, quam emendato.

\- - - Vltima semper
Exspectanda dies homini est, dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet. *Ouid. 3. Metam. v. 135.*

Caput IIII.

Corpori indulgendum, non seruiendum.

1. Corpusculum, etiamsi nihil fieri sine illo potest, magis necessariam rem crede, quam magnam. Vanas suggerit voluptates, breues, poenitendas; ac, nisi magna moderatione temperentur, in contrarium abituras. *Seneca Ep. 23.*

Fateor, insitam esse nobis corporis nostri caritatem: fateor, nos huius gerere tutelam: nec nego, indulgendum illi: seruiendum nego. Multis enim seruiet, qui corpori seruit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert. Honestum ei vile est, cui corpus nimis carum est. Agatur eius diligentissime cura: ita tamen, vt, quum exiget ratio, quum dignitas, quum fides, mittendum in ignem sit. *Ep. 14.*

Maior sum, inquiebat Seneca, et ad maiora genitus, quam vt mancipium sim mei corporis: quod equidem non aliter adspicio, quam vinculum aliquod libertati meae circumdatum. Numquam me caro ista compellet ad metum, numquam ad indi- *Ep. 65.*

gnam bono simulationem: nunquam in honorem huius corpusculi mentiar. Contemtus corporis sui, certa libertas est.

Ep. 92. Sapiens corporis quoque, velut oneris necessarii, non amator, sed procurator est: nec se illi, cui impositus est, subiicit. Nemo liber est, qui corpori seruit. Nam vt alios dominos, quos nimia pro illo sollicitudo inuenit, transeas, ipsius morosum imperium delicatumque est. Nimia pro corpore sollicitudo nobis imponit.

Ep. 8. 2. Hanc sanam et salubrem formam vitae tenere memento, vt corpori tantum indulgeas, quantum bonae valetudini satis est. Durius tractandum est, ne animo male pereat. Cibus famem sedet, potio sitim exstinguat, vestis arceat frigus, domus munimentum sit aduersus infesta corpori. Hanc vtrum cespes erexerit, an varius lapis gentis alienae, nihil interest. Scito, hominem tam bene culmo, *Ep.* 90. quam auro, tegi. Immo culmus liberos tegit, sub marmore atque auro seruitus habitat.

Seneca Thyest. v. 451. Tutusque mensa capitur angusta cibus.
Venenum in auro bibitur.

Caput V.

Cicero 5. *Tusc. c.* 97 ## *Cibus et potus desiderio condiuntur.*

Senec. Ep. 78. 119. 1. Magis iuuat bibere sitientem, gratior est esurienti cibus. Fames me appellat: ad proxima quaeque tendatur manus; ipsa mihi commendabit quodcunque comprehendere: nihil contemnit esuriens.

Darius

Darius in fuga, quum aquam turbidam et cadaueribus inquinatam bibisset, negauit vnquam se bibisse iucundius. Nunquam videlicet sitiens biberat. Nec esuriens Ptolemaeus ederat; cui quum peragranti Aegyptum, comitibus non consecutis, cibarius in casa panis datus esset: nihil visum est illo pane iucundius. *Cicero 5. Tusc. c. 34.*

Artaxerxes Mnemon, quum ficis aridis et pane hordeaceo vesceretur, in fuga direpto eius commeatu: *Quali*, inquit, *voluptate adhuc caruit!* *Plutarch. Apophth. T. II. p. 174.*

2. Socratem ferunt, quum vsque ad vesperam contentius ambularet, quaesitumque esset ex eo, quare id faceret; respondisse: *Se, quo melius coenaret, obsonare ambulando famem: cibi enim condimentum esse famem, potionis sitim.* *Cicero ib. 2. de fin. cap. 38.*

Quum Dionysius tyrannus apud Lacedaemonios coenauisset; negauit se iure illo nigro, quod coenae caput erat, delectatum. Tum is, qui illa coxerat: *Minime mirum: condimenta enim defuerunt. Quae tandem?* inquit ille: *Labor in venatu, sudor, cursus ab Eurota, fames, sitis.* *Cicero 5. Tusc. c. 34*

Mausoli, Cariae regis, soror, Ada, patrio regno ab Alexandro donata, exquisitae artis cibos atque bellaria sollicite confici curabat, eaque cum ipsis coquis et cupediariis regi dono mittebat, tanquam bene merendi gratiam relatura, si muniis armorum fessum fatigatumque Asiatici luxus deliciis exciperet. At ille prudens, intemperantiam gulae seria tractanti intempestiuam esse, beneuolentiae quidem muliebri comiter gratias egit: *cete-* *Plutarch. in Alex. T. I. p. 677. Q. Curt. suppl. l. 2. cap. 8.*

rum non attinuisse, respondit, *vt pro ipso sollicita esset, meliores habente coquos, quibus ipsum olim paedagogus suus, Leonidas, instruxisset, ad prandium iter antelucanum, ad coenam frugale prandium.* Addiditque, Leonidam solitum fuisse, suas vestes, et stragula, et arculas perscrutari, ne forte mater Olympias, nimium filio puero indulgens, aliquid delicatioris cibi clam abscondisset. Puerilis institutionis diu memor fuit Alexander: nam quum Asiam peruagaretur, si quid ad eum arborum rari fructus, pisces, aliique cibi exquisiti afferrentur; eos amicis diuidebat, vix vnquam sibi quidquam ex his seruans.

Caput VI.

Disce paruo esse contentus.

Seneca Ep. 110. et 119.

1. Non illud praecipio, vt aliquid naturae neges. Contumax est, non potest vinci, suum poscit: sed vt, quidquid naturam excedit, scias precarium esse, non necessarium. Esurio: edendum est. Vtrum hic panis sit plebeius, an siligineus, ad naturam nihil pertinet. Illa ventrem non delectari vult, sed impleri. Sitio, bibendum est. Vtrum haec aqua sit ex lacu proximo excepta, an ea, quam multa niue clusero, vt rigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet. Illa hoc vnum iubet, sitim exstingui. Vtrum sit aureum poculum, an crystallinum, an murrhinum, an Tiburtinus calix, an manus concaua, nihil refert. Finem omnium rerum specta, et superuacua dimittes.

Cicero 5. Tusc. c. 34.

2. Ciuitates quaedam vniuersae, more doctae,

doctae, parsimonia delectantur, vt de Lacedaemoniis paullo ante diximus. Persarum a Xenophonte victus exponitur: quos negat ad panem adhibere quidquam praeter nasturtium. Quanquam, si quaedam etiam suauiora natura desideret, quam multa ex terra arboribusque gignuntur cum copia facili, tum suauitate praestanti?

3. Itinere confectus, incommodo magis, quam longo, in Albanum meum nocte multa perueni. Nihil habeo paratum, nisi me. Itaque in lecto lassitudinem pono: hanc coqui, hanc pistoris moram boni consulo. Mecum enim de hoc ipso loquor, quam nihil sit graue, quod leuiter excipias: quam indignandum nihil, nisi ipse indignando adstruas. Non habet panem mens pistor, sed habet villicus, sed habet atriensis, sed habet colonus. Malum panem, inquis? Exspecta, bonus fiet: etiam illud tenerum tibi, et siligineum fames reddet. Ideo non est ante edendum, quam illa imperet. Exspectabo ergo: nec ante edam quam aut bonum panem habere coepero, aut malum fastidire desiero. Necessarium est, paruo adsuescere. Multae difficultates locorum, multae temporum, etiam locupletibus, et instructis a diis optantem prohibent et occurrunt. Quidquid vult, habere nemo potest: illud potest, nolle, quod non habet: rebus oblatis hilaris vti. *Seneca Ep. 123.*

4. Cupiditati nihil satis est: naturae satis est etiam parum. Parabile est, quod natura desiderat, et expositum: ad superuacua sudatur. Ad manum est, quod satis est. *ad Helu. c. 11. et Ep. 4.*

Sen. ad Helu. c. 9.

Corporis exigua desideria sunt: frigus submouere vult, alimentis famem ac sitim exstinguere: quidquid extra concupiscitur, vitiis, non vsibus laboratur. Non est necesse, omne perscrutari profundum, nec strage animalium ventrem onerare, nec conchylia vltimi maris ex ignoto litore eruere. Dii istos deaeque perdant, quorum luxuria tam inuidiosi imperii fines transcendit. Vndique conuehunt, omnia nota fastidienti gulae. O miserabiles, quorum palatum nisi ad pretiosos cibos non excitatur! pretiosos autem non eximius sapor, aut aliqua faucium dulcedo, sed raritas, et difficultas parandi facit. Et, quum famem exiguo (pretio) possint sedare, magno irritant.

Plut. in Lucul. Tom. I. p. 518.

5. Cn. Pompeio aegrotanti quum praecepisset medicus, vt turdum ederet, negarent autem serui, eam auem vsquam aestiuo tempore posse reperiri, nisi apud Lucullum, qui turdos domi saginaret; prohibuit Pompeius inde peti, sed medico dixit: *Ergo, nisi Lucullus perditus deliciis esset, non viueret Pompeius?* et aliam auem, quae parabilis esset, iussit sibi apponi.

Caput VII.

Platonicae et Syracusanae mensae.

Aelian. 2. cap. 10. Suidas T. III. p. 475.

1. Timotheus, dux Athenienſis, tam felix in expugnandis vrbibus fuit, vt eius dormientis effigies depicta sit, tenentis rete, in quod Fortuna vrbes cogeret. Quod quidem vel assentandi, vel irridendi causſa, excogita-

gitatum est: certe eiusmodi honores ei ab Athenienſibus habiti ſunt, qui antea nemini. Quum maxime et rerum gloria, et potentia floreret, incidit forte in Platonem extra Athenarum moenia cum diſcipulis ambulantem. Quem vt adſpectu venerabilem conſpexit, audiuitque non de armis et claſſibus, non de tributis et ſtipendio, aliisque eius generis rebus differentem, ſed de bono atque honeſto; exclamauit: *O beatam vitam! o veram felicitatem!* Quibus verbis ſignificabat, eiusmodi colloquia omnibus diuitiis atque honoribus ſibi videri potiora. (Eundem) Timotheum, clarum hominem Athenis, et principem ciuitatis, ferunt, quum coenauiſſet apud Platonem, eoque conuiuio admodum delectatus eſſet, vidiſſetque eum poſtridie, dixiſſe: *Veſtrae quidem coenae non ſolum in praeſentia, ſed etiam poſtero die, iucundae ſunt.* *Cicero 5. Tuſc. c. 35 Aelian. V. H. l. 2. c. 18*

2. Quid, quod ne mente quidem recte vti poſſumus, multo cibo et potione completi? Eſt praeclara epiſtola Platonis ad Dionis, (qui ipſum in Siciliam vocauerat) propinquos; in qua ſcriptum eſt his fere verbis: *Quo' quum veniſſem; vita illa beata, quae ferebatur, plena Italicarum, Syracuſiarumque menſarum, nullo modo mihi placuit; bis in die ſaturum fieri: nec vnquam pernoctare ſolum: ceteraque, quae comitantur huic vitae, in qua ſapiens nemo efficietur vnquam, moderatus vero multo minus.* *Cicero ib.*

Idem Plato, filius Ariſtonis, quum videret Agrigentinos magnis impenſis aedificare, *Aelian. V. H. l. 12. c.*

eodemque modo coenare: *Agrigentini*, inquit, *aedificant, quasi semper victuri; et comedunt, quasi semper morituri.*

Diog. Laert. in Socrat. segm. 34. Platonis magister, Socrates, nonnullos diuites ad coenam vocauerat, et Xantippem vxorem pudebat modici apparatus: cui Socrates: *Bono esto animo*, inquit: *nam, si homines boni frugique sunt, aequo animo ferent: si mali atque intemperantes, de his nihil curandum.*

CAPVT VIII.

Conuiuia Lacedaemoniorum.

Plut. in Lycurg. T. I. p. 64. seq. 1. Prouidit Lycurgus, ne quis Lacedaemoniorum priuatim gulae indulgeret. Itaque instituit, vt omnes sine vllo discrimine communi mensa, et frugali victu vterentur. Nemini licebat ad publica conuiuia venire, praesumtis domi cibis expleto. Propterea acriter sese inuicem obseruabant, atque eum, qui non biberet cum ipsis, aut vesceretur, irridebant et obiurgabant, vt intemperantem, et a promiscuo conuictu fastidiose abhorrentem. Singulis mensis quindeni accumbebant vtplurimum: nec quenquam abesse, nisi grauissima de caussa, licebat. Itaque, quum e bello, quo Athenienses vicerat, reuersus rex Agis, domi cum vxore vellet coenare; portionem postulanti non miserunt magistratus.

2. Ad haec conuiuia pueri quoque, sicut ad temperantiae scholam, deducebantur. Ibi crebros de republica sermones excipiebant, magistros libere et facete cauillantes audiebant; adsuescebantque et ipsi iocari, et dicteria

tia citra scurrilitatem iacere, atque aliorum cauillis non offendi. Namque videbatur inprimis Laconicum, cauilla aequo animo sustinere. Si quis tamen se eorum impatientem diceret; a facetiis in illum temperabatur.

Vt quisque intrabat, natu maximus, commonstratis ei foribus, dicebat: *Ex his nihil hic dictorum egreditur.*

Inter obsonia prima laus erat iuri nigro, quo senes maxime delectabantur, relicta iuuenibus carne. Vbi mediocriter biberant, sine face recipiebant se domum, neque permittebatur ad lumen incedere, vt discerent in tenebris, et nocte commeare fidenter.

3. Sunt quidam delicatuli, mulieribus aliquando ciborum omnium fastidio laborantibus non dissimiles: nam et ipsi solitos cibos fastidiunt. Itaque, vt obtusum ferrum noua acie eget: sic eorum stomachus acui quodam modo postulat nonnunquam, siue aceto, siue acerbo aliquo condimento. Quantum ab istis differebat Lacon ille! Qui quum conspexisset quendam eiusmodi delicatulum pretiosam auiculam sibi appositam prae fastidio renuere: *At mihi*, dixit, *etiam vultur et hircus sapiunt.* *Stob. serm. 17.*

CAPVT VIIII.

Castigata corporis obesitas.

1. Lacedaemoniis lex erat, ne quis vultu praeferret mollitiem colore femineo, aut corporis nimiam molem haberet: hoc enim segnitiem declarare videbatur, illud animum parum virilem. Decimo quoque die ado- *Aelian. V. H. l. 14. cap. 7. Athen. l. 15. c. 12.*

lescentes Ephoris sese exhibebant conspiciendos. Si essent corpore bene compacto, et per exercitia roborato, laudabantur: contra si membra flaccida et molliora viderentur, succrescente per inertiam pinguedine, verberibus plectebantur. Itaque Nauclidem, Polybiadae filium, praepinguem per luxuriam factum, quum in mediam concionem produxissent Ephori, et ibi Lysander eum grauiter obiurgasset; parum abfuit, quin e ciuitate eiicerent. Certe exsilium minitati sunt, nisi emendaret vitam, quae Ionica magis, quam Lacedaemonica erat: et corporis habitum, qui patriae dedecori esse videbatur, temperantia et exercitiis corrigeret.

A. Gell. l. 7. c. 22. Censores (Romani) equum adimere soliti sunt equitibus corpulentis et praepinguibus: quaesitumque, vtrum ea res cum ignominia, an incolumi dignitate equitum facta sit.

2. Non inutile erit, pauca alia de seueritate censoria hic exscribere.

Si quaedam coram Censoribus erant intempestiue dicta, aut facta, ea notatione sua non carebant. Cuius rei omnium instar *Idem l. 4. c. 20.* erunt haec exempla duo. Censores, P. Scipio Nasica, et M. Pompilius, quum equitum censum agerent; equum nimis strigosum, et male habitum, sed equitem eius vberrimum et habitissimum viderunt. *Et cur*, inquiunt, *ita est, vt tu sis, quam equus, curatior? Quoniam*, inquit, *ego me curo; equum Statius meus, (nihili) seruus.* Visum est parum reuerens esse responsum, relatusque in aerarios, vt mos est.

Deli-

Deliberatum est de nota eius, qui ad Censores ab amico aduocatus est, et, in iure stans, clare nimis ac sonore oscitauit. Atque inibi, prope vt plecteretur, fuit; tanquam illud indicium vagi animi foret et allucinantis, et fluxae atque apertae securitatis. Sed quum ille deierasset, inuitissimum sese ac repugnantem oscitatione victum, tenerique eo vitio, quod *oscedo* appellatur; tum notae iam destinatae exemtus est.

Caput X.

Corporis voluptas non est digna hominis praestantia.

1. Pertinet ad omnem officii quaestionem, semper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus reliquisque bestiis antecedat. Illae nihil sentiunt, nisi voluptatem, ad eamque feruntur omni impetu: hominis autem mens discendo alitur et cogitando, semper aliquid aut anquirit, aut agit, videndique et audiendi delectatione ducitur. Quin etiam, si quis est paullo ad voluptates propensior, modo ne sit ex pecudum genere: (sunt enim quidam homines non re, sed nomine) sed, si quis est paullo erectior, quamuis voluptate capiatur, occultat et dissimulat appetitum voluptatis, propter verecundiam. Ex quo intelligitur, corporis voluptatem non satis esse dignam hominis praestantia, eamque contemni et reiici oportere. Sin sit quispiam, qui aliquid tribuat voluptati; diligenter ei tenendum esse eius *Cicero* 1. *Off.* c. 30.

fruendae modum. Itaque victus cultusque corporis ad valetudinem referantur, et ad vires, non ad voluptatem. Atque etiam si considerare volumus, quae sit in natura excellentia et dignitas, intelligemus, quam sit turpe diffluere luxuria, et delicate ac molliter viuere; quamque honestum, parce, continenter, seuere, sobrie.

Quinctil. l.12.c.2. Si diuina nostris animis origo est, tendendum ad virtutem, nec voluptatibus terreni corporis seruiendum.

A.Gellius l.19.c.2. Dicebat Socrates: *Multos homines propterea velle viuere, vt ederent et biberent: sese bibere atque esse, vt viueret.*

Seneca 7. benef.c. 2. Voluptas fragilis est et breuis: fastidit obiecta: quo auidius hausta est, citius in contrarium recidens, cuius subinde necesse est, aut poeniteat aut pudeat. In qua nihil est aut magnificum, aut quod naturam hominis, diis proximi, deceat: res humilis, membrorum turpium ac vilium ministerio veniens, exitu foeda. Illa est voluptas et homine, et viro digna, non implere corpus, nec saginare, nec cupiditates irritare, quarum tutissima est quies, sed perturbatione carere.

Aelian. V. H.l.3.c.20. Lysandro Spartiatae, quum in Ioniam veniisset, hospites eius, inter alia munera, bouem et placentam miserunt. Ille oculis in placentam coniectis, quaesiuit, quodnam esset illud cibi genus? Respondit, qui afferebat, ex melle et aliis suauibus condimentis esse confectum. *Hoc ergo*, inquit Lysander, *date Helotibus*: (qui serui erant) *non est enim hominis liberi cibus.* Bouem vero, iussit Lacedae-

cedaemoniorum more apparari, et libenter iucundeque in coena comedit.

Quum Ageſilaus pariter, oblata ſibi a Thaſiis eſculenta et poculenta magni pretii multa Heloribus diſtribui iuſſiſſet, quaerentibus cauſſam Thaſiis reſpondit: *Eos, qui probitati ac fortitudini ſtuderent, non decere iſtiuſmodi irritamentis gulae delectari, propterea quod ingenuos homines iis rebus moueri non oporteat, quibus ſeruitia capiantur.* Itaque farinam tantum ab iis accepit. *Plut. in Apophth.*

Caput XI.

Corpus et animum ad patientiam exerce.

1. Exercendum autem corpus, et ita affi-ciendum eſt, vt obedire conſilio rationique poſſit in exſequendis negotiis, et in labore tolerando. *Cicero* 1. *Off. c.* 23.

Vita humana prope vti ferrum eſt. Ferrum, ſi exerceas, conteritur: ſi non exerceas, tamen rubigo interficit. Item homines exercendo videmus conteri: ſi nihil exerceas, inertia atque torpedo plus detrimenti facit, quam exercitatio. *A. Gellius l.* 11. *c.* 2.

Inter labores voluntarios, et exercitia corporis, ad fortuitas patientiae vices, firmamentum id quoque, accepimus Socratem facere inſueuiſſe. Stare ſolitus Socrates dicitur, pertinaci ſtatu, perdius atque pernox, a ſummo lucis ortu ad ſolem alterum orientem, inconniuens, immobilis, iisdem in veſtigiis, et ore atque oculis eundem in locum directis cogitabundus: tanquam quodam ſeceſſu mentis atque animi facto a corpore. *Idem l.* 2. *c.* 1.

Plut. de garr. In ipso frigore hiemis glaciem nudis pedibus calcabat. Collecta corporis exercitationibus siti, non tamen prius bibebat, quam primam e puteo haustam aquae vrnam effudisset.

Diog. Laert. in Diog. segm. 23. Diogenes pariter, omni ex parte se ad laborum tolerantiam exercens, hieme statuas niue perfusas, complectebatur, aestate sese in feruida arena volutabat.

Senec. Ep. 15. Quoniam maiore corporis sarcina animus eliditur, et minus agilis est; exerceatur corpus. Sint exercitationes et faciles, et breues, quae corpus et sine mora laxent, et tempori parcant, cuius praecipua ratio habenda est. Cito redi a corpore ad animum. Illum diebus ac noctibus exerce. Hanc exercitationem non frigus, non aestus impediet, ne senectus quidem.

A. Gellius l. 1. c. 17. 2. Animum domesticis malis ad patientiam exercebat Socrates. Xantippe, Socratis Philosophi vxor, morosa admodum fuisse fertur et iurgiosa: irarumque et molestiarum muliebrium per diem, perque noctem, scatebat. Has eius intemperies in maritum Alcibiades demiratus, interrogauit Socratem, quaenam ratio esset, cur mulierem tam acerbam domo non exigeret? *Quoniam*, inquit Socrates, *quum illam domi talem perpetior, insuesco, et exerceor, vt ceterorum quoque foris petulantiam, et iniuriam facilius feram: equitesque illos imitor, qui ferociorem equum eligunt, quem doment, futurum rati, vt ceteris postea facilius vti possint.*

Xenoph. in conu. p. 876.

Diog. Laert. in Socr. segm. 86. Quum in coniugem, ipsa iudice, mitissimum iracunda illa mulier aliquando con-

vicia

uicia et maledicta conieciſſet, deinde vero ſordidam aquam effudiſſet: *Nonne*, inquit amicis Socrates, *vere dicebam, Xantippen tonantem quandoque pluituram.*

3. Mira quadam ratione ſe ad ciborum abſtinentiam exercebant Pythagoraei. Apparato enim omni genere ferculorum, quae in lautis conuiuiis apponi ſolent, quum diutiſſime oculos pauiſſent, eoque ſpectaculo comedendi cupiditatem excitaſſent; ſtatim menſam tolli iubebant, et diſcedebant impranſi. *Diodor. Sic. l. 6.*

Caput XII.

Bonae valetudinis mater eſt frugalitas.

1. Valetudo ſuſtentatur notitia ſui corporis; et obſeruatione, quae res aut prodeſſe ſoleant, aut obeſſe; et continentia in victu omni, atque cultu, corporis tuendi cauſſa, et praetermittendis voluptatibus: poſtremo arte eorum, quorum ad ſcientiam haec pertinent. *Cicero 2. Off. c. 24.*

Bonae valetudinis priſcorum Romanorum quaſi quaedam mater erat frugalitas, inimica luxurioſis epulis. Maximis viris prandere et coenare in propatulo, verecundiae non erat. Nec ſane vllas epulas habebant, quas populi oculis ſubiicere erubeſcerent. Deinde vbi mores paullatim in peius ruiſſent; imperari coepit, vt patentibus ianuis pranſitaretur et coenitaretur, ſic oculis ciuium teſtibus factis luxuriae modus fieret. Parſimonia quoque apud veteres Romanos, et victus atque coenarum tenuitas, non domeſtica ſolum obſeruatione ac diſciplina, ſed publi- *Valer. l. 2. c. 5. Macrob. 2. Sat. c. 13. A. Gellius l. 2. c. 24.*

publica quoque animaduersione, legumque complurium sanctionibus custodita est.

Sen. Ep. 58. 2. Potest aliquatenus, nostra prouidentia, longior prorogari huic corpusculo mora, si voluptates, quibus pars maior perit, poterimus regere, et coërcere. Plato ipse ad senectutem se diligentia pertulit. Erat quidem corpus validum ac forte sortitus, et illi nomen latitudo pectoris fecerat; sed nauigationes ac pericula multum detraxerunt viribus: parsimonia tamen, et eorum, quae auiditatem euocant, modus, et diligens sui tutela, perduxit illum ad senectutem, multis prohibentibus caussis.

Sen. l. c. Nam hoc scis, puto, Platoni diligentiae suae beneficio contigisse, quod natali suo decessit, et annum vnum atque octogesimum impleuit sine vlla deductione. Ideo Magi, qui forte Athenis erant, immolauerunt defuncto, amplioris fuisse sortis, quam humanae, rati, quia consummasset perfectissimum numerum, quem nouem nouies multiplicata componunt. Non dubito, quin paratus esset, paucos dies ex ista summa, et sacrificium, remittere. Nam, quum Academia diceretur locus esse pestilens, et medici consilium darent, vt in Lyceum scholam transferret, nequaquam obtemperauit, dicens: Atqui ego, producendae vitae caussa, ne in Atho quidem summitatem transmigrare velim.

Aelian. V. H. l. 9. *c.* 10.

A. Gellius l. 2. *c.* 1. Socratem temperantia fuisse tanta, traditum est, vt omnia fere vitae suae tempora valetudine inoffensa vixerit. In illius etiam pestilentiae vastitate, quae, in belli Peloponnesiaci

nesiaci principiis, ipsam Athenienſium ciuitatem internecino genere morbi depopulata eſt, is parcendi moderandique rationibus dicitur, et a voluptatum labe cauiſſe, et ſalubritates corporis retinuiſſe: vt nequaquam fuerit communi omnium cladi obnoxius.

3. Medicina quondam paucarum fuit ſcientia herbarum, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, vulnera coirent paullatim. Deinde in hanc peruenit tam multiplicem varietatem. Nec mirum, tunc illam minus negotii habuiſſe, firmis adhuc ſolidisque corporibus, et facili cibo, nec per artem voluptatemque corrupto. Qui poſtquam coepit, non ad tollendam, ſed ad irritandam famem quaeri, et inuentae ſunt millae conditurae, quibus auiditas excitaretur; quae deſiderantibus alimenta erant, onera ſunt plenis. Inde pallor, et neruorum vino madentium tremor, et miſerabilior ex cruditatibus, quam ex fame macies. Inde incerti labantium pedes, et ſemper qualis in ipſa ebrietate titubatio. Inde in totam cutem humor admiſſus, diſtentusque venter, dum male adſueſcit plus capere, quam poterat. Inde ſuffuſio luridae bilis, et decolor vultus, tabesque in ſe putreſcentium, et retorti digiti articulis obrigeſcentibus, neruorum ſine ſenſu iacentium torpor, aut palpitatio ſine intermiſſione vibrantium. Quid capitis vertigines dicam? Quid oculorum auriumque tormenta, et cerebri aeſtuantis verminationes, et omnia, per quae exoneramur, internis vlceribus affecta? Innumerabilia praeterea febrium genera, aliarum impetu ſubeuntium, aliarum *Senec. Ep. 95.*

tenui

tenui peste repentium, aliarum cum horrore et multa membrorum quassatione venientium? Quid alios referam innumerabiles morbos, supplicia luxuriae? Immunes erant ab istis malis, qui nondum se deliciis soluerant, qui sibi imperabant, sibi ministrabant. Corpora opere ac vero labore durabant, aut cursu defatigati, aut venatu, aut tellure versata: excipiebat illos cibus, qui nisi esurientibus placere non poterat. Itaque nihil opus erat tam magna medicorum supellectile, nec tot ferramentis, atque pyxidibus. Simplex erat ex simplici caussa valetudo. Multos morbos, multa ferculā fecerunt. Vide, quantum rerum per vnam gulam transiturarum, permisceat luxuria, terrarum marisque vastatrix. Transeo pistorum turbam, transeo ministratorum, per quos, signo dato, ad inferendam coenam discurritur. Dii boni, quantum hominum vnus venter exercet!

Xenoph. Cyr. l. 9. c. 9.

4. Quum autem coenaret Astyages, adhibita filia et Cyro, quod puero coenam illam gratissimam esse vellet, vt domestica minus desideraret: tum patinas ei, tum condimenta cibosque varios admouit. Ibi Cyrum dixisse ferunt: *Quantum tibi, mi aue, negotiorum est in coena, siquidem ad omnes istas patinas manus extendere necesse est, et cibos hosce tam varios degustare!* Tum Astyages: *Quid?* inquit, *an non haec tibi coena multo videtur melior esse Persica?* Ad quae Cyrus: *Nequaquam, aue,* respondit. *Nam via multo simplicior apud nos et rectior est ad satietatem, quam apud vos. Etenim ad eam panis*

et

et caro nos deducunt; quum vos eodem, quo nos, tendentes, multas per ambages sursum deorsum vagantes, vix eo tandem perueniatis, quo dudum delati nos eramus.

Caput XIII.

Omne vitium ebrietas et incendit, et detegit.

1. Turpe est, plus sibi ingerere, quam capiat, et stomachi sui non nosse mensuram. Quam multa ebrii faciunt, quibus sobrii erubescunt? Non est animus in sua potestate, ebrietate deuinctus. Onerati mero, quemadmodum non continent cibum, vino redundante, ita ne secretum quidem: quod suum alienumque est, pariter effundunt. *Seneca Ep. 83.*

Nihil aliud est ebrietas, quam voluntaria insania, et breuis furor. Hinc Alexander Clitum, carissimum sibi ac fidelissimum, inter epulas transfodit; et intellecto facinore, mori voluit, certe debuit. M. Antonium, magnum virum, et ingenii nobilis, quae alia res perdidit, quam ebrietas, nec minor vino Cleopatrae amor? Haec illum res hostem reipublicae, haec hostibus suis imparem reddidit, haec crudelem fecit, quum inter apparatissimas epulas vino grauis, sitiret tamen sanguinem. Fere vinolentiam crudelitas sequitur. *ibid.*

Omne vitium ebrietas et incendit, et detegit; obstantem malis conatibus verecundiam remouet. Vbi possedit animum nimia vis vini, quidquid mali latebat, emergit. Tunc libidinosus ne cubiculum quidem expectat, sed cupiditatibus suis, quantum petie- *ibid.*

Landesbibliothek Oldenburg

tierint, sine dilatione permittit: tunc petulans non linguam, non manum continet. Crescit insolenti superbia, crudelitas saeuo, malignitas liuido. Omne vitium deregitur et prodit. Adiice illam ignorationem sui, dubia et parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, stomachi tormenta, quum efferuescit vinum ac viscera ipsa distendit.

Ibid. 2. Quae gloria est, capere multum vini? Quum penes te palma fuerit, quum omnes viceris virtute magnifica, et nemo tam vini capax fuerit; vinceris a dolio.

Diog. Laert. in Aristip. segm. 33. Aristippus cuidam gloriantis, quod multum bibens non inebriaretur: *Hoc*, inquit, *etiam mulus facit.* Sic Demosthenes, quum legati ad Philippum missi, atque inde Athenas reuersi, Philippum commendarent, vt disertissimum et specie pulcherrimum, et vero etiam strenuum potatorem, et hilarem in conuiuio; non potuit abstinere, quin interueretur ea, et cauillaretur, primum sophistae, *Plut. in Demosth. T. I. p.* 85. feminae alterum, postremum esse spongiae, regis laudem esse nullam. Regem eo nomine laudarent, quod plurimum biberet: *Hoc*, inquit, *ei cum spongia commune est.*

Diog. Laert. in Anach. segm. 104 *segm.* 103 Mirabatur Anarchasis, quod Graeci initio conuiuii cyathis paruis vterentur, vbi vero saturati essent, maioribus; iudicans, potum abhibendum esse tantum ad sedandam sitim: absurdum igitur esse tum bibere, quum iam sitis esset sedata. Idem interrogatus, quo pacto quis vitare posset, ne vini potator fieret: *Si*, inquit, *prae oculis habeat ebriorum inde-*

indecora facta dictaque. Hinc Lacedaemonii, vt liberos ab ebrietate absterrerent, seruos multum vini bibere coactos, atque ita ebrios, in eorum conspectum iubebant venire. *Plutarch. in Lyc. T. I. p. 57.*

Ebrietas, vnius horae hilarem insaniam longi temporis taedio pensat. *Senec. Ep. 59.*

3. Quum Astyagi mirum videretur, quod Cyrus puer, pincernam Sacam egregie imitatus in porrigendo sibi poculo ad bibendum, non praegustasset vinum, vt ille solebat; causam ab eo quaesiuit. Cui Cyrus: *Metuebam,* inquit, *ne vino admistum venenum esset. Nam quum tu nuper die natali amicos conuiuio exciperes, Sacam istum vobis venenum infudisse animaduerti. Videbam vos nec animis, nec corporibus constare. Quae nos pueros facere vetatis, ea faciebatis ipsi. Omnes simul vociferabamini, neque quisquam, quid ab altero diceretur, attendebat. Cantabatis ridicule admodum, iurabatis tamen cantum illum esse optimum. Quin etiam quum surrexissetis ad saltandum, non modo non saltare ad numeros, sed ne recti quidem stare poteratis: prorsusque obliti eratis, et tu, et illi, regem esse te.* Tum Astyages: *An vero,* inquit, *fili mi, pater tuus quum bibit, non fit ebrius? Nunquam profecto,* respondit ille: *sitire enim tantum desinit.* *Xenoph. de instit. Cyr. l. 1. p. 10.*

Caput XIIII.

Coërcendus luxus, et colenda frugalitas.

1. Diogenes, vir ingentis animi, qui se complicuit in dolio, et in eo cubitauit, diuitias, sicut et Democritus, proiecit, onus illas existimans, et effecit, ne quid sibi eripi pos- *Seneca de Tranqu. c. 8. Ep. 90.*

posset. Seruus, quem sibi vnicum seruauerat, quum effugisset; eum reducere, quum monstraretur, tanti non putauit: *Turpe est*, inquit, *Manem sine Diogene posse viuere, Diogenem sine Mane non posse.* Quum vidisset puerum caua manu bibentem aquam; fregit protinus exemtum e perula calicem, hac obiurgatione sui: *Quamdiu homo stultus superuacuas sarcinas habui!*

Quoniam non est tantum roboris nobis, vt tale exemplum sequamur: angustanda certe sunt patrimonia, vt minus ad iniurias fortunae simus expositi. Optimus autem pecuniae modus est, qui nec in paupertatem cadit, nec procul a paupertate discedit. Placebit autem nobis haec mensura, si prius parsimonia placuerit: sine qua nec vllae opes sufficiunt, nec villae satis patent. Poterit ipsa paupertas in diuitias se, aduocata frugalitate, conuertere. Hinc Plinius, ad Caluinam scribens, cui remittebat grandem pecuniae summam, debitam sibi ab eius patre: *Non est*, ait, *quod verearis, ne sit mihi ista onerosa donatio. Sunt quidem omnino nobis modicae facultates, dignitas sumtuosa, reditus, propter conditionem agellorum, nescio minor, an incertior: sed quod cessat ex reditu, frugalitate suppletur; ex qua, velut e fronte, frugalitas nostra decurrit.*

cap. 9.

l. 2. Ep.

Seneca 7. 2. O miserum, si quem delectat sui pa-
benef. c. 10. trimonii liber magnus, et vasta spatia terrarum colenda per vinctos, et immensi greges pecorum per prouincias ac regna pascendi, et familia bellicosis nationibus maior, et aedificia priuata laxitatem vrbium magnarum vin-

vincentia! Si, quidquid habet, ei, quod cupit, comparet, pauper est. Neque enim vnquam expletur, nec satiatur cupiditate sitis. Solebat Attalus hac imagine vti: Vidisti aliquando canem, missa a domino frusta panis, aut carnis, aperto ore captantem? Quidquid excepit, protinus integrum deuorat, et semper ad spem futuri hiat. Idem euenit eiusmodi hominibus, semper ad noua fortunae munera erectis et attentis. *Cicero* 1. *parad.* *Senec. Ep.* 72.

3. Adsuescamus a nobis remouere pompam, seruis paucioribus seruiri, vestes parare, ad quod inuentae sunt, habitare contractius. Discamus membris nostris inniti, naturae voluntati parentes, quae pedes dedit, vt per nos ambularemus, oculos, vt per nos videremus. Discamus victum cultumque non ad noua exempla componere, sed vt maiorum suadent mores. Discamus continentiam augere, luxuriam coërcere, gulam temperare, paupertatem aequis oculis adspicere, frugalitatem colere, etiamsi nos pudebit, desideriis naturalibus paruo parata remedia adhibere, spes effrenatas, et animum in futura eminentem, velut sub vinculis habere: denique id agere, vt diuitias a nobis potius, quam a fortuna, petamus. Facit autem animus sibi diuitias, nihil concupiscendo. *Seneca de Tranqu. c. 9.* *cap. 55.* *Epist. 87.*

4. Age, si quis hoc saeculo, (inquit Valerius,) vir illustris pellibus hoedinis pro stragulis vtatur, tribusque seruis comitatus Hispaniam regat, et quingentorum assium sumtu transmarinam prouinciam petat; eodem cibo, eodemque vino, quo nautae, vti contentus *Valer. l. 4. cap. 3.*

tus sit; nonne mirabilis existimetur? Atqui ista patientissime superior Cato tolerauit, quia illum grata frugalitatis consuetudo, in hoc generae vitae, cum summa dulcedine, cotinebat. Adsueuerat enim ab adolescentia, aquam in bellicis expeditionibus potare, si nimio aestu torqueretur, acetum; si vires deficerent, paullulum vilis vini. Ipse scriptum reliquit, se nunquam vestem induisse, quae maioris pretii, quam centum denariorum, esset: quum Consulatum gereret, idem vinum bibisse, quod opifices, et obsonium ad coenam e foro comparasse triginta sestertiis, idque reipublicae caussa feciisse. Vnde Seneca ait: M. Catonem Censorium tam populo Romano profuit nasci, quam Scipionem: alter enim cum hostibus nostris bellum; alter cum moribus gessit. Canterio vehebatur et hippoperis quidem impositis, vt secum vtilia portaret. O quantum erat saeculi decus, imperatorem triumphalem, Censorium, (et quod super omnia haec est) Catonem, vno caballo esse contentum, et ne toto quidem! partem enim sarcinae ab vtroque latere dependentes, occupabant.

Plut. in Caton. T. 1. p. 336. seq.

Seneca Ep. 87.

Valer. l. 4. cap. 3.

5. Scipio Aemilianus, post duos inclytos consulatus, totidemque suae praecipuae gloriae triumphos, septem seruis sequentibus officio legationis functus est. Et puto Carthaginis et Numantiae spoliis comparare plures potuerat, nisi operum suorum ad se laudem, manubias ad patriam redundare maluisset. Itaque quum per socios, et exteras gentes iter faceret; non mancipia eius, sed victoriae numerabantur: nec quantum auri

et

et argenti, sed quantum amplitudinis pondus secum ferret, aestimabatur.

6. Quum Aetolorum gens omnis vasa argentea, magno pondere, et exquisita arte fabricata, Q. Aelio Tuberoni, consulatum gerenti, misisset per legatos, qui superiori tempore gratulandi caussa ad eum profecti, retulerant, fictilia se in eius mensa vasa vidisse, monitos, ne continentiae, quasi paupertati, succurrendum putarent, cum suis sarcinis abire iussit. Quam bene (exclamat Valerius) Aetolicis domestica praetulerat, si frugalitatis eius exemplum posterior aetas sequi voluisset! Nunc quo ventum est? A seruis vix impetrari potest, ne eam supellectilem fastidiant, qua tunc Consul vti non erubuit. *Valer. l. 4. cap. 3.*

Sexdecim eodem tempore Aelii fuerunt, quibus vna (Romae) domuncula erat eodem loco, quo nunc sunt Mariana monimenta: et vnus in agro Veiente fundus, minus multo cultores desiderans, quam dominos habebat. Princeps ciuitatis, Aemilius Paullus, Aelio Tuberoni, filiam nuptum dedit, cuius penates tam ieiunos pecunia videbat: quae viri paupertate adeo non offensa est, vt illam, propter quam pauper erat, virtutem, maxime admiraretur. *Valer. l. 4 c. 4.* *Plut. in Aemil. T. I. p 257.*

7. Qualis P. Scipionis Africani villa fuerit, quale balneum, scribit ad amicum Seneca: In ipsa Scipionis Africani villa iacens haec tibi scribo: Video villam structam lapide quadrato, murum circumdatum siluae, turres quoque in propugnaculum villae vtrimque subiectas. Balneolum angustum, tenebricosum ex consuetudine antiqua. Ma- *Seneca Ep. 86.*

gna ergo me voluptas, (simul et pudor) subit, contemplantem mores Scipionis ac nostros. In hoc angulo ille Carthaginis horror, cui Roma debet, quod tantum semel capta est, abluebat corpus, laboribus rusticis fessum: exercebat enim opere se, terramque, vt mos fuit priscis, ipse subigebat. Sub hoc ille tecto tam sordido stetit, hoc illum pauimentum tam vile sustinuit. At nunc quis est, qui sic lauari sustineat? Pauper sibi videtur ac sordidus, nisi parietes magnis et pretiosis orbibus refulgeant. In hoc balneo Scipionis minimae sunt rimae magis, quam fenestrae muro lapideo exsectae, vt sine iniuria munimenti lumen admitterent. At nunc blattaria vocant balnea, si qua non ita aptata sunt, vt totius diei solem feneſtris amplissimis recipiant: nisi et lauantur simul et colorantur, nisi ex solio agros et maria prospiciunt.

Caput XV.

Cic. 1. Off. cap. 42.

Nihil est agricultura melius, nihil vberius, nihil homine, nihil libero dignius.

pro Rosc. Amer. 27.

1. In vrbe luxuries creatur: ex luxuria exsistat auaritia necesse est: ex auaritia erumpat audacia. Inde omnia scelera ac maleficia gignuntur. Vita autem rustica, parsimoniae, diligentiae, iustitiae magistra est.

Columel. in praef. Cicero de Senect. c. 16.

Vita rustica sine dubitatione proxima et quasi consanguinea sapientiae est.

2. Mea quidem sententia, haud scio, an vlla beatior esse vita possit, quam eorum, qui agris colendis dant operam: neque solum officio, quod hominum generi vniuer-

so

so cultura agrorum est salutaris: sed et delectatione, et saturitate copiaque omnium rerum, quae ad victum hominum, ad cultum etiam deorum pertinent. Apud maiores nostros summi viri, clarissimique homines, qui omni tempore ad gubernacula reipublicae sedere debebant, tamen in agris quoque colendis aliquantum operae temporisque consumserunt. In agris plerumque viuebant senatores et senes, et a villa in senatum arcessebantur. Sic C. Atilium, qui ad eum arcessendum a senatu missi erant, ad imperium populi Romani suscipiendum, serentem inuenerunt: vnde illi cognomen Serranus fuit. Sed illae rustico opere attritae manus, salutem publicam stabilierunt, ingentes hostium copias pessumdederunt; quaeque modo arantium boum iugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt: nec fuit iis rubori, eburneo scipione deposito, agrestem stiuam aratri repetere. Potest pauperes consolari Atilius, sed multo magis docere locupletes, quam non sit necessaria solidae laudis cupidini nimis anxia diuitiarum comparatio.

pro Rosc. Amer. c. 18.

Valer. l. 4. cap. 4.

Plinius l. 18. cap. 3

3. Minucio neque fortuna, nec vis animi eadem in gerendo negotio fuit. Nam quum haud procul ab hoste castra posuisset, nulla magnopere clade accepta, castris se pauidus tenebat. Quod vbi senserunt hostes, creuit ex metu alieno, vt fit, audacia: et nocte adorti castra, postquam parum vis aperta profecerat, munitiones postero die circumdant. Quae priusquam vndique vallo obiecto clauderent exitus, quinque equites inter statio-

Liuius l. 3. cap. 26.

nes hostium emissi, Romam pertulere, consulem, exercitumque obsideri. Nihil tam nec opinatum, nec insperatum accidere potuit. Itaque tantus pauor, tanta trepidatio fuit, quanta, si vrbem, non castra obsiderent. Nautium consulem arcessunt, in quo quum parum praesidii videretur, dictatoremque dici placeret, qui rem perculsam restitueret: L. Quintius Cincinnatus consensu omnium dicitur. Ille, spes vnica imperii populi Romani, quatuor tantum iugerum colebat agrum: septem enim iugera agri possedit; ex his tria, quae pro amico ad aerarium obsignauerat, multae nomine amisit. Anguste se habitare nunc putat, cuius domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt. Ibi a legatis, seu fossam fodiens palae innixus, seu quum araret, operi certe, id quod constat, agresti intentus, salute data inuicem redditaque, rogatus vt quod bene verteret ipsi, reique publicae, togatus mandata senatus audiret; admiratus rogitansque, satin' salua essent omnia? togam propere e tugurio proferre vxorem Raciliam iubet. Qua simul, absterso puluere ac sudore, velatus processit: dictatorem eum legati gratulantes consalutant; in vrbem vocant: qui terror sit in exercitu, exponunt. Inde in aciem profectus, ne quid a rustici operis imitatione cessaret, victos more pecudum sub iugum misit. Sic expeditione finita, rediit ad boues rursus triumphalis agricola. Fidem numinum! qua velocitate, intra quindecim dies coeptum peractumque bellum, prorsus vt festinasse dictator ad relictum opus videretur.

Valer. l. 4. cap. 4.

Flor. l. 1. c. 11.

4. P.

4. P. Scipio Nasica, quum Aedilitatem Curulem adolescens peteret, manumque cuiusdam, rustico opere duratam, more candidatorum tenacius apprehendisset; ioci gratia interrogauit eum: *Num manibus solitus esset ambulare?* Quod dictum, a circumstantibus exceptum, ad populum manauit, caussamque repulsae Scipioni attulit. Omnes namque rusticae tribus paupertatem sibi ab eo exprobratam iudicantes, iram suam aduersus contumelioſam eius vrbanitatem distrinxerunt. *Valer. l. 7. cap. 5.*

5. Profecto opera, non impensa, cultura constat. C. Furius Cresinus, quum in paruo admodum agello largiores multo fructus perciperet, quam ex amplissimis vicinitas; in inuidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficiis. Quamobrem a Sp. Albino curuli die dicta, metuens damnationem, quum in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, et adduxit filiam validam, atque, vt ait Piso, bene curatam ac vestitam, ferramenta egregie facta, graues ligones, vomeres ponderosos, boues saturos. Postea dixit: *Veneficia mea, Quirites, haec sunt: nec possum vobis ostendere, aut in forum adducere lucubrationes meas, vigiliasque et sudores:* omnium sententiis absolutus. *Plin. l. 18. cap. 6.*

Caput XVI.

Omnes corporis motus decorum teneant.

1. Status, incessus, sessio, accubatio, vultus, oculi, manuum motus, teneant illud decorum: praesertim natura ipsa duce et magistra. *Cicero 1. Offic. c. 35.*

gistra. Quibus in rebus duo maxime fugienda sunt: ne quid effeminatum, aut molle, et ne quid durum, aut rusticum sit.

Xenophon in Lacon. 2. Quum pudorem pueris innasci vehementer cuperet Lycurgus, iussit eos in vicis manum vtramque intra pallium continere, tacitosque incedere, nusquam circumspicientes, et ea tantum intuentes, quae ante pedes essent.

Aelian. V. H. l. 4. c. 42. Xenocrates, Platonis familiaris, dicere solebat: *Nihil interesse, pedesne, an oculos, in aliena domo defigeres. Eodem enim modo, peccare tam eum, qui oculos in loca, quo non conuenit, verteret, quam eum, quid, quo non licitum est, vestigia inferret.*

Cicero 1. Offic. c. 40. Bene Pericles, quum haberet collegam in praetura Sophoclem poëtam, hique de communi officio conuenissent, et casu formosus puer praeteriret, dixissetque Sophocles: *o puerum pulcrum! Pericles: At enim praerem, Sophocle, decet non solum manus, sed etiam oculos abstinentes habere.*

ib. c. 36. 3. Cauendum est, ne aut tarditatibus vtamur ingressu mollioribus, vt pomparum ferculis similes esse videamur; aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates; quae quum fiunt, anhelitus mouentur, vultus mutantur, ora torquentur. Hinc Tigellium ridet Horatius, qui interdum currebat, quasi hostem fugeret, alias lentus incedebat, tanquam Iunonis sacra ferret. Ita:

1. Sat. 3. v. 10

- - - - - saepe velut qui
Currebat fugiens hostem; persaepe velut qui
Iunonis sacra ferret. - - -

CAPVT

CAPVT XVII.

A forma remoueatur ornatus non dignus viro.

1. Quum autem pulcritudinis duo genera sint, quorum in altero venustas sit, in altero dignitas: venustatem, muliebrem ducere debemus: dignitatem, virilem. Ergo et a forma remoueatur omnis viro non dignus ornatus. Formae autem dignitas, coloris bonitate tuenda est: color, exercitationibus corporis. *Cicero* 1. *Offic. c.* 36.

Sint procul a nobis iuuenes, vt femina, comti; *Ouidius Heroid.*

Fine coli modico forma virilis amat. *Ep.* 4. *v.* 75

Forma viros neglecta decet. - - - *et* 1. *de*

Nosti complures iuuenes, barba et coma nitidos, de capsula totos. Nihil ab illis speraueris forte, nihil solidum. *Art. v.* 509 *Seneca Ep.* 115.

Diogenes Cynicus, conspiciens adolescentem cultu gestuque parum virili: *Non te pudet,* inquit, *qui peius tibi velis, quam ipsa natura voluit? Siquidem illa te virum finxit: tu te ipse refingis in feminam.* *Diog. Laert. in Diog. segm.* 65.

Videns quendam Metium, formae caussa sibi nimis placentem Domitianus: *Vellem,* inquit, *tam formosus esse, quam Metius sibi videtur.* *Sueton. in Domit. c.* 20.

Anceps forma bonum mortalibus,
Exigui donum breue temporis,
Vt velox celeri pede laberis!
Res est forma fugax: quis sapiens bono
Confidat fragili? *Seneca in Hypp. v.* 758.

- - - - Rara est concordia formae
Atque pudicitiae - - - *Iuuen. Sat.* 10. *v.* 297.

Seneca de breu. c. 12. 2. Complures videas, quibus apud tonsorem multae horae transmittuntur, dum decerpitur, si quid proxima nocte succreuit, dum de singulis capillis in consilium itur, dum disiecta coma aut restituitur, aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur. Quis est istorum, qui non sollicitior sit de capitis sui decore, quam salute? Qui non comtior esse malit, quam honestior? O homines, inter pectinem et speculum desidiose occupatos!

7. Quaest. cap. 31. Quotidie comminiscimur, per quae virilitati fiat iniuria.

Sueton. in Aug. c. 79. Forma fuit (Augustus) eximia, et per omnes aetatis gradus venustissima: quamquam et omnis lenocinii negligens, et in capite comendo tam incuriosus, vt raptim compluribus simul tonsoribus operam daret: ac modo tonderet, modo raderet barbam; eoque ipso tempore aut legeret aliquid, aut etiam scriberet.

Aelianus V. H. l. 7. c. 20. 3. Regnante apud Lacedaemonios Archidamo, Ceus quidam, aetate prouectus, venit Lacedaemonem; quum vero et alias turgeret superbia, et senectutis suae eum puderet, canos occulere conabatur tinctura. Itaque quum in conspectum Lacedaemoniorum prodiisset, ostenso tali capite, exposuit, quorum gratia venerat. Consurgens itaque Archidamus, rex Lacedaemoniorum: *Quid*, inquit, *hic sani diceret, qui non animum tantum gerit mendacem, sed etiam caput?* Explositque eius dicta: ingenium Cei redarguens ex eis, quae oculis cernebantur.

Spartian. Quum Adrianus Imperator cuidam ca-

ne-

nescenti aliquid negasset; eidem iterum postea accedenti, sed infecto capite, lepide respondit: *Iam hoc patri tuo negaui.* *in Adrian. c. 20.*

Caput XVIII.

E speculo consilium ad quaedam.

1. Ex inuentis speculis venit homini primo sui notitia, deinde et ad quaedam consilium. Formosus, vt vitaret infamiam: deformis, vt sciret, redimendum esse virtutibus, quidquid corpori deesset: iuuenis, vt flore aetatis admoneretur, illud tempus esse discendi, et fortia audendi: senex, vt indecora canis deponeret, et de morte aliquid cogitaret. *Seneca 1. Quaest. c. 16.*

Habebat quidam filiam turpissimam, *Phaedr. l.*
Itidemque insigni et pulcra facie filium. *3. fab. 8.*
Hi speculum, in cathedra matris vt positum fuit,
Pueriliter ludentes, forte inspexerant.
Hic se formosum iactat: illa irascitur,
Nec gloriantis sustinet fratris iocos,
Accipiens (quid enim?) cuncta in contumeliam.
Ergo ad patrem cucurrit, laesura inuicem,
Magnaque inuidia criminatur filium,
Vir natus quod rem feminarum tetigerit.
Amplexus vtrumque ille, et carpens oscula,
Dulcemque in ambos caritatem partiens:
Quotidie, inquit, *speculo vos vti volo:*
Tu formam ne corrumpas nequitiae malis;
Tu faciem vt istam moribus vincas bonis.

Socrates quoque Philosophus dicitur suasisse discipulis, vt qui inspecto speculo for- *Apud Apol. p. 283.*

edit. Elmenh.

mosus sibi videretur, caueret, ne dignitatem corporis malis moribus dedecoraret; qui vero deformis, daret operam, vt virtutis splendore vultus turpitudinem tegeret.

Seneca 1. Quaest. cap. 16.

2. Natura facultatem nobis dedit, nosmetipsos videndi. Fons cuique perlucidus imaginem reddit. Qualem fuisse cultum putas ad hoc speculum se comentium? Aetas illa simplicior, et fortuitis contenta, nondum in vitium beneficium detorquebat, nec inuentum naturae in libidinem luxumque rapiebat. Satis nitidi sibi videbantur, si squalorem, opere collectum, aduerso flumine eluerent. Crinem sibi sine vllo artifice formosi quatiebant, non aliter, quam iubam generosa animalia. Deinde quum insitus sui mortalibus amor dulcem adspectum formae suae faceret, et e terra, metalla effossa sunt; hic in poculo, ille in aere, ad alios vsus comparato, speciem suam inspexit curiosius. Postea rerum iam potiente luxuria, specula totis paria corporibus auro argentoque caelata sunt, denique gemmis adornata: et pluris vnum ex his feminae constitit, quam antiquorum dos fuit illa, quae publice dabatur Imperatorum pauperum filiabus.

Caput XVIIII.

In vestitu mediocritas optima.

Cicero 1. Off. c. 36.

1. Adhibenda est munditia non odiosa, neque exquisita nimis; tantum quae fugiat agrestem et inhumanam negligentiam. Eadem ratio est habenda vestitus: in quo (sicut in plerisque rebus) mediocritas optima est.

Aliter

Alter se iusto plus colit; alter se iusto plus negligit. *Seneca Ep. 114.*

Demosthenem, (Atticae eloquentiae principem,) tradunt vestitu sincero, et cultu corporis nitido venustoque, et nimis accurato, fuisse. Hinc etiam κομψὴ illa χλανὶς καὶ μαλακοὶ χίτωνίσκοι ab aemulis aduersariisque probro dati: hinc etiam turpibus indignisque in eum verbis non temperatum, quin parum vir, ore quoque polluto, diceretur. Ad eundem modum Hortensius, omnibus ferme oratoribus aetatis suae, nisi M. Tullio, clarior, quod multa munditia et circumspecte, compositeque indutus et amictus esset, manusque eius inter agendum forent argutae admodum et gestuosae, maledictis appellationibusque probrosis iactatus est; multaque in eum, quasi in histrionem, in ipsis caussis atque iudiciis, dicta sunt. *A. Gellius l. 1. c. 5.*

Haec ad deridendam Hortensii mollitiem addit Macrobius. Vt bene amictus iret, faciem in speculo ponebat: vbi se intuens togam corpori sic applicabat, vt rugas non forte, sed industria locatas, artifex nodus constringeret, et sinus ex composito defluens nodum lateris ambiret. Is quondam quum incederet elaboratus ad speciem, collegae de iniuriis diem dixit, quod sibi in angustiis obuius offensu fortuito structuram togae destruxerat. *Macrob. 2 Sat. c. 9.*

Venerat ad Augustum Iulia licentiore habitu; et oculos offenderat patris tacentis. Mutauit cultus sui postera die morem, et laetum patrem affectata seueritate complexa est. At ille, qui pridie dolorem suum con- *Idem 2. Sat. c. 5.*

tinuerat, gaudium continere non potuit, et: *Quanto hic*, ait, *in filia Augusti probabilior est cultus!* Non defuit patrocinio suo Iulia his verbis: *hodie enim me patris oculis ornani, heri viri.* Verum frustra Iuliae non semel praeceperat Augustus, temperato tamen inter indulgentiam grauitatemque sermone, moderaretur profusos cultus perspicuosque comitatus. Nam quum ei amicus, vir grauis, suaderet, illam melius facturam, si se composuisset ad exemplar paternae frugalitatis, ait: *Ille oblinisciturr Caesarem se esse: ego memini me Caesaris filiam.* Augustus veste non temere alia, quam domestica vsus est, ab vxore, et sorore, et filia neptibusque confecta. Quod et ab Alexandro Magno factitatum accipimus, antequam Persicos mores et vestes induisset. Nam forte Macedonicas vestes, multamque purpuram, dono ex Macedonia sibi missam, cum his, quae eam confecerant, tradi Sisygambi (captiuae Darii matri) iussit. Omni namque honore eam, et filii quoque pietate prosequebatur. Admonerique iussit, vt si cordi quoque vestis esset, conficere eam neptes suas adsuefaceret, donoque doceret dare. Ad hanc vocem lacrimae obortae prodidere animum adspernantis id munus: quippe non aliud magis in contumeliam Persarum feminae accipiunt, quam admouere lanae manus. Nuntiant, qui dona tulerant, tristem esse Sisygambim, dignaque res excusatione, et solatio visa. Ipse ergo peruenit ad eam, et: *Mater*, inquit, *hanc vestem, qua indutus sum, sororum non solum donum, sed etiam opus, vides.*

Sueton. in Aug. c. 73.

Q. Curtius, l. 5. c. 2.

No-

Noſtri decepere me mores. Caue, obſecro, in contumeliam accipias ignorationem meam.

3. Lycurgus iuuenibus non amplius vna veſte vti toto anno permiſit, nec quenquam cultius, quam alterum progredi, nec epulari opulentius: ne imitatio in luxuriam verteretur. *Iuſtin. l. 3. c. 3.*

Ipſe Lacedaemoniorum rex Ageſilaus, quatuor anni tempeſtatibus vna tantum veſte induebatur; et quum in caſtris inter milites ageret lectum non habebat molliorem, quam alii: hocque ſaepe in ore ei erat: *Principem decere, non mollitie et deliciis, ſed temperantia et fortitudine, priuatis hominibus praeſtare.* Eodem vitae inſtituto etiam ſenex factus vtebatur: et percontanti cuidam, cur per acrem hiemem ſolo pallio tectus obambularet ſine tunica, illa aetate? *Vt*, inquit, *iuuenes hanc vitae rationem imitentur, quum exemplum habeant extremae ſenectutis viros et principes.* *Plutarch. Apophth. T. II. p. 210.* *Aelian. H. V. l. 7. c. 14.*

Quam diſſimilis Ageſilao fuit apud Romanos Nero, cum multis aliis in rebus, tum in veſtitu! nullam veſtem bis induit. *Sueton. in Ner. c. 30*

Quum in regali ſolio ſederet Croeſus, pretioſiſſimis veſtibus indutus; Solonem interrogauit, an pulcrius vnquam ſpectaculum vidiſſet? *Gallos*, inquit ille, *gallinaceos, phaſianos, et pauones: naturali enim, et inimitabili colore ac pulchritudine fulgent.* *Diog. Laert. in Sol. ſegm. 51.*

Caput XX.

Nihil olere ſatius eſt, quam bene olere. *Plin. l. 13. in prooem.*

1. Luxuriam iuuit, multos odores miſce-

re, et e cunctis vnum facere: ita reperta sunt vnguenta. Vnguentum Persarum genti se debet: illi madent eo, et arcessita commendatione, ingluuie natum virus exstinguunt.

Senec. 3. Quaest. c. 13. Clem. Alex. 1. strom. Vnguentarios Lacedaemonii vrbe expulerunt, et propere cedere finibus suis iusserunt: quia oleum disperderent, et mollitiem ac luxum viderentur inuecturi.

Diog. Laert. in Diog. Cuidam adolescenti, vnguentis delibutum caput habenti: *Vide*, inquit Diogenes, *ne bonus capitis odor malum vitae tuae ac famae odorem afferat.*

segm. 66. Sueton. in Vesp. c. 8. Quum adolescens, fragrans vnguento accessisset ad Vespasianum, vt pro impetrata praefectura gratias ageret; hic, ne quam occasionem corrigendi disciplinam praetermitteret, adolescentem nutu adspernatus, voce etiam grauissima increpuit: *Maluissem allium obduisses.* Litterasque reuocauit.

Sen. Ep. 108. 2. In omnem vitam vnguento abstinemus, (ait ipse de se Seneca) quoniam optimus odor in corpore est nullus.

Martial. l. 2. Ep. 12. Hoc mihi suspectum est, quod oles bene, Postume, semper.
Postume, non bene olet, qui bene semper olet.

l. 6. Ep. 55. Rides nos, Coracine, nil olentes;
Malo, quam bene olere, nil olere.

Senec. Ep. 108. 3. Qui in solem venit, licet non in hoc venerit, colorabitur: qui in vnguentaria taberna resederunt, et paullo diutius commorati sunt, odorem secum loci ferunt: et qui apud Philosophum fuerunt, traxerint aliquid

quid necesse est, quod prodesset etiam negligentibus.

Caput XXI.

Dormi, quantum satis est.

1. Sunt autem clariora, vel plane perspicua nec dubitanda indicia naturae, maxime scilicet in homine, sed in omni animali, vt appetat animus aliquid agere semper, neque vlla conditione quietem sempiternam possit pati. Somnum nobis, nisi requietem corporibus, et medicinam quandam laboris afferret, contra naturam putaremus datum: aufert enim sensus, actionemque tollit omnem. Itaque, ne si iucundissimis quidem nos somniis vsuros putemus, Endymionis somnum nobis velimus dari: idque si accidat, mortis instar putemus. Itaque, vt quisque optime natus institutusque est, esse omnino nolit in vita, si gerendis negotiis orbatus, possit paratissimis vesci voluptatibus, et (semper inerti quieti indulgere.) *Cicero 5. de fin. c. 19. et 20. cap. 20.*

Propter nocturnam quietem dimidio tantum quisque spatio vitae suae viuit. Extendamus vitam (agendo:) huius et officium, et argumentum, actus est. Circumscribatur nox, et aliquid ex illa in diem transferatur. *Plin. l. 7. c. 59. Seneca Ep. 122.*

Mycerinus, Aegypti rex, ab oraculo monitus, sex tantum vitae annos sibi supereſſe, hoc excogitauit, vt oraculum, quantum liceret, conuinceret mendacii, et duodecim, pro sex, anni fierent. Quam minime potuit, somno indulsit, et accensis, quum nox appe- *Herodot. l. 2.*

terer,

terer, permultis lucernis, aut domi se continebat, aut agros et nemora peruagabatur.

Ammian. l. 16. p. 62. 2. Iulianus, Imperator, noctes ad officia diuidebat tripartita, quietis, publicae rei, et Musarum. Quod factitasse Alexandrum legimus Magnum, sed multo hic fortius. Ille namque aenea concha supposita, brachio extra cubile protento, pilam tenebat argenteam, vt quum neruorum rigorem sopor laxasset infusus, gestaminis lapsi tinnitus abrumperet somnum. Iulianus vero absque instrumento, quoties voluit, euigilauit, et nocte dimidiata semper exsurgens, non e plumis vel strangulis sericis, ambiguo fulgore nitentibus, sed ex tapete et σισυρᾳ, quam vulgaris simplicitas sisurnam appellat, occulte Mercurio supplicabat.

Senec. Ep. 108. et 83. Laudare solebat Attalus (Philosophus) culcitram, quae resisteret corpori: *tali vtor*, inquit Seneca, *etiam senex, in qua vestigium apparere non possit. Dormio minimum. Consuetudinem meam nosti: breuissimo somno vtor, et quasi interiungo. Satis est mihi, vigilare desiisse. Aliquando dormisse me scio, aliquando suspicor.*

Pythag. v. 40. Vir bonus, qualem ex praeceptis Pythagorae describit Ausonius Idyllio, 8.

Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quam longi reputauerit acta diei:
Vt prauis doleat, capiat vel gaudia iustis.

Cic. de Senect. c. 11. Hunc morem secutus Cato Censorius quid quoque die dixerit, audierit, egerit, commemorabat vesperi.

Quo-

Landesbibliothek Oldenburg

Quotidie ad rationem reddendam vocandus est animus. Faciebat hoc Sextius, vt consummato die, quum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: *Quod hodie malum tuum sanasti? Cui vitio obstitisti? qua parte melior es?* Quid pulcrius hac consuetudine excutiendi totum diem? Vtor, inquit Seneca, hac potestate, et quotidie apud me caussam dico. Quum sublatum e conspectu lumen est, et conticuit vxor, moris iam mei conscia, totum diem mecum scrutor, facta ac dicta mea remetior, nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo. Hoc quoque Horatius a se factitari solitum narrat ipse. *Seneca l. 3. de ira cap. 36.* *l. 1. Sat. 4. v. 132.*

Hoc nos pessimos facit, quod nemo vitam suam respicit. Quid facturi simus, cogitamus, et id raro: quid fecerimus, non cogitamus. Atqui consilium futuri ex praeterito venit. *Sen. Ep. 83.*

4. Turpis, qui alto sole semisomnis iacet, cuius vigilia medio die incipit. Sunt, qui officia lucis noctisque peruertunt. Quanta illa in animo prauitas est, auersari diem, et totam vitam in noctem transferre! Caussa praecipua mihi videtur huius morbi, vitae communis fastidium, et grauis malae conscientiae lux. Quomodo cultu se a ceteris distinguunt, quomodo elegantia coenarum, munditiis vehiculorum, sic volunt separare etiam temporum dispositione. Omnes isti, vt ita dicam, retro viuunt. Omnia vitia contra naturam pugnant. Tenenda nobis via est, quam natura praescripsit, nec ab illa declinandum. *Sen. Ep. 122.*

CAPVT

Caput XXII.

Nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit.

1. Quum Cato Muraenam Consulem saltasse accusasset; his verbis respondit ei Cicero in oratione, quam habuit pro Muraena: Saltatorem appellas L. Muraenam Cato. Maledictum est, si vere obiicitur, vehementis accusatoris: sin falso, maledici conuiciatoris. Quare quum ista sis auctoritate, non debes, Marce Cato, arripere maledictum ex triuio, aut ex scurrarum aliquo conuicio, neque temere Consulem populi Romani saltatorem vocare: sed conspicere, quibus praeterea vitiis affectum esse necesse sit eum, cui vere istud obiici possit. Nemo enim fere saltat sobrius, nisi forte insanit: neque in solitudine, neque in conuiuio moderato atque honesto. Tempestiui conuiuii, amoeni loci, multarum deliciarum comes est extrema saltatio.

cap. 6.

Seuton. in Domic. c. 8 Domitianus quaestorium virum, quod gesticulandi saltandique studio teneretur, mouit senatu.

Macrob. l. 2. Saturn. c. 10. 2. Apud Romanos matronae saltationem non inhonestam putabant, sed inter probas quoque earum erat saltandi cura, dummodo non curiosa vsque ad artis perfectionem. Itaque Sempronìam reprehendit Sallustius, non quod saltare, sed quod optime, sciret. Erat, inquit, litteris graecis et latinis docta; psallere et cantare elegantius

Sallust. Cat. c. 25

tius, quam necesse est probae: multa alia, quae instrumenta luxuriae sunt.

Scipio triumphale illud, et militare corpus mouit ad numeros: non molliter se infringens, vt nunc mos est, etiam incessu ipso vltra muliebrem mollitiem fluentibus: sed vt illi antiqui viri solebant inter lusum ac festa tempora virilem in modum tripudiare, non facturi detrimentum, etiamsi ab hostibus suis spectarentur. *Seneca de Tranq. c. 15.*

Caput XXIII.

Musicae magna vis in vtramque partem.

1. Iam ludi publici, quoniam sunt cauea, circoque diuisi, sint corporum certationes, cursu et pugilatione, luctatione circulisque equorum, vsque ad certam victoriam circo constitutis: cauea, cantu, voce ac fidibus, et tibiis (vti licet;) dummodo ea moderata sint, vt lege praescribitur. Adsentiar enim Platoni, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi sonos: quorum dici vix potest, quanta sit vis in vtramque partem. Namque et incitat languentes, et languefacit excitatos: et tum remittit animos, tum contrahit: ciuitatumque hoc multarum in Graecia interfuit, antiquum vocum seruare modum: quarum mores lapsi ad mollitiem, pariter sunt immutati cum cantibus: aut hac dulcedine corruptelaque deprauati, vt quidam putant; aut, quum seueritas eorum *Cicero 2. de legg. c. 13.*

ob

ob alia vitia cecidisset, tum fuit in auribus animisque mutatis, etiam huic mutationi locus.

Quinctil. l. 1. c. 10. 2. Claros nomine sapientiae viros nemo dubitauerit studiosos musices fuisse. Duces maximos et fidibus, et tibiis ceciniſſe traditum, et exercitus Lacedaemoniorum musices accensos modis. Apud Graecos ille mos fuit, vt in conuiuiis post coenam circumferretur lyra: cuius quum se imperitum Themistocles confessus esset, vt verbis Ciceronis vtar, *habitus est indoctior.* Sed veterum quoque Romanorum epulis fides ac tibias adhibere, moris fuit.

Ibidem. Musicam natura ipsa videtur ad tolerandos facilius labores velut muneri nobis dedisse. Siquidem et remiges cantus hortatur: nec solum in iis operibus, in quibus plurimum conatus, praeeunte aliqua iucunda voce, conspirat, sed etiam singulorum fatigatio quamlibet se rudi modulatione solatur.

ibid. Vt manifestum fiat, inquit Quinctilianus, quae mihi, et quatenus musice placeat: apertius tamen profitendum puto, non hanc a me praecipi, quae nunc in scenis effeminata, et impudicis modis fracta, non ex parte minima, si quid in nobis virilis roboris manebat, excidit: sed qua laudes fortium canebantur, quaque et ipsi fortes canebant.

Seneca de breu. c. 12. 3. Habent isti iners negotium, qui in componendis, audiendis, discendis canticis occupati sunt: dum voceam, cuius rectum cursum

sum natura et primum, et simpliciſſimum fecit, inflexu modulationis ineptiſſime torquent? Quorum digiti quum ad res ſerias, etiam ſaepe triſtes, adhibiti ſunt, exauditur tacita modulatio?

Quum animis inſit natura quaedam diſcendi auiditas; ii culpa non carent, qui circa vana occupantur, honeſtis atque vtilibus praeteritis. Praeclare itaque Antiſthenes, quum quidam praedicaret inſignem tibicinem eſſe Iſmeniam: *At*, inquit, *non magni animi; alioquin non ſit tam inſignis tibicen.* Et Philippus filio Alexandro, quum ſuauiter admodum et perite in conuiuio ceciniſſet: *Non te pudet tam bene canere?* Sat enim eſt, ſi regi audire canentes vacet: et magnum Muſis honorem habet, ſi alios de eiusmodi rerum gloria certantes ſpectet. Qui vero vltro humiles artes exercet, hic ſuam ad vtilia atque honeſta ſectanda ſocordiam profert. Poſt opportunam patris caſtigationem Alexander leuiorem muſicae operam dedit, et delectatus maſculo cantu, molles modulationes, vt morum perniciem, eſt auerſatus. Arceſſiuit ad ſe Timotheum tibicinem: quem ferunt, quum primum artis ſuae ſpecimen Alexandro exhiberet, accommodate ad illius ingenium et mores ceciniſſe, non mollibus et remiſſis modis, ſed ita acribus et incitatis, vt ſtatim Alexander ad arma rapienda exſilierit.

Plut. in Pericle Tom. I. p. 152.

Dio Chryſ. Or. 1. et 3.

Quum deinde Alexander in Aſiam profectus, campos, vbi veteris Ilii ſedes monſtrabatur, peragraret, quodam ex incolis lyram

Plut. in Alex. Tom. I. p. 672.

Aelian. V. H. l. 9. c. 38. lyram Paridis offerente: *Quid*, inquit, *mihi mollium deliciarum vile instrumentum offers? Achillis lyram quaero, qua fortis facta virorum fortium canebat.*

Plut. Lacon. Apophth. Tom. II. p. 220. 4. Demaratus, Lacedaemoniorum rex, earum artium contemtor, quae solummodo delinirent aures, nullam autem publicae rei veram vtilitatem afferrent, audito egregio cantore, id vnum dixit: *Nae iste mihi videtur non male nugari.* Sic Archidamus Lacedaemonius cuidam citharoedam admiranti, ac laudibus extollenti: *O amice*, inquit, *quid honoris ac praemii abs te ferent viri boni, quum citharoedum tantopere laudes?*

Diod. Sicul. 1. Aegyptii musicam non solum inutilem, sed etiam noxiam, ducebant, tanquam virorum animos effeminantem.

Diog. Laert. in Diog. segm. 27. 5. Musicae artis peritos mirari se dicebat Diogenes, qui lyrae chordas ita aptarent, vt suauis concentus existeret, animi vero affectus inconcinnos haberent.

Cicer. 1. Offic. 40. Vt in fidibus, aut in tibiis, quamuis paullum discrepent, tamen id a sciente animaduerti solet: sic viuendum est in vita, ne forte quid discrepet; vel multo etiam magis, quo maior et melior actionum, quam sonorum, concentus est.

Caput XXIIII.

Bonis moribus damnosum est, desidere in spectaculo.

Seneca Ep. 7. 1. Nihil est tam damnosum bonis moribus, quam in aliquo spectaculo desidere: tunc enim per voluptatem facilius vitia sur-

surrepunt. Ego certe confiteor imbecillitatem meam. Nunquam mores, quos (domo) extuli, refero: aliquid ex eo, quod composui, turbatur: aliquid ex his, quae fugaui, redit. Quid multa? auarior redeo, ambitiosior, luxuriosior, immo vero crudelior et inhumanior, quia inter homines fui.

Dixit Ouidius de feminis, ad publica spectacula euntibus: *Ouid.* 1. *art. v.* 99

Spectatum veniunt, veniunt spectentur vt ipsae;
Ille locus casti damna pudoris habet.

2. Comoediam ac tragoediam moribus plurimum nocere existimauit Cicero. Nam postquam retulit aliquos Caecilii versus de amore, exclamat: *O praeclaram emendatricem vitae poëticam! de comoedia loquor, quae, si haec flagitia non probaremus, nulla esset omnino.* Adlatis quoque non paucis versibus, quibus nobiles tragoediarum scriptores, Sophocles et Aeschylus, Herculem et Prometheum intoleranter dolentes exhibuerunt, subiungit: Videsne, poëtae quid mali afferant? lamentantes inducunt fortissimos viros: molliunt animos nostros: ita sunt deinde dulces, vt non legantur modo, sed etiam ediscantur. Sic ad malam domesticam disciplinam, vitamque vmbratilem et delicatam, quum accesserunt etiam poetae, neruos omnes virtutis elidunt. Quas illi obducunt tenebras? quos inuehunt metus? quas inflammant cupiditates? Recte igitur a Platone educuntur ex ea ciuitate, quam finxit ille, quum mores optimos et optimum reipublicae statum exquireret. *Cicero* 4 *Tusc. c.* 32. 2. *Tusc. c.* 11. *Cicero fragm. l.* 4. *de Rep. p.* 395.

3. Quum

Plut. in Solon. T. I p. 95.

3. Quum Thespis egisset ipse Athenis, vt mos fuit veterum, tragoediam, quam scripserat, audiente Solone iam sene: peracta fabula conuenit hominem Solon, quaesiuitque, an ipsum non puderet, tot et talia proferre mendacia, in tanta hominum corona? Respondit Thespis: nihil incommodi esse, haec per ludum fingere ac dicere. Tum indignatus Solon, terra baculo grauiter percussa: *Atque*, inquit, *si hunc ludum probamus et amplectimur, eum breui in pactionibus ceterisque negotiis nostris reperiemus.*

Seneca Ep. 115.

Nec apud Tragicos desunt, qui affectibus nostris facem subdunt, quibus diuitiae velut vnicum vitae decus ornamentumque laudantur, qui lucro innocentiam, salutem, opinionem bonam mutant, qui turpes voluptates iactitant.

Plut. in Lacon.

4. Omnes fabularum actores, histriones, mimos e republica sua exsulare voluerunt Lacedaemonii, vt ciues neminem audirent, qui vel serio, vel ioco, quidquam in leges publicas, et salubriter institutam disciplinam iactaret. Callipides actor tragoediarum, tota Graecia celeberrimus, occurrens aliquando regi Lacedaemoniorum Agesilao, primum salutauit eum, deinde confidenter semet admiscuit iis, qui regem comitabantur, futurum sperans, vt rex ipsum prae ceteris comiter exciperet, propter celebratam, qua sibi plurimum placebat, artem comicam. Quod quum pro spe non succederet; tandem: *Non agnoscis me*, inquit, *o rex?* Tum respiciens eum Agesilaus, id vnum respondit: *An non tues Callipides mimus?*

Plut. in Agesil. Tom. I. p. 607.

Romae

Romae quoque, etsi Comoedia ac Tragoedia populo placebant, omne histrionum genus male audiebat. Itaque Cicero Roscium, Comoedum, pro quo orationem habuit, laudans, haec de illo dixit: *Quum artifex eiusmodi sit Roscius, vt solus dignus videatur esse, qui in scena spectetur: tum vir eiusmodi est, vt solus dignus videatur, qui eo non accedat.* *Cicero pro Quint. c. 25.*

Imperante Tiberio decretum est: ne domos pantomimorum senator introiret: ne egredientes in publicum equites Romani cingerent: aut alibi quam in theatro spectarentur, et spectantium immodestiam exsilii multandi potestas Praetoribus fieret. Pulsi tum histriones Italia. *Tacit. ann. 1. c. 77.* *id. Ann, 4. c. 14:*

Massilia ciuitas seueritatis custos acerrima est: nullum aditum in scenam mimis dando, quorum argumenta maiore ex parte stuprorum continent actus, ne talia spectandi consuetudo etiam imitandi licentiam sumat. *Val. Max. l. 2. c. 6.*

Caput XXVII.

Subducendus populo est tener animus.

1. Quid tibi vitandum praecipue existimem, quaeris? turbam. Nondum enim illi te tuto commiseris. Inimica est multorum conuersatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit. Vtique quo maior est populus, cui commiscemur, hoc periculi plus est. Subducendus populo est tener animus, et parum tenax *Sen. Ep. 7.*

recti: facile transitur ad plures. Hoc est salutare, non conuersari dissimilibus, et diuersa cupientibus. Socrati, Catoni, Laelio excutere mentem suam dissimilis multitudo potuisset: adeo nemo nostrum, qui, quum maxime concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium potest. Vnum exemplum aut luxuriae aut auaritiae, multum mali facit: conuictor delicatus paullatim eneruat et emollit: vicinus diues cupiditatem irritat, etc. quid tu accidere his credis, in quos publice factus est impetus? Recede in te ipsum, quantum potes. Cum his versare, qui te meliorem facturi sunt: illos admitte, quos tu potes facere meliores. Mutuo ista fiunt; et homines, dum docent, discunt.

Diod. Sic. l. 12. 2. Quum Charondas, multarum apud Thurios legum auctor, videret eos, qui optimam naturam sortiti, et bonis artibus instituti essent, plerumque corrumpi, propter iunctam cum flagitiosis hominibus consuetudinem, et multa inde in rempublicam mala redundare; lege cauit, ne quis perditorum ciuium familiaritate vteretur; grauemque multam ei imponi iussit, qui initae cum improbis prauisque hominibus consuetudinis conuictus esset.

CAPVT XXVI.

Est adolescentis, maiores natu vereri.

Cicero 1. *Off. c.* 34. 1. Officia non eadem disparibus aetatibus tribuuntur, aliaque sunt iuuenum, alia seniorum.

Est

Est adolescentis, maiores natu vereri: exque his deligere optimos et probatissimos, quorum consilio atque auctoritate nitatur. Ineuntis enim aetatis insscientia, senum constituenda et regenda prudentia est.

Vt adolescentibus, bona indole praeditis, sapientes senes delectantur, leuiorque fit eorum senectus, qui a iuuentute coluntur et diliguntur: sic adolescentes senum praeceptis gaudent, quibus ad virtutum studia ducuntur. *Cicero de Senect. c. 8.*

Magna fuit quondam capitis reuerentia cani, *Ouid. 5. fast. v. 57.*
Inque suo pretio ruga senilis erat.

Apud antiquissimos Romanorum neque generi, neque pecuniae, praestantior honos tribui, quam aetatis solitus. Maioresque natu a minoribus colebantur, ad Deum prope, et parentum vicem. Atque in omni loco, inque omni specie honoris, priores potioresque habiti. *A. Gellius l. 2. c. 15.*

Credebant hoc grande nefas, et morte piandum, *Iuuen. Sat. 13. v. 54.*
Si iuuenis vetulo non adsurrexerat, et si
Barbato cuicunque puer: licet ipse videret
Plura domi fraga, et maiores glandis aceruos.

E conuiuio quoque seniores a iuuenibus domum deducebantur: eumque morem Romanos ferunt accepisse a Lacedaemoniis, apud quos Lycurgus maximum honorem non diuitum et potentium, sed pro gradu aetatis, senum, esse voluerat. Nec sane vsquam terrarum locum honoratiorem senectus habet: et Lysandrum, Lacedaemonium, dicere aiunt *Iustin. l. 3. cap. 3. Cicero de Senect. c. 18.*

aiunt solitum: *Lacedaemone esse honestissimum domicilium senectutis.*

Cicero ib. Valer. l. 4. cap. 5.

Quum Athenis quidam in theatrum grandis natu venisset spectatum ludos; in magno consessu locus ei a suis ciuibus nusquam est datus: quum autem ad Lacedaemonios accessisset, qui in loco certo consederunt, legati quum essent, consurrexere omnes, sedemque ei inter ipsos honoratissimo loco dederunt. Quod vbi fieri populus adspexit, multiplici plausu alienae vrbis verecundiam comprobauit. Tunc quidam ex illis legatis dixit: *Athenienses scire, quae recta essent, sed facere nolle.*

Plut. in Lacon. Instit. Tom. II. p. 273.

3. Legibus cautum erat apud Lacedaemonios, vt adolescentes non solum parentes suos reuererentur, eisque obedirent, sed seniores quoque omnes colerent. Itaque de via illis decedebant, e sedibus adsurgebant, et consistebant quieti ac verecundantes, dum illi transirent.

Cuilibet seni non modo licebat iuniores omnes monere, et verbis castigare; verum etiam proposita poena erat hoc officium non praestanti: ita, vt qui peccantem iuuenem increpare neglexisset, perinde puniretur, ac si ipse peccasset. Quin id moris erat, vt iuniores a senioribus, sibi obuiam factis, interrogarentur, quonam, et cuius gratia, irent?

Auctor Cor. Eloq. c. 34.

4. Apud maiores nostros iuuenis ille, qui foro et eloquentiae parabatur, imbutus iam domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur a patre, vel a propinquis ad eum oratorem, qui principem locum in ciuitate tenebat. Hunc sectari, hunc prosequi, huius

huius omnibus dictionibus intereſſe, ſiue in iudiciis, ſiue in concionibus, adſueſcebat. Facillime et in optimam partem cognoſcuntur adoleſcentes, qui ſe ad claros et ſapientes viros, bene conſulentes reipublicae, contulerunt. Quibuscum ſi frequentes fuerint, opinionem afferunt populo, eorum fore ſe ſimiles, quos ſibi ipſi delegerint ad imitandum. Ego, inquit Cicero, a patre ita eram deductus ad Scaeuolam, vt, quod poſſem, et liceret, a ſenis latere nunquam diſcederem. Itaque multa ab eo prudenter diſputata, multa etiam breuiter et commode dicta, memoriae mandabam; fierique ſtudebam eius prudentia doctior. Quo mortuo, me ad Pontificem Scaeuolam contuli: quem vnum noſtrae ciuitatis, et ingenio, et iuſtitia praeſtantiſſimum, audeo dicere.

Cicero 2. Offic. c. 12.

de Amic. cap. 1.

Cicero in oratione pro Coelio, his verbis eius adoleſcentiam laudat. Fuit M. Coelii prima aetas, primum ipſius pudore, deinde etiam patris diligentia diſciplinaque, munita: qui, vt filio virilem togam dedit, continuo hunc ad me deduxit. Nemo hunc M. Coelium in illo aetatis flore vidit, niſi aut cum patre, aut mecum, aut in M. Craſſi caſtiſſima domo, quum artibus honeſtiſſimis erudiretur. Fuit adſiduus mecum, Praetore me: a me numquam receſſit.

pro Coel. cap. 4.

5. Erat antiquitus inſtitutum, vt a maioribus natu, non auribus modo, verum etiam oculis, diſceremus, quae facienda; mox ipſi ac per vices quosdam, tradenda minoribus haberemus. Inde adoleſcentuli ſtatim caſtrenſibus ſtipendiis imbuebantur, vt impe-

Plin. l. 8. Epiſt. 14.

rare parendo, duces agere, dum sequuntur, adsuescerent: inde honores petituri adsistebant curiae foribus, et consilii publici spectatores, antequam consortes, erant. Suus cuique parens pro magistro, aut cui parens non erat, maximus quisque et vetustissimus pro parente. Quae potestas referentibus, quod censentibus ius, quae vis magistratibus, quae ceteris libertas; vbi cedendum, vbi resistendum; omnem denique senatorium morem, quod fidelissimum praecipiendi genus, exemplis docebantur.

Caput XXVII.

Vir bonus adspectus et cogitatus emendat.

Seneca Ep. 94. Nulla res magis animos, in prauum inclinantes, reuocat ad rectum, quam bonorum conuersatio. Paullatim enim descendit in pectora, et vim praeceptorum obtinet, frequenter audiri, adspici frequenter: occursus mehercule ipse sapientum iuuat: et est aliquid, quod ex magno viro, vel tacente, proficias.

Plutarch. de Amor. frater. Tom. II. p. 419. seq. Speusippus, sororis Platonis filius, adolescens, omnis officii negligens, iracundus, et libidinosus, quum iustas parentum obiurgationes pati non posset, ad Platonem auunculum venit: qui eum domo exceptum non verbo vllo, non facto, laesit: sed ipse se placidum, atque ab omni ira et libidine vacuum quotidie exhibens, hac arte magnum homini pudorem incussit, et quum illum in admirationem atque imitationem sui rapuit, tum ad Philosophiae studium accendit. Platonem

tonem arguebant amicorum nonnulli, quod proteruum et contumacem adoleſcentem non caſtigaret. *Ego vero,* inquiebat, *caſtigo, et quidem maxime, vitae meae ratione demonſtrans ei diu noctuque, quod ſit honeſtarum et turpium rerum diſcrimen.*

Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, vt ſic, tanquam illo ſpectante, viuamus, et omnia, tanquam illo vidente, faciamus. Hoc, mi Lucili, Epicurus praecepit: cuſtodem nobis et paedagogum dedit: nec immerito. Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis adſiſtat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius auctoritate etiam ſecretum ſuum ſanctius faciat. O felicem illum, qui non adſpectus tantum, ſed etiam cogitatus emendet! O felicem, qui ſic aliquem vereri poteſt, vt ad memoriam quoque eius ſe componat, atque ordinet! Qui ſic aliquem vereri poteſt, cito erit verendus. Elige itaque Catonem. Si hic videtur tibi nimis rigidus, elige remiſſioris animi virum Laelium! elige eum, cuius tibi placuit et vita, et oratio, et ipſius animum ante te ferens et vultus, illum ſemper tibi oſtende vel cuſtodem, vel exemplum. Opus eſt, inquam, aliquo, ad quem mores noſtri ſe ipſi exigant. Niſi ad regulam, praua non corriges. *Seneca Ep.* 11.

Caput XXVIII.

Multa nobis aliorum iudicio et exemplo facienda, aut corrigenda ſunt.

1. Adoleſcenti optimum erit, propter aeta- *Cicero* 1. *Offic.c.*

aetatis inscientiam in iis, quae dubitationem afferent, adhibere doctos homines, vel vsu peritos, et, quid his placeat, exquirere. Vt enim pictores, et ii, qui signa fabricantur, et vero etiam poëtae, suum quisque opus a vulgo considerari vult, vt, si quid reprehensium sit a pluribus, id corrigatur: hique et secum, et cum aliis, quid in eo peccatum sit, exquirunt: sic aliorum iudicio permulta nobis et facienda et non facienda, et mutanda, et corrigenda sunt.

P. Syr. v. 227. Ex vitio alterius sapiens emendat suum.

Plin. l. 8. Ep. 23. Omnia mihi studia, omnes curas, omnia auocamenta exemit, excussit, eripuit dolor, quem ex morte Iunii Auiti grauissimum cepi. Latum clauum in domo mea induerat; suffragio meo adiutus in petendis honoribus fuerat; ad hoc, ita me diligebat, ita verebatur, vt me formatore morum, me quasi magistro, vteretur. Rarum hoc adolescentibus nostris. Nam quotus quisque vel aetati alterius, vel auctoritati, vt minor, cedit? Statim sapiunt, statim sciunt omnia: neminem verentur, imitantur neminem, atque ipsi sibi exempla sunt. Sed non Auitus, cuius haec praecipua prudentia, quod alios prudentiores arbitrabatur: haec praecipua eruditio, quod discere volebat. Semper ille aut de studiis aliquid, aut de officiis vitae consulebat. Semper ita recedebat, vt melior factus; et erat factus, vel eo, quod audierat, vel quod omnino quaesierat.

Plin. l. 35. cap. 10. (Apelles, pictor egregius,) perfecta opera proponebat in pergula transeuntibus: et

et post ipsam tabulam latens, vitia, quae notarentur, auscultabat: vulgum diligentiorem iudicem, quam se praeferens. Feruntque a sutore reprehensum, quod in crepidis vna intus pauciores feciſſet ansas. Eodem, postero die, superbo emendatione pristinae admonitionis, cauillante circa crus, indignatum prospexisse, denunciantem, ne supra crepidam sutor iudicaret: quod et ipsum in prouerbium venit.

2. Ex oculorum obtutu, ex superciliorum aut remissione, aut contractione, ex moestitia, ex hilaritate, ex risu, ex locutione, ex reticentia, ex contentione vocis, ex submissione, et ceteris similibus, facile iudicabimus, quid eorum apte fiat, quid ab officio, naturaque discreper. Quo in genere non est incommodum, quale quodque eorum sit, ex aliis iudicare: vt, si quid dedeceat in aliis, vitemus et ipsi. Fit enim, nescio quo modo, vt magis in aliis cernamus, quam in nobismetipsis, si quid delinquitur. Itaque facillime corriguntur in discendo, quorum vitia imitantur, emendandi causſa, magistri. *Cicero 1. Off. c. 41.*

Peras imposuit Iupiter nobis duas:
Propriis repletam vitiis post tergum dedit,
Alienis ante pectus suspendit grauem.
Hac re videre nostra mala non possumus:
Alii simul delinquunt, censores sumus. *Phaedr. l. 4. fab. 9.*

Aliena vitia in oculis habemus: a tergo nostra sunt. *Senec. 2. de ira c. 28.*

Erat inter discipulos Zenonis adolescens quidam, mire edax, qui in conuiuio nihil fere obsoniorum sodalibus soleret relinquere. Huic appositum aliquando in mensa in- *Diog. Laert. in Zen. segm. 19.*

gentem piscem sustulit Zeno, quasi eum ipse esset solus deuoraturus. Quum vero vorax adolescens in eum intueretur, mirans atque indignabundus: *Quid ergo?* ait Zeno, *num socios edacitatem tuam quotidie aequo animo ferre vis, qui hodie non fers meam?*

Caput XXVIIII.

Adolescentia in labore et patientia est exercenda.

Cicero 1. *Off.* c. 34. 2. *Tusc.* c. 15.

1. Adolescentia maxime a libidinibus arcenda est, exercendaque in labore patientiaque; et in ciuilibus officiis vigeat industria. Itaque illi, qui Graeciae formam rerumpublicarum dederunt, corpora iuuenum firmari labore voluerunt.

Xenoph. in Lacon.

Quum animaduerteret Lycurgus, adolescentes plerumque ad iniuriam faciendam procliues esse, et cupiditatibus voluptatum vehementibus vrgeri: plurimos iis labores imposuit, occupationesque plurimas excogitauit. Cretum leges, itemque Lycurgi, laboribus erudiunt iuuentutem, venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, aestuando. Interminatus, omnem ad honores et imperia aditum occlusum iri ei, qui constituta legibus exercitia refugeret. Vt autem adsuescerent non labori per reliquam vitam cedere, non hosti; in quotidianis inter ipsos exercitationibus, et certaminibus, res omnino serio agebatur, et ad mortem

Cicero 2. *Tusc.* c. 14.

vs-

vsque victoriae instabant. Immo ad aram Dianae certabant inter se pueri ipsi de verberum tolerantia, et qui plura pertulisset, maximam inde gloriam consequebatur.

Spartae (inquit Cicero) pueri ad arma (Dianae) sic verberibus accipiuntur, vt multus e visceribus sanguis exeat: nonnunquam etiam, vt, quum ibi essem, audiebam ad necem. Quorum non modo nemo exclamauit vnquam, sed ne ingemuit quidem. Illi, qui Graeciae formam rerum publicarum dederunt, corpora iuuenum firmari labore voluerunt: quod Spartiatae etiam in feminas transtulerunt: quae ceteris in vrbibus molliſſimo cultu, parietum vmbris occuluntur. Illi autem voluerunt

ibid.

cap. 15.

Nihil horum simile esse apud Lacaenas virgines:
Quibus magis palaestra, Eurotas, sol, puluis, labor,
Militia in studio est, quam fertilitas barbara.

Ergo his laboriosis exercitationibus et dolor intercurrit nonnunquam. Impelluntur, feriuntur, adiiciuntur, cadunt: et ipse labor quasi callum quoddam obducit dolori.

Praeter doloris ac laboris tolerantiam, hoc maxime edocebantur adolescentes Lacedaemonii, imperium pati, non magistratuum solum, parentum, magistrorum, sed etiam quorumuis aetate maiorum. Existimauerat quippe Lycurgus, satius esse reipublicae, habere ciues ad parendum bene

Plutarch. in Lycurg. Tom. I. p. 559.

institutos et promtos, quam magistratus ad imperandum idoneos. Hincque Theopompus, quodam dicente, Spartam incolumem stare, quia reges scirent imperare: *Immo*, inquit, *quia ciues parere.* Quin etiam ob has ipsas caussas (Lycurgi leges et disciplinam) et parentiores habuerunt exercitus, et fortiores.

et in Apoph. Tom. II. p. 231.

Cicero 1. Off. c. 22.

2. Persarum liberi, quos veritati maxime et iustitiae studuisse diximus, ad temperantiam quoque, libidinum domitricem, instituebantur. Propterea non domi apud matres alebantur, sed apud praeceptorem in scholis publicis, ad quas summo mane venientes quotidie, afferebant pro cibo panem, pro obsonio nasturtium, et, aquae e proximo flumine hauriendae caussa, poculum. Accedebat multiplex corporis exercitatio, et seuera magistris parendi disciplina: ad quam obedientiam maxime excitabantur tum adolescentum, tum senum exemplo, quos magistratibus impigre obsequi cernerent. Postquam a pueris excesserant, per decennium diu noctu permanebant in quodam foro, quod Liberale vocabatur, cibum ibi et somnum capientes, vrbis custodiendae et colendae temperantiae caussa. Quanto enim ad vitia procliuior proniorque adolescentia est, eo maiore cura et diligentia eam esse instituendam censebant Persae. Non dabatur huc et illuc discurrendi licentia: et raro a magistris discedebant, nisi venationis caussa. Regem enim tum dimidia adolescentum pars sequebatur, eadem in prandium ferens cibaria et obsonia, quae pue-

Xenoph. Cyrop. l. 1.

pueris dabantur: nec ante venationem peractam licebat prandere. Cui abstinentiae adsuescebant, vt in bello, si quando res cogeret, inediam perpeti possent.

3. Iugurthae regis adolescentiam sic describit Sallustius: Qui, vbi primum adoleuit, pollens viribus, decora facie, sed multo maxime ingenio validus, non se luxui, neque inertiae corrumpendum dedit; sed, vti mos gentis illius est, equitare, iaculari, cursu cum aequalibus certare; et quum omnes gloria anteiret, omnibus tamen carus esse. Ad hoc pleraque tempora in venando agere, leonem atque alias feras primus, aut in primis ferire, plurimum facere, et minimum ipse de se loqui. *Sallust. Iug. c. 6.*

Publius Scipio Aemilianus a tenera aetate graecis litteris apprime imbutus, vt primum licuit, se Polybio ad optima quaeque erudiendum tradidit. Cuius e congressu et contubernio, quod rebus omnibus anteferebat, tantos fructus tulit, vt non modo aequales suos, sed etiam maiores natu, omni virtutum genere superaret. Temperantiae et continentiae laudem, prout aetati conueniebat, ante omnia comparare studuit. Quod quidem valde difficile tunc erat. Mirum enim est, quo impetu ad foedas libidines, et epulas, iuuenes eo tempore ferrentur. Quippe bello Persico diutius tracto, Graecorum in eo genere mollitiem celeriter hauserant Romani, et maximarum diuitiarum compotes facti, habebant affatim, vnde luxuriam suam alerent, atque explerent. At *Diod. Sic. l. 26. Polyb. l. 31.*

Scipio contrarium vitae institutum secutus, et cum omnibus cupiditatibus, tanquam cum teterrimis belluis, colluctatus, intra quinquennium publicam modestiae ac continentiae laudem est adeptus. Haec autem voluptatum abstinentia optimam ei valetudinem corporis attulit, qua per totum vitae spatium vsus, amplissimam temperantiae suae mercedem percepit. Ad studium pudoris, cuius praecipua ei cura fuerat, accessit venandi exercitatio, quae bellicae fortitudinis quaedam esse disciplina videbatur.

Plut. in Solon. T. I. p. 87. *A. Gell. l. c. 18.*

4. Draco Athenienſis, vir bonus, multaque esse prudentia, existimatus est: iurisque diuini, et humani, peritus fuit. Is Draco leges, quibus Athenienses vterentur, primus omnium tulit. In illis legibus furem cuiuscunque modi furti, supplicio capitis puniendum esse, et alia pleraque nimis seuere censuit sanxitque. Eius igitur leges, quoniam videbantur impendio acerbiores, non decreto iussoque, sed tacito illiteratoque Athenienſium consensu obliteratae sunt. Ob earum acerbitates dicebat Demades, videri scriptas fuisse sanguine potius, quam atramento.

Herodot. l. 2.

Amasis quoque, Aegyptiorum rex, lege sanxerat, vt singuli ciues, singulis annis, accederent ad prouinciarum praefectos: quibus quisquis probare non poterat, se profiteri artem aliquam certam et honestam, vnde viueret, tanquam pernicioſus humanae societati ciuis, morte afficiebatur.

Nicol. Damasc.

Lucani publica iudicia instituerant non Desidiae solum, sed etiam Luxuriae. Quin

et

et si quis his vitiis infecto mutuam pecuniam dedisset, ea pecunia mulctabatur.

Caput XXX.

Plura audiamus, loquamur pauca.

1. Ordo atque ratio Pythagorae, ac deinceps familiae successionis eius, recipiendi instituendique discipulos, huiuscemodi fuisse traditur. Iam a principio adolescentes, qui sese ad discendum obtulerant, ἐφυσιογνωμόνει. Id verbum significat, mores naturasque hominum coniectatione quadam, de oris et vultus ingenio, deque totius corporis filo atque habitu scisciatari. Eum, qui exploratus ab eo, idoneusque fuerat, recipi in disciplinam statim iubebat, et tempus certum tacere: non omnes idem, sed aliud aliis tempus pro aestimato captu sollertiae. Is autem, qui tacebat, quae dicebantur ab aliis, audiebat. Neque percontari, si parum intellexerat: neque commentari, quae audierat, fas erat. Sed non minus quisquam tacuit, quam biennium. Hi prorsus appellabantur intra tempus tacendi audiendique ἀκουστικοί. Ast vbi res didicerant rerum omnium difficillimas, tacere audireque, atque esse iam coeperant silentio eruditi, cui erat nomen ἐχεμυθία, tum verba facere, et quaerere, quaeque audissent scribere, et quae ipsi opinarentur, expromere potestas erat. *A. Gell. l. 1. c. 9.*

Erat Epaminondas studiosus audiendi: ex hoc enim facillime disci arbitrabatur. Itaque quum *Corn. Nep. in Epam. c. 3.*

quum in circulum veniſſet, in quo aut de republica diſputaretur, aut de philoſophia ſermo haberetur: numquam inde primus diſceſſit, quam ad finem ſermo eſſet adductus.

Q. Curt. l. 4. c. 6. 2. Alexander, quam regionem Darius petiſſet, omni cura veſtigans, tamen explorare non poterat: more quodam Perſarum, arcana regum mira celantium fide. Non metus, non ſpes elicit vocem, qua prodantur occulta. Vetus diſciplina regum ſilentium vitae periculo ſanxerat. Lingua grauius caſtigatur, quam vllum probrum: nec magnam rem ſuſtineri poſſe credunt ab eo, cui tacere graue ſit; quod homini facillimum voluerit eſſe natura.

Iuſtin. l. 44. c. 2. (Sic et Hiſpani) ſaepe tormentis pro ſilentio rerum creditarum immortui: adeo illis fortior taciturnitatis cura, quam vitae.

Valer. l. 3. cap. 3. Pompeii etiam probabilis virtus: qui, dum legationis officio fungeretur, a Gentio rege interceptus, quum ſenatus conſilia prodere iuberetur, ardenti lucernae admotum digitum cremandum praebuit; eaque patientia regi, ſimul et deſperationem tormentis quidquam ex ſe cognoſcendi excuſſit, et expetendae populi Romani amicitiae magnam cupiditatem ingenerauit.

Diog. Laert. Zenon. ſegm. 23. ſegm. 24. 3. Zeno inepta, et nihil ad rem loquenti adoleſcentulo, *Idcirco*, inquit, *aures habemus duas, et os vnum, vt plura audiamus, loquamur pauca.* Idem, interrogantibus eum legatis regis Ptolomaei, quid de ſe renuntiari regi vellet: *Senem*, inquit, *renuntiate a vobis conſpectum Athenis, qui inter pocula ſeruare ſilentium ſciat.*

Quid

Quid, Xenocratis responsum, quam laudabile! Quum maledico sermoni quorundam summo silentio interesset; vno ex his quaerente, cur solus ita linguam suam cohiberet? *quia dixisse me*, inquit, *aliquando poenituit: tacuisse, nunquam.* *Valer. l. 7. cap. 2.*

Q. Caecilius Metellus Macedonicus amico cuidam, quid esset acturus? roganti: *Tunicam*, inquit, *meam exurerem, si eam consilium meum scire existimarem.* *A. Vict. c. 65.*

Antigonus, Philippo filio multis praesentibus quaerente, quando castra moturus esset? *Ecquid*, inquit, *times, ne solus tubam non audias?* *Plutarch. Apophth. T. II. p. 182.*

Alium silere quod voles, primus sile. *Seneca Hippol. v. 876.*

4. Sermo in circulis, disputationibus, congressibus familiarium versetur: persequatur etiam conuiuia, etc. sit hic sermo lenis, minimeque pertinax: insit in eo lepos. Nec vero, tanquam in possessionem suam venerit, excludat alios: sed quum reliquis in rebus, tum in sermone communi, vicissitudinem non iniquam putet, ac videat inprimis, quibus de rebus loquatur: si seriis, seueritatem adhibeat; si iocosis, leporem, etc. Sed quomodo in omni vita rectissime praecipitur, vt perturbationes fugiamus, id est, motus animi nimios, rationi non obtemperantes: sic eiusmodi motibus sermo debet vacare, ne aut ira existat, aut cupiditas aliqua, aut pigritia, aut ignauia, aut tale aliquid appareat. Profert enim mores plerumque oratio, et animi secreta detegit. Nec sine caussa Graeci prodideruut, vt viuat, quemque etiam dicere. Maxime ve- *Cicero I. Off. c. 37. cap. 38. Quinctil. l. I I. c. I.*

ro curandum, vt eos, quibuscum sermonem conferimus, et vereri, et diligere videamur.

Cic. l. c. 37. Habentur plerumque sermones, aut de domesticis negotiis, aut de republica, aut de artium studiis atque doctrina. Danda igitur opera est, vt, etiamsi aberrare ad alia coeperit, ad haec reuocetur oratio; sed vtcunque aderunt res. Neque enim omnes iisdem de rebus, nec omni tempore, nec similiter delectamur.

Epict. c. 55 Periculosum est etiam ad orationis obscoenitatem progredi. Quum igitur tale quippiam inciderit: aut si feret opportunitas, obiurgabis eum, qui sermonem illum iiecerit; aut taciturnitate saltem, et rubore vultuque ostendes, eam orationem tibi displicuisse.

Caput XXXI.

Adolescentium ludis intersint maiores natu.

Seneca de Tranq. c. 15. 1. Nec in eadem intentione semper retinenda mens, sed ad (lusus et) iocos reuocanda. Cum pueris Socrates ludere non erubescebat. Agesilaus vero arundini insidens equitabat cum filio puero: et quum quidam risisset: *Nunc*, inquit, *tace: quum vero et ipse pater euaseris, tunc patribus con-*

Aelian. l. 12. *c.* 15. *Sueton. in Aug. c.* 83. *filium dabis.* Caesar Augustus, animi laxandi caussa, modo piscabatur hamo, modo talis, aut ocellatis nucibusque ludebat cum pueris minutis, quos facie et garrulitate amabiles vndique conquirebat, praecipue Mauros et Syros. Domitianus inter initia

id. in Domit. c. 3.

prin-

principatus quotidie secretum sibi horarium sumere solebat, nec quidquam amplius, quam muscas captare, ac stilo praeacuto configere: vt cuidam interroganti, essetne quis intus cum Caesare, non absurde responsum sit a Vibio Crispo: *Ne musca quidem.*

Laelium ferunt semper fere cum Scipione solitum rusticari, eosque incredibiliter repuerascere esse solitos, quum rus ex vrbe, tanquam e vinculis euolauissent. Non audeo dicere de talibus viris, sed tamen ita solet narrare Scaeuola, conchas eos, et vmbilicos ad Caietam, et ad Laurentum legere consueesse, et ad omnem animi remissionem ludumque descendere. Sic enim se res habet, vt, quemadmodum volucres videmus procreationis, atque vtilitatis suae caussa singere et construere nidos, easdem autem, quum aliquid effecerint, leuandi laboris sui caussa, passim ac libere solutas opere volitare: sic nostri animi forensibus negotiis, atque vrbano opere defessi, gestiunt, ac volitare cupiunt, vacui cura atque labore. *Cicero 2. de Orat. c. 6.*

2. Amasim, Aegyptiorum regem, quum admonerent amici, eum parum e regia dignitate facere, quod inter epulas iocaretur: *Qui*, inquit, *arcum habent, eum, quum est opus, intendunt, mox remittunt: si enim perpetuo intentus sit, frangatur necesse est, ita vt eo amplius vti non possint. Eadem est hominis ratio. Si adsidue seria tractare, et nihil sibi ad lusum indulgere velit: sensim membris aut animo captus fiet.* *Herodot. l. 2.*

Puerorum in turba quidam ludentem *Phaedr. l.*

Atticus *3. fab. 14.*

Aeso-

Aesopum nucibus quum vidisset, restitit,
Et quasi delirum risit. Quod sensit simul
Derisor potius, quam deridendus senex;
Arcum retensum posuit in media via:
Heus, inquit, *sapiens, expedi, quid fecerim.*
Concurrit populus: ille se torquet diu,
Nec quaestionis positae caussam intelligit;
Nouissime succumbit. Tum victor Sophus:
Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris:
At si laxaris, quum voles, erit vtilis.
Sic lusus animo debent aliquando dari.
Ad cogitandum melior vt redeat tibi.

Seneca de Tranq. c. 15. Danda est remissio animis; meliores acriores que requieti surgent. Vt fertilibus agris non est imperandum: cito enim exhauriet illos nunquam intermissa foecunditas; ita animorum impetus adsiduus labor frangit.

ibid. 3. Vires recipient paullum resoluti, et remissi. Nascitur ex adsiduitate laborum, animorum hebetatio quaedam, et languor: nec ad hoc tanta hominum cupiditas tenderet, nisi naturalem quandam voluptatem haberes lusus iocusque: quorum frequens vsus, omne animis pondus, omnemque vim eripiet. Nam et somnus refectioni (corporis) necessarius est: hunc tamen si per diem noctemque continues, mors erit. Multum interest, remittas aliquid, an soluas. (Itaque tantum) indulgendum est animo, dandumque subinde otium, quod alimenti ac virium loco sit.

Cicer. Off. c. 34. 4. Quum (adolescentes) relaxare animos, et dare se iucunditati volent, caueant intemperan-

perantiam, meminerint verecundiae, (sine qua nihil rectum esse potest, nihil honestum:) quod erit facilius, si eiusmodi quoque rebus maiores natu interesse velint: Ipsa quippe seniorum, sicut et magistratuum, praesentia ante oculos posita, verum pudorem et liberalem timorem animis solet infundere. *c. 41.* *Aristot. 7. polit. c. 12*

Prodest sine dubio, custodem sibi imposuisse, et habere, quem respicias, quem interesse cogitationibus tuis iudices. Omnia enim nobis mala solitudo persuadet. Quum iam profeceris tantum, vt sit tibi etiam tui reuerentia, licebit dimittas paedagogum; interim te aliquorum auctoritate custodi. *Senec. Ep. 25.*

Verba quis auderet coram sene digna rubore
Dicere? *Ouid. 5. fastor. v. 69.*

Hinc Persae, qui in liberorum institutione plurimum studii ac diligentiae ponebant, lectos e senioribus viros iis praeficiebant: et Lacedaemonii omnibus suorum ludis maiores natu volebant interesse. *Xenoph. Cyr. l. 1. Plut. in Lycurg. Tom. I. p. 51.*

Caput XXXII.

In ludo ac ioco modus retinendus.

1. Interrogatus Socrates, quaenam iuuenum virtus esset, respondit: *Ne quid nimis.* *Diog. Laert. in Socr. segm. 32.*

Ludendi est quidam modus retinendus, vt ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur. *Cic. 1 Off. c. 29. etc.*

Appetitus omnes contrahendi sedandique sunt, excitanda animaduersio et diligentia *ibid.*

tia, vt ne quid temere ac fortuito, inconsiderate negligenterque agamus. Neque enim ita generati a natura sumus, vt ad ludum, et iocum facti esse videamur: sed ad seueritatem potius, et ad quaedam studia grauiora atque maiors.

Ludo autem, et ioco vti illo quidem licet: sed sicut somno, et quietibus ceteris, tum quum grauibus seriisque rebus satisfecerimut.

2. Ipsum genus iocandi non profusum, nec immodestum, sed ingenuum et facetum esse debet. Vt enim pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam, quae ab honestis actionibus non sit aliena: sic in ipso ioco aliquod probi ingenii lumen eluceat.

Ibidem. Duplex omnino est iocandi genus: vnum illiberale, petulans, flagitiosum, obscoenum; alterum elegans, vrbanum, ingeniosum, facetum. Quo genere non modo Plautus noster, et Atticorum antiqua comoedia, sed etiam Philosophorum Socraticorum libri referti sunt: multaque multorum facete dicta.

Facilis est distinctio ingenui et illiberalis ioci. Alter est, si tempore fit ac remisso animo, homine dignus: alter, ne libero quidem, si rerum turpitudini adhibeatur verborum obscoenitas.

Herod. l. 1 Persae, quaecunque factu turpia erant, eadem et dictu turpia censebant. Itaque nihil dicere licebat, quod non facere fas esset.

P. Syrus v. 792. Quod facere turpe est, dicere ne honestum puta.

Dio apud Stob. 3. Iocis, tamquam sale, parce vtendum. Vi-

Vitandum est, ne aut scurrilis iocus sit, aut mimicus.

Laedere nunquam velimus, longeque absit propositum illud, potius amicum, quam dictum, perdidi. *Cicero* 1. *de Orat. c.* 59.

Aduersus miseros inhumanus est iocus. *Quinctil. l.* 6. *c.* 3.

Ea, quae dicit vir bonus, salua dignitate et verecundia dicet: nimium enim risus pretium est, si probitatis impendio constat.

Oratori longe recedendum est ab omni obscoenitate et verborum et sensuum. Quaedam satius est cum caussae detrimento tacere, quam cum verecundia dicere. *Seneca Ex.* 1. *contr. l.* 1.

Caput XXXIII.

Est cui magno constiit dicterium.

(Tiberius) scurram, qui praetereunte funere, elato mortuo mandarat, vt nunciaret Augusto, *nondum reddi legata, quae plebi reliquisset*, attractum ad se, recipere debitum, ducique ad supplicium imperauit, et patri suo verum referre. *Sueton. in Tiber. c.* 57.

Longe alio in dicaces animo antea fuerat Tiberius. Nam aduersus conuicia, malosque rumores, et famosa de se ac suis carmina, firmus ac patiens, subinde iactabat: *In ciuitate libera linguam mentemque liberas esse debere.* Et quondam senatu cognitionem de eiusmodi criminibus ac reis flagitante: *non tantum*, inquit, *otii habemus, vt implicare nos pluribus negotiis debeamus. Si hanc feneſtram aperueritis, nihil aliud agi sinetis: omnium inimicitiae hoc practextu ad vos deferentur.* Extat et sermo eius in Sena- *Sueton. Tiber.* 28.

tu

tu perciuilis: *Si quidem locutus aliter fuerit, dabo operam, vt rationem factorum meorum dictorumque reddam: si perseuerauerit, inuicem eum odero.*

Macrob. 7. Sat. c. 3

2. Oculorum orbitas non sine excitatione commotionis obiicitur. Quippe Antigonus rex Theocritum Chium, de quo iurauerat, quod ei parsurus esset, occidit propter scomma ab eodem de se dictum. Quum enim quasi puniendus ad Antigonum raperetur, solantibus eum amicis, ac spem pollicentibus, quod omnimode clementiam regis experturus esset, quum ad oculos eius veniisset: *ergo*, inquit, *impossibilem mihi dicitis spem salutis.* Erat autem Antigonus vno orbatus oculo, et importuna vrbanitas maledicacem luce priuauit.

Athen. l. 14. cap. 1.

3. Thacus, Aegyptiorum rex, factus est ex rege priuatus, quod Agesilaum, Lacedaemoniorum regem, dicto salso et amaro vellicasset, quo tempore ad se venerat belli adiutor futurus. Quoniam enim Agesilaus breui corporis statura erat, hoc ex Aesopi fabulis memorauit Thacus:

Phaedr. l. 4 fab. 22.

Mons parturibat, gemitus immanes ciens;
Eratque in terris maxima expectatio.
At ille murem peperit.

Quae quum audisset Agesilaus; ira percitus: *videbor*, inquit, *tibi aliquando etiam leo.* Postea regno spoliatus Thacus ad Persas fugere coactus est.

Valer. l. 7. c. 5.

Scipionem Nasicam, quum aedilitatem peteret, repulsam passum esse, supra retulimus, quod ciuem, cuius manus erant

ustico labore duratae, interrogasset, *An manibus solitus esset ambulare?*

Plerumque stulti risum dum captant leuem, Graui destringunt alios contumelia. Et sibi nociuum concitant periculum. *Phaedr. l. 1 fab. 29.*

Caput XXXIIII.

Facete dicta, aut facta.

1. Quum ad poëtam Ennium venisset Nasica, eique, ab ostio quaerenti Ennium, ancilla dixisset, domi non esse; Nasica sensit, illam domini iussu dixisse, et illum intus esse. Paucis post diebus, quum ad Nasicam venisset Ennius, et eum a ianua quaereret? exclamat Nasica, *se domi non esse.* Tum Ennius: *Quid? ego non cognosco vocem*, inquit, *tuam?* Hic Nasica: *Homo es impudens: ego, quum te quaererem, ancillae tuae credidi, te domi non esse; tu mihi non credis ipsi?* *Cicero 2. de Orat. c. 68.*

Siculus quidam, cui praetor Scipio patronum causae dabat hospitem suum, hominem nobilem, sed admodum stultum: *Quaeso*, inquit, *praetor, aduersario meo da istum patronum, deinde mihi neminem dederis.* *cap. 69.*

Patrono malo, quum vocem in dicendo obtudisset, suadebat Granius, vt mulsum frigidum biberet, simul ac domum rediisset: *Perdam*, inquit, *vocem, si id fecero. Melius est*, inquit, (Granius) *quam reum.* *Ibid. c. 70.*

Crassum, quum causam oraret, Lucio Heluio Lamia, homine deformi, odiose interpellante: *Audiamus*, inquit, *pulcellum puerum*, Crassus. Quum esset arrisum: *Non* *cap. 65.*

potui mihi, inquit Lamia, *formam ipse fingere: ingenium potui.* Tum hic: *Audiamus*, inquit, *disertum.*

Cicero de Orat. c. 69

2. Quum orator malus, in epilogo misericordiam se mouisse putaret; rogauit Catulum, videretne misericordiam mouisse? *Ac magnam quidem*; inquit Catulus, *neminem enim puto esse tam durum, cui non oratio tua miseranda visa sit.*

Diod. Sic. l. 15. Cic. 5. Tusc. c. 22.

Poëmatis scribendis operam dabat Siciliae tyrannus, Dionysius: (et quoniam in hoc genere, nescio quo pacto, magis, quam in aliis, suum cuique pulcrum est, et adhuc neminem cognoui poëtam, qui sibi non optimus videatur) magis ob carmina, quam propter res bello bene gestas, sese iactabat. Arcesserat ad se, et praecipuo in honore habebat, quoscunque vsquam arte poëtica nobiles esse audierat, eorumque iudiciis poëmata sua permittebat. At illi, ne regis beneuolentiam et munera amitterent, quae scribebat, omnia probabant ac laudabant. Aderat inter eos Philoxenus, celeberrimus dithyramborum versuum artifex: qui vnus adulari nescius, quum aliquando inepta a Dionysio recitata carmina audiuisset, de iis, quid sentiret, libere aperuit. Qua libertate offensus rex poëta, reprehensorem suum a satellitibus abripi, et in latomias, qui publicus carcer erat, detrudi iussit. Sed postridie ab amicis, Philoxeno veniam dari, postulantibus, exoratus rursus ad epulas eum adhibuit. Carmina sua, vt solebat, ipse mirum in modum extulit: et de quibusdam versibus, quos omnium optimos existimabat,

bat, sententiam Philoxeni exquisiuit. Ille nulla ad regis interrogationem responsione facta, eius satellites vocauit, seque ad latomias reduci iussit. Tum facetam libertatem, quae omnium conuiuarum risu excepta fuerat, aequo animo tulit Dionysius.

Non multo post admonitus oratusque ab amicis Philoxenus, vt a tam aperta loquendi licentia tandem abstineret, pollicitus est, se deinceps effecturum, vt et vera diceret, et Dionysii beneuolentiam tamen retineret. Nec sane fefellit. Nam, quum deinde tyrannus, quibusdam versibus, qui miserabiles affectus exprimerent, recitatis, illum interrogasset, quales hi tandem viderentur? *Miserabiles*, respondit. Qua verbi ambiguitate praestitit, quod erat pollicitus. Rex enim ita accepit, quasi Philoxenus versus suos ad mouendam commiserationem idoneos esse respondisset, atque adeo illos laudasset; alii vero sic interpretabantur (quae erat vera dicterii sententia,) quasi miseros, hoc est, pessimos, dixisset versus illos.

2. Lucernam accensam circumferens Diogenes, ambulauit in foro clarissima luce quaerenti similis. Rogantibus, quid ageret, *hominem*, inquit, *quaero*: notans publicos ciuitatis mores, in qua vix quisquam dignus esset hominis nomine. *Diog. Laert. in Diog. segm. 41.*

Animaduertens quendam imperite iaculantem, proxime scopum consedit: et quum ex eo quaereretur, cur id faceret: *ne forte*, inquit, *ille me feriat.* *segm. 45.*

Ad Antisthenem, quem ferre molestius morbi dolores audierat, accessit cum sica: *In Ant. segm. 18. et 19.*

et, quum ei dixisset Antisthenes: *Quis me hisce doloribus liberabit?* Ille, ostensa sica: *Haec*, ait. Cui Antisthenes: *doloribus*, inquit, *dixi*, *non vita.*

Liuius l. 9. c. 16. 4. Praenestinus praetor per timorem segnius ex subsidiis suos duxerat in primam aciem. Quem, victis hostibus, quam Papirius Cursor, consul, inambulans iussisset ante tabernaculum vocari, lictorem expedire securim iussit. Ad quam vocem exanimi stante Praenestino: *Agedum lictor*, inquit, *excide radicem hanc incommodam ambulantibus.* Perfusumque vltimi supplicii metu, mulcta dicta, dimisit.

Macrob. 2 Satur. c. 4. Exceptus est a quodam (Augustus) coena satis parca, et quasi quotidiana. Nam paene nulli se inuitanti negabat. Post epulum igitur inops, ac sine vllo apparatu discedens, vale dicenti hoc tantum insusurrauit: *Non putabam, me tibi tam familiarem.*

Sueton. in Tib. c. 52. Ilienſium legatis paullo serius Tiberium consolantibus (de morte filii Drusi) quasi obliterata iam doloris memoria, irridens: *se quoque*, respondit, *vicem eorum dolere, quod egregium ciuem Hectorem amisissent.* (Effluxerant autem tum plus, quam mille anni a morte Hectoris.)

Quinctil. l. 6. c. 3. 5. Cicero, quum ei, testem in iudicio Verri roganti, dixisset Hortensius: *Non intelligo haec aenigmata. Atqui debes, quam sphingem domi habeas.* Acceperat autem ille a Verre sphingem aeneam magnae pecuniae.

Plutarch. in Caesare T. I p. 735 Maximo, consule, mortuo die Decembris vltimo, Caesar consulem hora septima in reliquam partem diei renuntiauerat Canium

nium. Quem quum plerique irent salutatum de more: *Festinemus*, inquit Cicero, *priusquam abeat magistratu.* De eodem Caninio scripsit Cicero: *Ita, Caninio consule, scito neminem prandisse. Nihil tamen eo consule mali factum est. Fuit enim mirifica vigilantia* (Caninius:) *qui suo toto Consulatu somnum non viderit.* *Cicero 7. ad fam. mil. Ep. 30.*

Quidam adolescens, quem fama erat patri venenum dedisse in placenta, agebat ferocius, et Ciceroni probra ac maledicta minabatur; cui Cicero: *Hoc*, inquit, *malo a te, quam placentam.* *Plut. in Cic. Tom. I. p. 871. seq.*

Fabiae Dolabellae, triginta dicenti se annos habere: *Verum est*, inquit Cicero, *nam hoc iam viginti annis audio.* *Quintil. l. 6. c. 3.*

6. Quum, parta Actiaca victoria, Romam ingrederetur Augustus; occurrit et inter gratulantes opifex quidam, coruum tenens, quem instituerat, haec dicere: *Aue Caesar, victor, imperator.* Miratur Caesar officiosam auem, viginti millibus nummorum emit. Socius opificis, ad quem nihil ex illa liberalitate peruenerat, affirmauit Caesari, habere illum et alium coruum, quem vt afferre cogeretur, rogauit. Adlatus verba, quae didicerat, expressit: *Aue victor, imperator, Antoni.* Nihil exasperatus (Augustus) satis duxit, iubere, illum diuidere donatiuum cum contubernali. Salutatus similiter a psittaco, emi eum iussit. Idem miratus in pica, hanc quoque redemit. Exemplum sutorem pauperem sollicitauit, vt coruum institueret ad parem salutationem, qui impendio exhaustus, saepe ad *Macrob. 2 Satur. c. 4.*

auem non respondentem dicere solebat: *Opera et impensa periit.* Aliquando tamen coruus coepit dicere dictatam salutationem. Hac audita, dum transit Augustus, respondit: *Satis domi salutatorum talium habeo.* Superfuit coruo memoria, vt et illa quibus dominum querentem solebat audire, subtexeret: *Opera et impensa periit.* Ad quod Caesar risit, emique auem iussit, quanti nullam adhuc emerat.

Vid. Solebat descendenti a palatio Caesari Augusto honorificum aliquod epigramma porrigere Graeculus. Id quum frustra sape fecisset, rursumque eum idem facturum vidisset Augustus; breue sua manu in charta exarauit graecum epigramma; pergenti deinde ad se obuiam misit. Ille legendo laudare; mirari tam voce, quam vultu: quumque accessisset ad sellam, *qua Caesar vehebatur*, demissa in pauperem fundam manu, paucos denarios protulit, quos principi daret. Adiectus hic sermo: νὴ τὴν σὴν τύχην, Σέβαστε, εἰ πλέον εἶχον, πλέον ἔδιδον. Secuto omnium risu, dispensatorem Caesar vocauit, et sestertia centum millia numerari Graeculo iussit.

Sueton. de gram. c. 12 7. Quum M. Pomponius Marcellus ex oratione Tiberium reprehendisset, affirmante Atteio Capitone, et esse illud latinum, et si non esset, futurum: *Certe iam inde mentitur*, inquit, *Capito: Tu enim, Caesar, ciuitatem dare potes hominibus, verbis non potes.*

Spart. in Hadr. c. 15. Quum Fauorini, viri Graecae ac Latinae lin-

linguae peritissimi, verbum quoddam ab Adriano Imperatore reprehensum esset, atque ille cessisset: arguentibus eum amicis, quod male cederet Adriano de verbo, quod idonei auctores vsurpassent; risum iucundissimum mouit. At enim: *Non recte suadetis familiares, qui non patimini, me illum doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones.*

8. Quum inter duos scelestos iudex esset Philippus, Macedoniae rex; audita caussa, pronunciauit: *Vt alter e Macedonia fugeret, alter illum insequeretur.* Hoc faceto iudicio vtrumque exulem esse iussit. *Plut. Apophth. T. II. p. 176.*

Deridenda erat, et sane derisui ab eodem Philippo habita est Menecratis, medici inanis, superbia. Ille Syracusanus fuit: qui, quia comitialibus morbis medebatur, in eam arrogantiam est prolapsus, vt ipse se Iouem diceret. Hanc autem ab iis, quos curabat, mercedem paciscebatur, vt se per vrbes Graeciae euntem comitarentur, minorum deorum nomina et ornatum gerentes. Misit aliquando ad Philippum litteras, quibus erat haec praefixa salutatio: *Menecrates Iupiter Philippo felicitatem.* Ad ea Philippus rescripsit: *Philippus Menecrati sanitatem: Suadeo tibi, vt Anticyram te conferas.* In vrbe autem Anticyra vel optimum nascebatur, vel optime temperabatur, helleborum, quo cerebrum purgabatur. Quum in Macedoniam ad Philippum venisset; lautissimum instrui conuiuium rex iussit, et nouo Ioui, ad epulas vocato, lectum seorsim parari, cum pro cibo acerram apponi. Ita *Aelian. V. H. l. 12. c. 51. Athen. l. 7. cap. 10.*

suffitus ei fiebat, dum ceteri conuiuae exquisitis vescebantur cibis. Gaudere primum Menecrates tali honore. At vbi, obrepente sensim fame, nihil escae apponebatur esurienti, seque solo odore turis a rege pasci tandem intellexit; ieiunus et irrisus discessit.

CAPVT XXXV.

Excitatur laude aemulatio.

Quinctil. l. 1. c. 2.

1. Quum Quinctilianus tractat quaestionem, vtiliusne sit domi, atque intra priuatos parietes, studentem continere, an frequentiae scholarum, et velut publicis praeceptoribus tradere; (inter alia publicae institutionis commoda hoc praecipuum praedicat,) quod domi ea sola discere potest, quae ipsi praecipientur: in schola, etiam quae aliis. Audiet, multa quotidie probari, multa corrigi: proderit alicuius obiurgata desidia: proderit laudata industria: excitabitur laude aemulatio: turpe ducet, cedere pari; pulcrum, superasse maiores. Accendunt omnia haec animos: et licet ipsa vitium sit ambitio, frequenter tamen caussa virtutum est.

Cicero 5. de fin. c. 22

Honesta quae dico praeterquam quod nosmetipsos diligamus, praeterea suapte natura per se esse expetenda, indicant pueri: in quibus, vt in speculis, natura cernitur. Quanta studia decertantium sunt? quanta ipsa certamina? vt illi efferuntur laetitia, quum vicerint? vt pudet victos? vt se accusari nolunt? vt cupiunt laudari? quos illi labores non perferunt, vt aequalium principes

cipes sint? quae memoria est in his bene merentium? quae referendae gratiae cupiditas? atque ea in optima quaque indole maxime apparent.

Vtile est, habere, quos imitari primum, mox vincere, velis. *Quinctil. l. 1. c. 2.*

2. Noctu ambulabat in publico Themistocles, quod somnum capere non posset: quaerentibusque respondebat: *Miltiadis tropaeis se e somno suscitari.* *Cic. 4. Tusc. c. 18.*

Cui non sunt auditae Demosthenis vigiliae? Qui dolere se aiebat, si quando opificum antelucana victus esset industria.

Aristoteles, vir summo ingenio, scientiae copia, quum motus esset Isocratis rhetoris gloria, dicere etiam coepit, adolescentes docere, et prudentiam cum eloquentia iungere, ad quam Xenocratis quoque exemplo incensus accesserat. *1 Tusc. c. 4 Diog. Laert. in Arist. segm. 3.*

3. Alexander, paternae laudis aemulator, quum eum vrbem aliquam nobilem expugnasse, aut insigni victoria potitum esse acciperet; adeo non eiusmodi nuntiis laetabatur, vt inter aequales exclamaret: *O amici, omnia nobis praeripiet pater, nec quidquam magnificum gerendum relinquet!* Achillis quoque, a quo se originem ducere praedicabat, fortitudinem et gloriam, ab Homero carminibus celebratam, aemulatus, quum ad eius tumulum in Sigaeo adstitisset: *O fortunate,* inquit, *adolescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inueneris!* Et vere. Nam, nisi Ilias illa exstitisset, idem tumulus, qui corpus Achillis contexerat, nomen etiam obruisset. *Plut. in Alex. T. I. p. 666.*

Plut. in Caes. Tom. I. p. 712. Iulium Caesarem ferunt, quum in Hispania, quo reipublicae caussa missus erat, legendis Alexandri rebus gestis vacaret, aliquando diu secum cogitabundum haesisse, deinde lacrimas profudisse. Quarum caussam quaerentibus amicis: *Nonne*, inquit, *idonea dolendi caussa est, quod nihil dum praeclare egerim, eam aetatem adeptus, qua Alexander multa regna vincendo peragrauerat?*

Cicero I. Tusc. c. 2. 4. Honor alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria, iacentque ea semper, quae apud quosque improbantur. Quo minus igitur (honoris erat poëtis apud veteres Romanos,) eo minora studia fuerunt: seroque ab illis poëtae vel cogniti, vel recepti.

Caput XXXVI.

Famae consulendum est.

Cic. I. Off. c. 28 Quum nobis a natura constantiae, moderationis, temperantiae, verecundiae partes datae sint: quumque eadem natura doceat non negligere, quemadmodum nos aduersus homines geramus: est hominis ingenui et liberaliter educati, velle bene audire a parentibus, a propinquis, a bonis etiam viris; vt non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti, negligere, quid de se quisque sentiat. Vt enim pulcritudo corporis apta compositione membrorum mouet oculos, et delectat hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt: sic hoc decorum, quod elucet in vita,

Fin. c. 17.

mo-

mouet approbationem eorum, quibuscum viuitur, ordine, et constantia, et moderatione dictorum omnium atque factorum.

Si cupis bene audire, disce bene dicere, et recte agere: sic enim perfrueris bona fama. *Stob. serm.*

Praeclare Socrates, hanc viam ad gloriam proximam, et quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, vt, qualis haberi vellet, talis esset. Quod si qui simulatione, et inani ostentatione, et ficto non modo sermone, sed etiam vultu, stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tanquam flosculi, decidunt, nec simulatum potest quidquam esse diuturnum. *Cicero*, 2. *Offic. c.* 12.

Semper visum est glorioſum (Tiberio,) quod esset tutissimum; et ante conscientiae, quam famae, consultum. *Paterc. l.* 2. *c.* 115.

Caput XXXVII.

Viue vt in publico.

1. Tunc felicem te esse iudica, quum poteris in publico viuere, quum te parietes tui tegent, non abscondent: quos plerumque circumdatos nobis iudicamus, non, vt tutius viuamus, sed, vt peccemus occultius. Rem dicam, ex qua mores aestimes nostros. Vix quenquam inuenies, qui possit aperto ostio viuere. Ianitores conscientia nostra, non superbia, apposuit. Quid autem prodest, recondere se, et oculos hominum auresque vitare? Bona conscientia turbam aduocat; mala etiam in solitudine anxia *Senec. Ep.* 43.

atque sollicita est. Si honesta sunt, quae facis, omnes sciant: si turpia, quid refert, neminem scire, quum tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem!

Plutarch. pol. praec. seu gerendae reip. T. II. p. 800.

Iulii Drusi aedes pluribus ex partibus patebant vicinorum prospectui. Hoc incommodum faber, si quinque talenta ei darentur, se correcturum, pollicebatur, effecturumque, ne pars vlla esset obnoxia prospectui. Tum Drusus: *Decem*, inquit, *dabo, si talem reddas domum meam, vt non vicini tantum, sed omnes etiam ciues videre possint, quomodo in ea viuam.*

Cicero pro Milone c. 22.

2. Magna vis est conscientiae, et magna in vtramque partem: vt neque timeant, qui nihil commiserint; et poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarint.

P. Syrus v. 582.

Nunquam secura est praua conscientia.

Senec. Ep. 97.

Tuta scelera esse possunt, secura non possunt. Prima et maxima peccantium est poena, peccasse. Nec vllum scelus, licet illud fortuna exornet muneribus suis, licet tueatur ac vindicet, impunitum est: quoniam sceleris in scelere supplicium est. Mala facinora conscientia flagellantur. Proprium est nocentium, trepidare. Bona conscientia prodire vult et conspici; ipsas nequitia tenebras timet.

Hanc Catilinae et Iugurthae, post patrata flagitia et facinora, imaginem expressit Sallustius.

Sallust. Bell. Cat. c. 15.

Catilinae animus impurus, diis hominibusque infestus, neque vigiliis, neque quietibus sedari poterat: ita conscientia mentem excitam vexabat. Igitur color ei exsan-

exsanguis: foedi oculi: citus modo, modo tardus incessus: prorsus in facie vultuque vecordia inerat.

Neque post id locorum Iugurthae dies aut nox vlla quieta fuit: neque loco, neque mortali cuiquam, aut tempore satis credere: ciues hostesque iuxta metuere: circumspectare omnia, et omni strepitu paueſcere: alio atque alio loco, saepe contra decus regium, noctu requiescere: interdum somno excitus, arreptis armis, tumultum facere: ita formidine, quasi vecordia, exagitari. *Bell. Iug. cap. 72.*

3. Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque (Tiberio) in supplicium verterant. Neque frustra praestantissimus sapientia firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse adspici laniatus et ictus; quando vt corpora verberibus, ita saeuitia, libidine, malis consultis, animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris, suasque ipse poenas fateretur in litteris ad senatum. *Tacit. Annal. l. 6. c. 6*

Dionysius maior, Siciliae tyrannus, ipse indicauit, quam esset beatus. Nam quum quidam ex eius assentatoribus, Damocles, commemoraret in sermone copias eius, opes, maiestatem dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam aedium regiarum; negaretque, vnquam beatiorem quenquam fuisse: *Visne igitur*, inquit, *Damocle, quoniam haec te vita delectat, ipse eandem degustare, et fortunam experiri meam?* Quum se ille cupere dixisset; collocari iussit *Cicero I. Tusc c. 20. et 21.*

hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo, magnificis operibus picto; abacosque complures ornauit argento auroque caelato. Tum ad mensam eximia forma pueros delectos iussit consistere, eosque nutum eius intuentes diligenter ministrare. Aderant vnguenta, coronae, incendebantur odores; mensae conquisitissimis epulis exstruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. (At Dionysius) in hoc medio apparatu fulgentem gladium, e lacunari seta equina aptum, demitti iussit, vt impenderet illius beati ceruicibus. Itaque nec pulcros illos ministratores adspiciebat, nec plenum artis argentum: nec manum porigebat in mensam: iam ipsae defluebant coronae: denique exorauit tyrannum, vt abire liceret, quod iam beatus nollet esse. Satisne videtur declarasse Dionysius, nihil esse ei beatum, cui semper aliquid terroris (ex conscientia malefactorum) impendeat?

Caput XXXVIII.

Vitae genus eligere, res difficillima.

Cicer. I. Off. c. 32. 1. De eligendo genere vitae deliberatio est omnium difficillima. Ineunte enim adolescentia, quum est maxima imbecillitas consilii, tum id sibi quisque genus aetatis degendae constituit, quod maxime adamauit. Itaque ante implicatur aliquo certo genere cursuque viuendi, quam poruit, quod optimum esset, iudicare. Plerique parentium praeceptis imbuti, ad eorum con-

consuetudinem moremque deducuntur. Alii multitudinis iudicio feruntur, quaeque maiori parti pulcherrima videntur, ea maxime exoptant. Nonnulli tamen, siue felicitate quadam, siue bonitate naturae, siue parentium disciplina, rectam vitae secuti sunt viam.

2. In constituendo genere vitae, potissimum habenda est ratio naturae nostrae modo non vitiosae, vt constare nobismetipsis possimus, nec in vllo officio claudicare: deinde fortunae. Suum igitur quisque noscat ingenium, acremque se et bonorum, et vitiorum suorum iudicem praebeat: vt, ad quas res aptissimus erit, in iis potissimum elaboret. Sin aliquando necessitas nos ad ea detruserit, quae nostri ingenii non erunt: omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, vt ea, si non decore, at quam minimum indecore facere possimus. *Ibid. c.* 31.

Si natura non ferret, vt quis maiorum studia atque instituta sequatur: si non poterit siue causas defensitare, siue populum concionibus tenere, siue bella gerere: illa tamen praestare debebit, quae erunt in ipsius potestate, iustitiam, fidem, liberalitatem, modestiam, temperantiam; quo minus ab eo id, quod desit, requiratur. *Ibid. c.* 33.

Caput XXXVIIII.

Magistratus non suis, sed ciuium, commodis consulat.

1. Magistratus ea vis est, vt praesit, praescri- *Cicero 3 legg. c. 1.*

scribatque recta et vtilia, et coniuncta cum legibus. Vt enim magistratibus leges; ita populo praesunt magistratus: vereque dici potest, magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum.

ib. cap. 2. Magistratibus opus est: sine quorum prudentia ac diligentia esse ciuitas non potest. Iis non solum obtemperare, atque obedire ciues oportet, sed etiam eos colere ac diligere. Noster vero Plato (impios, et) Titanum e genere statuit eos, qui, vt illi caelestibus, sic hi aduersentur magistratibus.

Cicero ib. Qui modeste paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus esse.

Lamprid. in Alex. Seu. c. 45. Alexander Seuerus, vbi aliquos voluisset vel rectores prouinciis dare, vel praepositos facere, vel procuratores, id est, rationales ordinare; nomina eorum proponebat, hortans populum, vt, si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus: si non probasset, subiret poenam capitis, dicebatque, *graue esse, quum id Christiani et Iudaei facerent in praedicandis sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in prouinciarum rectoribus, quibus et fortunae hominum committerentur, et capita.*

Cicero, 1. Offic. c. 25. 2. Qui rei publicae praefuturi sunt, hoc Platonis praeceptum teneant: vt, quidquid agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum. Vt enim tutela, sic procuratio rei publicae, ad vtilitatem eorum, qui commissi sunt; non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est.

id. 1. Ep. ad Quint. c. 8. Mihi quidem videntur huc omnia esse referenda iis, qui praesunt aliis, vt ii, qui e-

runt

runt eorum in imperio, sint quam beatissimi. Est enim non modo eius, qui sociis et ciuibus, sed etiam eius, qui seruis, qui mutis pecudibus praesit, eorum, quibus praesit, commodis vtilitatique seruire. Itaque grauis et fortis ciuis, et in republica dignus principatu, tradet se totum reipublicae, eamque sic tuebitur, vt omnibus consulat. Non opes aut potentiam consectabitur: omninoque ita iustitiae et honestati adhaerescet, vt, dum ea conseruet, quamuis grauiter offendat, mortem oppetat potius, quam ea deserat. *Cicer. 1. Off. cap. 25.*

Adrianus et in concione, et in senatu, saepe dixit: *Ita se rempublicam gesturum, vt sciret, populi rem esse, non propriam.* *Spart. in Adr. c. 8.*

3. Nullum vitium tetrius, quam auaritia, praesertim in principibus et rempublicam gubernantibus. Habere enim quaestui rem publicam, non modo turpe est, sed sceleratum etiam et nefarium. Itaque, quod Apollo Pythius oraculum edidit, Spartam nulla re alia, nisi auaritia, perituram, id videtur non solum Lacedaemoniis, sed et omnibus opulentis populis praedixisse. Nulla autem re conciliare facilius beneuolentiam multitudinis possunt ii, qui reipublicae praesunt, quam abstinentia et continentia. Caput autem est in omni procuratione negotii et muneris publici, vt auaritiae pellatur etiam minima suspicio. *Cic. 2. Off. c. 22 cap. 55.*

Quum videret Cimon, omnes aetatis suae magistratus, praeter Aristidem et Ephialtem, quaestui habuisse rem publicam Atheniensem, et magnas ex ea praedas collegisse, *Plut. in Cimon. Tom. I. p. 485.*

aliam

aliam viam ingressus, incorruptum se, et intactum ab omni auaritiae labe praestitit, dona oblata constantissime repudiauit, omniaque gratis et innocenter per totam vitam et fecit, et dixit.

Valer. l. 4. c. 4. P. Valerius Poplicola, postea (i. e. post Iunium Brutum) tres consulatus acceptissimos populo Romano gessit: et plurimorum ac maximorum operum praetextu, titulum imaginum suarum amplificauit: quum interim fastorum illud columen, patrimonio ne ad exsequiarum quidem impensam sufficiente, decessit, ideoque publica pecunia ductae sunt.

ibid. Quantae amplitudinis Agrippam Menenium fuisse arbitremur, quem senatus et plebs pacis inter se faciendae auctorem legit? Quantus scilicet esse debuit arbiter publicae salutis. Hic nisi a populo collatis in capita sextantibus funeratus esset, ita pecuniae inops decessit, vt sepulturae honore caruisset.

Cicero 2. Offic. c. 22. Omni Macedonum gaza, quae fuit maxima, potitus est Aemilius Paullus. Tantum in aerarium populi Romani pecuniae inuexit, vt vnius imperatoris praeda finem attulerit tributorum. *Polyb. l. 8.* At hic non modo nihil ex thesauris regiis concupiuit, sed ne ipse quidem spectare eos dignatus, per alios homines cuncta administrauit, et nihil domum suam detulit, praeter memoriam nominis sempiternam. *Valer. l. 4. cap. 4.* Quin, si Valerio fides habeatur, adeo inops decessit, vt, nisi fundus, quem vnum reliquerat, venisset, vxor eius dotem vnde reciperet, non exstitisset. *Cicer. l. c.* Imitatus patrem Scipio Aemilianus, nihilo locupletior,

Car-

Carthagine euersa. Quid? qui eius collega in censura fuit L. Mummius, numquid copiosior, quum copiosissimam vrbem (Corinthum) funditus sustulisset? Italiam ornare, quam domum suam, maluit. Quamquam Italia ornata, domus ipsa mihi videtur ornatior. Sic et M. Marcellus, quum captis Syracusis multa Romam deportasset, quae vrbi ornamento esse possent, nihil in aedibus (suis,) nihil in hortis posuit, nihil in suburbano: putauit, si vrbis ornamenta domum suam non contulisset, domum suam ornamento vrbi futuram. Singulorum enim abstinentia domestica publicum ciuitatis decus est. *Cic. in Verr. l. 4. c. 52. et 54*

4. Quum, secundo Punico bello, Cn. Scipio, ex Hispania senatui scripsisset, petens, vt sibi successor mitteretur, quia filiam virginem adultae iam aetatis haberet, neque ei sine se dos expediri posset: Senatus, ne respublica bono duce careret, patris sibi partes desumsit; consilioque vxoris, ac propinquorum Scipionis, constituta dote, summam eius ex aerario erogauit, ac puellam nuptum dedit. Dotis modus XI millia aeris fuit. In quo non solum humanitas Patrum conscriptorum, sed etiam habitus veterum patrimoniorum, cognosci potest. Namque adeo fuerunt arcta, vt Tatia, Caesonis filia, maximam dotem ad virum X. millia aeris attulisse visa sit; et Megulia, quia cum quinquaginta millibus mariti domum intrauit, *Dotatae* cognomen inuenerit. *Valer. l. 4. cap. 4.*

Illis temporibus bona animi, non diuitiae, cun-

cunctis in rebus ponderabantur. Haec imperia conciliabant: haec iungebant affinitates: haec in foro, haec in curia, haec intra priuatos parietes plurimum poterant. Patriae enim rem vnusquisque, non suam, augere properabat: pauperque in diuite, quam dives in paupere imperio, versari malebat.

A. Gellius l. 15. c. 12. 5. Caius Gracchus, quum ex Sardinia rediit, orationem ad populum in concione habuit. Ea verba sunt haec: Versatus sum, inquit, in prouincia, quomodo ex vsu vestro existimabam esse, non quomodo ambitioni meae conducere arbitrabar. Nulla apud me fuit popina: neque pueri eximia facie stabant, sed in conuiuio liberi vestri modestius erant, quam apud * principem. Post deinde haec dicit: Ita versatus sum in prouincia, vt nemo possit vere dicere, alsem, aut eo plus, in muneribus me accepisse: aut mea opera quempiam sumtum fecisse. Biennium enim fui in prouincia: si vlla meretrix domum meam introiuit, aut cuiusquam seruulus propter me sollicitatus est, omnium * nationum postremissimum nequissimumque existimate. Quum a seruis eorum tam caste me habuerim, inde poteritis considerare, quomodo me puteris cum liberis vestris vixisse. Atque ibi ex interuallo: Itaque, inquit, Quirites, quum Romam profectus sum, zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex prouincia inanes retuli. Alii vini amphoras, quas (vini) plenas tulerunt, eas argento plenas domum reportauerunt.

* *alii* principia

* *alii* natorum.

Pecu-

Pecuniae quam non contemtor (Varus Quinctilius) Syria, cui praefuerat, declarauit: quam pauper diuitem ingressus, diues pauperem reliquit. *Paterc. l. 2. c. 117.*

6. Scipio Aemilianus, quum Ser. Sulpicius Galba, et Aurelius Cotta, consules, in senatu contenderent, vter aduersus Viriatum in Hispaniam mitteretur, ac magna inter Patres conscriptos dissensio esset; omnibus, quonam eius sententia inclinarentur, exspectantibus: *Neutrum*, inquit, *mihi mitti placet; quia alter nihil habet, alteri nihil est satis.* Aeque malam licentis imperii magistram iudicans inopiam atque auaritiam. Quo dicto, vt neuter in prouinciam mitteretur, obtinuit. *Valer. l. 6. c. 4.*

Caput XXXX.

Varia eorum, qui aliis praesunt, officia.

1. Difficile dictu est, quantopere conciliet animos hominum comitas, affabilitasque sermonis. *Cicero 2. Offic. c. 14.*

In gerendo magistratu exercenda est facilitas et altitudo animi, ne, si irascamur, aut intempestiue accedentibus, aut impudenter rogantibus, in morositatem inutilem et odiosam incidamus. Anui pauperculae, Philippum regem obsecranti, vt litem suam diiudicaret, quum respondisset, sibi tempus ad ista non supereſſe: *Ne ergo sis rex*, illa repositit. Admiratus Philippus liberam vetulae vocem, non solum ei aures praebuit, *1 Offic. c. 25. Plut. Apophth. Tom. II. p. 220.*

sed

sed multam quoque ius sibi dici postulantium turbam audiuit statim.

Macrob. Sat. 2. c. 4 / *Sueton. in Aug. c. 33.* Augustus, quum ei quidam libellum trepidus offerret, et modo proferret manum, modo retraheret: *Putas*, inquit, *te assem elephanto dare?* Ipse ius adsidue dixit, et in noctem nonnunquam: si parum corpore valeret, lectica ante tribunal collocata, vel etiam domi cubans.

Eutrop. l. 8. cap. 1 Inter alia dicta (Traiani) hoc ipsius fertur egregium. Amicis enim culpantibus, quod nimium in omnes communis esset, respondit: *Talem se imperatorem esse priuatis, quales esse sibi imperatores priuatus optasset.*

Corn. Nep. in Miltiade. c. 8. in Pausan. cap. 3. Erat in Miltiade cum summa humanitas, tum mira comitas: vt nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret. Contra Pausanias aditum petentibus conueniendi non dabat, superbe respondebat, et crudeliter imperabat.

Cicero 1. Off. c. 25. 2. Ita probanda est mansuetudo atque clementia, vt adhibeatur reipublicae caussa seueritas, sine qua administrari ciuitas non potest.

Seneca de Clem. l. 1. cap. 2. Nam, vbi discrimen inter malos bonosque sublatum est, confusio sequitur, et vitiorum eruptio. Nec promiscuam habere ac vulgarem clementiam oportet. Nam tam omnibus ignoscere crudelitas est, quam nulli.

P. Syrus v. 101 et v. 372. Bonis nocet, quisquis pepercerit malis.

Inuitat culpam, qui peccatum praeterit.

Sen. ibid. Modum tenere debemus. Sed, quia difficile est temperamentum; quidquid plus aequo futurum est, in partem humaniorem praeponderet.

3. Ob-

3. Obiurgationes nonnunquam incidunt necessariae, in quibus vtendum est fortasse et vocis contentione maiore, et verborum grauitate acriore; id agendum etiam, vt ne ea facere videamur irati, sed, vt ad vrendum et secandum medici, sic et ad hoc genus castigandi raro inuitique veniemus. Nec vnquam, nisi necessario, si nulla reperietur alia medicina. Sed tamen ira procul absit, cum qua nihil recte fieri, nihil considerate, potest. Atque etiam illud ipsum, quod acerbitatis habet obiurgatio, significandum est, ipsius caussa, qui obiurgetur, susceptum esse. *Cic. 1. Off. c. 38.*

Omnis autem et animaduersio, et castigatio contumelia vacare debet: neque ad eius, qui punit aliquem, aut verbis castigat, sed ad reipublicae vtilitatem referri. *1. Off. c.*

4. Cauendum est etiam, ne maior poena, quam culpa, sit: et ne iisdem de caussis alii plectantur, alii ne appellentur quidem. *ibid.*

Prohibenda autem maxime est ira in puniendo; optandumque, vt ii, qui praesunt reipublicae, legum similes sint, quae ad puniendum non iracundia, sed aequitate, ducuntur. *ibid.*

Quod vitium quum in priuata quotidianaque vita leuis esse animi atque infirmi videtur; tum vero nihil est tam deforme, quam ad summum imperium etiam acerbitatem naturae adiungere. *1. Ep. ad Quinct. c. 13.*

Cyri et Agesilai summo in imperio, nemo vnquam verbum vllum asperius audiuit. *2 Ep. c. 2.*

Corrigendus est itaque, qui peccat, et admonitione, et vi, et molliter, et aspere: *Sen. 1. de ira c. 14.*

melior

meliorque tam sibi, quam aliis, faciendus, non
ib. c. 16. sine castigatione, sed sine ira. Omne poenae genus, remedii loco admoueo. Varia in tot animis vitia video, et ciuitati curandae adhibitus sum: pro cuiusque morbo medicina quaeratur. Hunc sanet verecundia, hunc peregrinatio, hunc dolor, hunc egestas, hunc ferrum. Itaque etsi peruersa induenda magistratui vestis, et conuocanda classico concio est: procedam in tribunal, non furens, nec infestus, sed vultu legis: et illa sollemnia verba seuera magis grauique, quam rabida, voce concipiam, et agi iubebo non iratus, sed seuerus.

Cicero ad Quint. L. 1. *Ep.* 1. 5. Cicero, in egregia illa ad Quintum fratrem, Asiae Praetorem, epistola, quaedam eum admonet, vt faciat; quaedam, quod iam fecerit, laudat, quae hic paucis verbis referentur.

Sint haec fundamenta dignitatis tuae: tua primum integritas et continentia, deinde omnium, qui tecum sunt, pudor: delectus in familiaritatibus et prouincialium hominum, et Graecorum, percautus et diligens: familiae grauis et constans disciplina: Quid autem est negotii, continere eos, quibus praesis, si te ipse contineas?

Sit summa in iure dicendo seueritas, dummodo ea ne varietur gratia, sed conseruetur aequabilis.

Sed tamen parui refert, abs te ipso ius dici aequaliter et diligenter, nisi idem ab iis fiet, quibus tu eius muneris aliquam partem concesseris. Neque enim satis est te ipsum iustum esse, et abstinentem: sed omnes mini-

miniſtros imperii tui tales praeſtare, et ſociis noſtris et reipublicae debes.

Conſtanti fama ad me perlatum eſt, tibi omnium, quibus praees, ſalutem, liberos, famam, fortunas eſſe carisſimas: te pecuniae, te voluptati, te omnium rerum cupiditati ſic iam biennium reſiſtere, vt in Aſia, tam corruptrice prouincia, nihil te ab ſumma integritate continentiaque deduxerit: non itineribus tuis perterreri homines, non ſumtu exhauriri, non aduentu commoueri: eſſe, quocunque veneris, et publice et priuatim maximam laetitiam, quum vrbs cuſtodem, non tyrannum, domus hoſpitem, non expilatorem, recepiſſe videatur, facillimos eſſe aditus ad te: patere aures tuas querelis omnium: nullius inopiam ac ſolitudinem, non modo publico acceſſu ac tribunali, ſed ne domo quidem tua, et cubiculo eſſe excluſam tuo: toto denique in imperio nihil acerbum eſſe, nihil crudele, atque omnia plena clementiae, manſuetudinis, humanitatis. *cap. 1.* *cap. 1.*

Caput XXXXI.

Iudicis eſt, ſemper in cauſſis verum ſequi. *Cic. 2. Off. cap. 14.*

1. Pythagoras dicebat, haec duo diuinitis hominibus data eſſe longe pulcerrima, veritatem amplecti, et aliis benefacere: addebat: *Aelian. l. 12. c. 59.*

bat: vtrumque cum Deorum immortalium operibus comparari posse.

Plut. in Isid. Tom. II. p. 355.

Thebis Aegyptiacis visebantur simulacra Iudicum manibus carentium, et Praesidis eorum, oculos in terram versos habentis. Quo significabatur, eos, qui ius dicunt, nec minis nec conspectu reorum moueri oportere.

Diod. Sic. l. 1.

Quoniam magna aut bona, aut mala, e iudiciis aut aequis, aut iniquis in publicam rem veniunt; Aegyptiis praecipua iudiciorum cura erat. Optimos e maioribus vrbibus viros triginta eligebant. Qui consessus nec Areopagitis Athenienſium, nec Senatui Lacedaemoniorum, videtur fuisse postponendus. Hi vnum ex se se, iustitia maxime insignem, sibi Praesidem dicebant. Stipendium a Rege omnibus dabatur in victum et alias res necessarias. Quum ad iudicandum conuenissent, Praeses collo suo torquem aureum circumponebat, e quo suspensa erat confecta ex pretiosissimis lapillis imago, quam Veritatem dicebant: et octo volumina, in quibus scriptae erant leges Aegyptiorum, proponebantur in medium. Actor et reus, non verbis, sed scripto tantum, causam agebant: et postquam res satis liquere iudicibus visa erat, ferebatur sententia, et Praeses veritatis imaginem conuertebat in alterum e litigatoribus, qui causa vicerat. Hoc modo cuncta iudicia peragere Aegyptiis solemne erat. Causidicorum oratione multum caliginis iuri offundi arbitrabantur; et saepe fieri, vt ora-

oratorum artes, actionis praestigiae, lacrimae periclitantum, iudicum aures, oculos, animos sic afficerent, vt vnam veritatem non amplius intuerentur.

2. Athenis in Senatum Areopagiticum neminem admitti fas erat, nisi et honesto loco natum, et vitae modestia spectatissimum. *Isocr. in Areop.*

Romanae res sic se habent. Senatus ἄρειος πάγος. Nihil constantius, nihil seuerius, nihil fortius. Qui caussam apud eos dicebant, ab iis omnibus, quae ad conciliandam beneuolentiam valent, iubebantur abstinere: Athenis affectus mouere etiam per praeconem prohibebatur orator: quod si negligere viderentur, praeconis voce cohibiti tacere cogebantur. Ne reorum quoque miserando aspectu iudices commouerentur, ipsa nocte, nullis admotis luminibus, iudicia exercebant: summoque silentio sententiam tabella dabant, ita vt alter alterius sententiam ignoraret. Hi Areopagitae damnauerunt puerum coturnicum oculos eruentem, iudicantes, id signum esse pernicioſissimae mentis, multisque malo futurae, si adoleuisset. Est eiusdem vrbis sanctissimum concilium Areopagus, vbi quid quisque Athenienſium ageret, aut quonam quaestu sustentaretur, diligentissime inquiri solebat, vt homines honestatem, (vitae rationem memores reddendam esse,) sequerentur. *Cicero* 1. *L. ad Attic. Epist.* 14. *Quinctil. l.* 2. *c.* 16. *l.* 6. *c.* 1. *Lucian. in Hermot. Pollux. l.* 8. *cap.* 10. *Quinctil. l.* 5. *c.* 9. *Valer. l.* 2. *c.* 6.

3, Sisamnem, vnum e Persarum iudicibus, quod pecunia accepta iniuste iudi- *Herod. l.* 5.

cassset, rex Cambyses morte plecti iussit; interemtoque detracta pelle contexit tribunal, in quo ille sederat: tum filium eius Otanem ibidem sedere iudicem voluit, admonitum, vt nunquam paternae culpae, ac poenae obliuiscereturus. Seuerior postea Artaxerxes, alius Persarum rex, in quosdam malos iudices fuit: nam viuis pelles detrahi praecepit; iisque aliorum iudicum subsellia insterni, vt recens semper ante oculos haberent exemplum iustitiae non impune violatae.

Diod. Sic. l. 15.

Seneca in Medea v. 199.

4. Qui statuit aliquid, parte inaudita altera,
Aequum licet statuerit, haud aequus fuit.

Plut. in Tom. I. p. 320.

Quendam ex inimicis vocauerat in iudicium Aristides: et iudices, audita accusatione, confestim sententiam laturi videbantur de reo, quem audire abnuebant, notam omnibus accusatoris iustitiam ac fidem reueriti. Tum Aristides in medium processit, et vna cum reo supplex concidit ad pedes iudicum, orans, vt inimicus audiretur, et ex legibus cum eo ageretur.

Idem in Alex. Tom. I. p. 689.

Alexander primis regni annis, quum in capitalibus caussis iudex sederet, loquente accusatore, alteram aurem admota manu occludebat. Interrogatus cur id faceret: *Illam*, inquit, *aurem reo integram seruo*.

Cicero 3. Offic. c. 18.

5. Nihil contra rempublicam, neque contra iusiurandum ac fidem, amici caussa, vir bonus faciet: ne si iudex quidem erit de ipso amico. Ponit enim personam ami-

amici, quam induit iudicis. Tantum dabit amicitiae, vt veram amici cauſſam eſſe malit: vt perorandae liti tempus, quoad per leges liceat, accommodet. Itaque praeclarum a maioribus accepimus morem rogandi iudicis, ſi eum teneremus, *quae ſalua fide facere poſſit.*

Eſt ſapientis iudicis, cogitare, tantum ſibi a populo Romano eſſe permiſſum, quantum commiſſum et creditum ſit: et non ſolum ſibi poteſtatem datam, verum etiam fidem habitam eſſe, meminiſſe: poſſe, quem oderit, abſoluere; quem non oderit, condemnare: et ſemper, non quid ipſe velit, ſed quid lex et religio cogat, cogitare: animaduertere, qua lege reus citetur, de quo reo cognoſcat, quae res in quaeſtione verſetur. Quum haec ſunt videnda, tum vero illud eſt hominis magni, iudicis, atque ſapientis, quum illam, iudicandi cauſſa, tabellam ſumſerit, non ſe putare eſſe ſolum, neque ſibi, quodcunque concupierit, licere; ſed habere in conſilio legem, religionem, aequitatem, fidem: libidinem autem, odium, inuidiam, metum, cupiditatesque omnes amouere: maximeque aeſtimare conſcientiam mentis ſuae, quam a diis immortalibus accepimus, quae a nobis diuelli non poteſt: quae ſi optimorum conſiliorum atque factorum teſtis in omni vita nobis erit, ſine vllo metu, et ſumma cum honeſtate viuemus. *pro Cluent. cap. 58*

6. Chilo, praeſtabilis homo ſapientiae, quum *A. Gell. l. 1 cap. 3.*

quum ageretur caput amici sui aliquando, iudex fuit cum duobus aliis iudicibus. Itaque aut amicus ei capite plectendus erat, aut legi adhibenda fraus. Hic conseruandi amici caussa, de via declinauit. Consultanti secum, quid in tam ancipiti casu faciendum esset, hoc optimum visum est, falsum pro amici salute consilium dedit. Sententiam, qua amicum damnauerat, dissimulans ac tacens, duobus sociis iudicibus, vt eum absoluerent, persuasit: sicque se et amici, et iudicis officio functum fuisse existimabat. Id ipsum tamen in fine quoque vitae, an iure posset reprehendi culparique, dubitauit. Hinc die vitae supremo amicos circumstantes adlocutus, quum dixisset, nihil a se commissum esse, cuius memoria aliquid aegritudinis afferret morienti; confessus est, sibi nondum liquere, rectene, an perperam, feciisset in illo amici iudicio: hancque se ex eo facto capere molestiam, quod metueret, ne perfidi hominis fuisset, in eadem re, eodemque tempore, et communi negotio, aliis suasisse diuersum ab eo, quod ipse iustum, et a se faciendum, duxerat. Virum sapientia praestantem haec res merito anxium et sollicitum habebat. Declinauit enim de via, et a iustitia discessit, quum falsum, conseruandi amici caussa, consilium dedit.

Plut. Apoph. T. II. p. 182. 7. Antigoni regis frater, Marsyas, litem habebat, postulabatque ab eo sibi domi iudicium institui: *Melius quidem*, inquit Antigonus, *in foro et omnibus audientibus*, res

res agetur, si nihil iniuste facere in animo est.

Philippum regem rogabat Harpalus, qui gratia plurimum valebat apud eum, vt propinquus et familiaris suus Crates, accusatus iniuriarum, multam quidem solueret, sed non damnaretur publico iudicio, ne inimicorum aliorumque hominum maledictis pateret. Cui Philippus: *Satius est, ipsum propter culpam, quam nos propter illum, male audire.*

Quum litis inter duos priuatos iudex esset Aristides; et alter, conciliandae sibi iudicis beneuolentiae caussa, diceret, aduersarium multa in Aristidem iniurioſe faciſſe: *Quin tu potius*, inquit, *bone vir, si quid ille te laesit, eloquere. Tibi enim nunc, non mihi, iudex sum.* *Idem in Aristide T. I. p. 320*

Caput XXXXII.

Ciues magistratibus pareant, magistratus legibus.

1. Diuina mens summa lex est, omnia ratione cogens, aut vetans: ex qua illa lex, quam Dii humano generi dederunt, recte est laudata. Est enim ratio mensque sapientis, ad iubendum, et ad deterrendum idonea. *Cicero 2. de leg. c. 4.*

Constat profecto ad salutem ciuium, ci- *2. de leg.*

uitatumque incolumitatem, vitamque hominum quietam et beatam, inuentas esse leges: eosque, qui primum eiusmodi scita sanxerint, populis ostendisse, ea se scripturos atque laturos, quibus illi (scilicet populi) adscriptis susceptisque honeste beateque viue ent. Vitiorum enim emendatricem, legem esse oportet, commendatricemque virtutum. Ideoque supplicia vitiis proponit, praemia virtutibus.

1. de leg. cap. 22.

Liuius l. 34. c. 4.

Tacit. 3. ann. c. 26.

Sen. Ep. 90

Sicut ante morbos necesse est cognitos esse, quam remedia eorum; sic cupiditates prius natae sunt, quam leges, quae iis modum facerent. Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro et scelere, eoque sine poena aut coercitionibus agebant. Nec praemiis, nec minis opus erat, quum honesta suopte ingenio peterent, et nihil contra morem cuperent. Sed postquam surrepentibus vitiis in tyrannidem regna versa sunt, opus esse coepit legibus. Sic Cretensibus Minos, Spartanis Lycurgus, Athenienſibus Solon, leges praescripsit.

Iust. l. 3. c. 2.

2. Lycurgus Spartanis leges instituit, non inuentione earum magis, quam exemplo clarior: siquidem nihil lege vlla in alios sanxit, cuius non ipse primus in se documenta daret. Populum in obsequia principum, principes ad iustitiam imperiorum formauit. Parsimoniam omnibus suasit, existimans, laborem militiae, adsidua frugali-

galitatis consuetudine, faciliorem fore. Huic tamen neque vitae summa sinceritas, neque constantissimus erga patriam amor, neque leges salutariter excogitatae, auxilio esse potuerunt, quo minus infestos ciues experiretur. Saepe enim lapidibus petitus, aliquando furore publico eiectus, etiam priuatus oculo, ad vltimum ipsa patria pulsus est. Hoc facinus admisit adolescens nomine Alexander, qui Lycurgi, e foro fugientis, tergo inhaerens, respicientem percussit baculo, eique oculum excussit. Illum sibi a populo traditum ad poenam, egregie vltus est Lycurgus: nam quum domi ministrare sibi iussisset; mansuetudinis, frugalitatis, sanctitatisque suae exemplo tantam in eo morum mutationem fecit, vt ille ex proteruo et audaci adolescente in verecundum moderatumque transierit.

Valer. l. eap. 3. Plutarch. in Lycur. T. I. p. 45.

3. Post Codrum, (qui pro salute patriae morti se obtulerat,) nemo Athenis regnauit: quod memoriae nominis eius tributum est. Administratio reipublicae annuis magistratibus permissa est. Sed ciuitati nullae tunc leges erant: quia libido regum pro legibus habebatur. Legitur itaque Solon, vir iustitiae insignis, qui velut nouam ciuitatem legibus conderet; qui tanto temperamento inter plebem senatumque egit, (quam, si quid pro altero ordine tulisset, alteri displiciturum videretur,) vt ab vtrisque parem gratiam traheret.

Iust. l. 2. c. 7.

Solonem, leges condentem, irrisit Ana-

Plut. in Solon. T. I. p. 81.

charsis, dixitque: *Leges aranearum telis similes sibi videri. Quemadmodum enim,* inquiebat, *illae infirmiora animalia retinent, valentiora transmittunt: sic pauperes et humiles legibus constringuntur, diuites et praepotentes eas perrumpunt.* Idem Anacharsis quum concioni populi Athenienſis interfuisset; *mirari se,* dixit, *quod apud Graecos verba facerent sapientes, stulti vero iudicarent.*

Valer. l. 7. c. 2.

Plut. ibid.

Stob. serm. 41. Interrogatus Solon, quomodo optimus fieri posset ciuitatum status? *Si,* inquit, *ciues magistratibus obediant, magistratus autem legibus.*

Plut. Lacon. Apoph. 4. Archidamus cuidam quaerenti, quinam Spartae imperarent? *Leges,* inquit, *ac secundum leges magistratus.*

Tom. II. p. 218. *Plut. Lacon. Apoph. T. II. p. 211. et Nepos in Agesil. c. 4.* Quum Agesilaus, Lacedaemoniorum rex, subacta Asiae parte, aduersus regem Persarum pergeret, maximamque haberet fiduciam regni eius potiundi; ab Ephoris reuocatus, eorum absentium iussis tanta modestia dicto audiens fuit, vt si priuatus in comitio esset Spartae: opulentissimo regno praeposuit bonam existimationem, multoque glorioſius duxit, si institutis patriae paruisset, quam si bello superasset Asiam. Rediit itaque confestim, dicens: *Bonum imperatorem oportere legibus parere.*

Plut. ibid. Tom. II. p. 183. Antiochus tertius omnibus regni sui ciuitatibus scripserat: *Si quid forte per literas iussisset facere, quod esset contra leges, ne sibi parerent.*

5. Cha-

5. Charondas ad vim, et cruorem vsque seditiosas conciones ciuium pacauerat, lege cauendo, vt, si quis eas cum ferro intrasset, continuo interficeretur. Interiecto deinde tempore, ex longinquo rure, gladio cinctus domum repetens, subito indicta concione, sicut erat, in eam processit: ab eoque, qui proxime constiterat, solutae a se legis suae admonitus: *Idem ego illam*, inquit, *sanciam*. Ac protinus ferro, quod habebat, districto incubuit. De Zaleuco vid. lib. 3. cap. 49. *Valer. 6. cap. 5.*

Idem Charondas, ne leges suae temere abrogarentur, ad arbitrium et libidinem eorum, quibus graues essent, hac ratione praecauerat. Si quis quampiam e sancitis legibus abrogari vellet, et in eius locum aliam nouam inferri; is collo in laqueum immisso, verba faciebat ad populum de vtraque lege. Vbi, latis suffragiis, visum erat, veterem legem abrogandam esse, et nouam accipiendam, ille discedebat nihil mali passus. Contra vero si prior lex retinenda, et noua reiicienda videretur: temerario nouae legis suasori guttur perfringebatur eo, quo vinctus accesserat, laqueo. *Diod. Sic. l. 12. Stobaeus serm. 42.*

6. Ius ciuile neque inflecti gratia, neque perfringi potentia, neque adulterari pecunia debet. Quod si non modo oppressum, sed etiam desertum, aut negligentius adseruatum fuerit: nihil est, quod quisquam sese habere certum, aut a patre *Cicero pro Caecin. c. 26.*

accepturum, aut relicturum liberis, arbitretur.

Liuius l. 3. c. 20. Sed nondum haec, quae nunc tenet seculum, negligentia deum venerat: nec interpretando sibi quisque iusiurandum, et leges aptas faciebat, sed suos potius mores ad ea accommodabat.

Cicero Parad. 5. cap. 1. 7. Dictum est ab eruditissimis viris, nisi sapientem, liberum esse neminem. Quid est enim libertas? potestas viuendi, vt velis. Quis igitur viuit, vt vult, nisi qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui viuendi via considerata atque prouisa est? qui legibus quidem non propter metum paret, sed eas sequitur atque colit, quia id salutare maxime esse iudicat: qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique, nisi libenter ac libere: cuius omnia consilia, resque omnes, quas gerit, ab ipso proficiscuntur, eodemque referuntur: nec est vlla res, quae plus apud eum polleat, quam ipsius voluntas atque iudicium. Soli igitur hoc contingit sapienti, vt nihil faciat inuitus, nihil dolens, nihil coactus.

Plin. l. 4. Epist. 10. Neque enim minus apud nos honestas, quam apud alios necessitas valet.

Diog. Laert. in Arist. segm. 68. Interrogatus Aristippus, quid prae ceteris hominibus eximium haberent Philosophi? *Hoc*, inquit, *quod si leges omnes tollantur, aequalibiter tamen victuri simus.*

P. Syrus v. 196. Legem nocens veretur, fortunam innocens.

Vt

Vt hoc ita sit, quam angusta innocentia est, ad legem bonum esse? quanto latius officiorum patet, quam iuris regula? quam multa pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides exigunt, quae omnia extra publicas tabulas sunt? *Seneca* 2. *de ira c.* 27.

Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor. *Seneca Troas. v.* 332.

Caput XXXXIII.

Vitiosi principes plus exemplo, quam peccato, nocent.

1. Vt cupiditatibus Principum et vitiis infici solet tota ciuitas: sic emendari et corrigi continentia. Nam licet videre, si velis replicare memoriam temporum, qualescunque summi ciuitatis viri fuerunt, talem ciuitatem fuisse; quaecunque mutatio morum in principes exstiterit, eandem in populo secuturam. *Cicero* 3. *de leg. c.* 13. *c.* 14.

Quum L. Lucullo, magno viro, magnificentia villae Tusculanae obiiceretur, respondebat: *Duos se habere vicinos: superiorem, Equitem Romanum, inferiorem libertinum: quorum quum essent magnificae villae, concedi sibi oportere, quod iis, qui tenuioris ordinis essent, liceret.* At non videbat ab ipso natum esse, vt illi cuperent. Nam et Lucullus, summus alioqui vir, profusae *Paterc. l.* 3. *c.* 33.

huius in aedificiis, conuictibus et apparatibus luxuriae primus auctor fuit: quem ob iniectas moles mari, et receptum suffossis montibus in terris mare, haud infacete magnus Pompeius Xerxem togatum vocare adsueuerat. Pauci autem, atque admodum pauci, honore et gloria amplificati, vel corrumpere mores ciuitatis, vel corrigere possunt. Itaque eo pernicioſius de republica merentur vitioſi Principes, quod non ſolum vitia concipiunt ipſi, ſed ea infundunt in ciuitatem: neque ſolum obſunt, quod ipſi corrumpuntur, ſed etiam quod corrumpunt, plusque, exemplo, quam peccato, nocent.

Cic. l. c.

Paterc. l. 2. c. 26. 2. Facere recte ciues ſuos Princeps optimus faciendo docet; quumque ſit imperio maximus, exemplo maior eſt.

Plin. Pan. c. 45. Non tam imperio nobis opus eſt, quam exemplo: quippe infidelis recti magiſter eſt metus. Melius homines exemplis docentur.

Seneca in Thyeſt. v. 213. Rex velit honeſta; nemo non eadem volet.
\- - - Componitur orbis
Regis ad exemplum: nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, vt vita regentis.
Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.

Claud. de Conſ. Honor. v. 296.

A. Vict. Epit. c. 17. Veſpaſianus legibus aequiſſimis, quodque vehementius eſt, vitae ſpecie, vitiorum plura Romae aboleuit.

Theo-

Theodosio Imperatori, quod lapsos mores exemplo suo restituerit, his verbis gratulatur Latinus Pacatus: Vbi primum te imperio praestitisti, non contentus ipse vltra vitia recessisse, alienis vitiis corrigendis curam adiecisti; idque moderate, vt suadere potius honesta, quam cogere, videreris. Et quia vel longo Orientis vsu, vel multorum retro Principum remissione, tantus quosdam luxus infecerat, vt adulta consuetudo lasciuiae haudquaquam facile videretur obtemperatura medicinae, ne quis se pati iniuriam putaret; a te voluisti incipere censuram, et impendia palatina minuendo, nec solum abundantem recidendo sumtum, sed vix necessarium vsurpando dimensum, quod natura difficillimum est, emendasti volentes. An quis ferret moleste, ad Principis semet modum coërceri? aut subtractum sibi doleret de priuata luxuria, quum videret Imperatorem, rerum potentem, terrarum hominumque dominum, parce contenteque viuentem, modico et castrensi cibo ieiunia longa solantem? ad hoc aulam omnem Spartanis gymnasiis duriorem, laboris, patientiae, frugalitatis exemplis abundantem? Tuae, Imperator, epulae, mensis communibus parcieres, locorum ac temporum fructibus instruuntur. Hinc certatim in omnes luxuriae pudor, parsimoniae cultus inoleuit, et quiescentibus legum minis, subiit quemque priuatim sui poenitentia. Sic est enim, sic est. *Exasperat homines imperata*

XII. panegyr. Latin. Pacat. c. 33.

perata correctio, blandissime iubetur exemplo.

Cicero 1. Offic. c. 38.

3. Cauendum est (homini honorato et Principi,) si ipse domum aedificet, ne extra modum sumtu, et magnificentia prodeat. Quo in genere multum mali etiam in exemplo est: studiose enim plerique, praesertim in hanc partem, facta principum imitantur. Vt L. Luculli, summi viri, virtutem, quis? at quam multi villarum magnificentiam imitati sunt? quarum quidem certe est adhibendus modus, ad mediocritatemque reuocandus.

Corn. Nep. in Agesil. cap. 7.

In Agesilao, Lacedaemoniorum rege, illud inprimis admirabile fuit, quum maxima munera ei a regibus et dynastis, et ciuitatibus conferrentur, nihil vnquam in domum suam contulit, nihil de victu, nihil de vestitu Laconum mutauit. Domo eadem fuit contentus, qua Eurysthenes, progenitor maiorum suorum fuerat vsus; quam qui intrarat, nullum signum libidinis, nullum luxuriae videre poterat; contra, plurima patientiae atque abstinentiae; sic enim erat instructa, vt nulla in re differret a cuiusuis inopis atque priuati.

A. Gellius l. 13. c. 23.

M. Cato, Consularis et Censorius, publicis iam priuatisque opulentus rebus, villas suas inexcultas et rudes, ne tectorio quidem praeditas fuisse dicit ad annum vsque aetatis suae septuagesimum; atque ibi postea his verbis vtitur: *Neque mihi,* inquit, *aedificatio,*

tio, neque vasum, neque vestimentum vllum est in manu pretiosum, neque pretiosus servus, neque ancilla. Si quid est, inquit, *quo vtar, vtor: si non est, egeo. Suum cuique per me vti, atque frui licet.* Tum deinde addit: *vitio vertunt, quia multis egeo: at egeo illis: quia nequeunt egere.*

Crassus ille diues nullam, praeter eam, in qua habitabat, domum aedificauit, dicebatque, homines aedificandi cupidos omnibus euerti fortunis solere. *Plut. in Crasso. Tom. I. f. 548.*

Quum esset pecuniosus Atticus, nemo illo minus fuit emax, minus aedificator. Neque tamen non in primis bene habitauit, omnibusque optimis rebus vsus est. Nam domum habuit in colle Quirinali Tamphilanam, ab auunculo hereditate relictam, cuius amoenitas non aedificio, sed silua constabat. Ipsum enim tectum antiquitus constitutum, plus salis, quam sumtus habebat; in quo nihil commutauit, nisi quod vetustate coactus est. *Corn. Nep. in Attico c. 13.*

Habitauit Augustus primo iuxta Romanum forum supra scalas anularias, in domo, quae Calui oratoris fuerat: postea in palatio: sed nihilominus in aedibus modicis Hortensianis, et neque laxitate, neque cultu conspicuis: vt in quibus porticus breues essent Albanarum columnarum, et sine marmore vllo aut insigni pauimento conclauia. Ac per annos amplius quadraginta in eodem cubiculo, hieme et aestate, mansit. Instrumenti eius et supellectilis parsimonia *Sueton. in August. c. 72. cap. 73.*

ap-

apparet etiam nunc, reſiduis lectis atque menſis, quorum pleraque vix priuatae elegantiae ſunt. Idem tamen Romam, quam pro maieſtate Imperii non ſatis ornatam inuenerat, adeo excoluit, vt iure fit gloriatus, *marmoream ſe relinquere, quam latericiam accepiſſet.*

c. 28.

Paterc. l. 2. *cap.* 10. Anno vrbis conditae 628. Cenſores Caſſius Longinus et Caepio Lepidum Aemilium augurem, quod ſex millibus aedes conduxiſſet, adeſſe iuſſerunt. *Nunc*, inquit Velleius, qui centum et quinquaginta poſt annis ſcribebat, *ſi quis tanti habitet, vix vt ſenator agnoſcitur. Adeo mature a rectis in vitia, a vitiis in praua, a prauis in praecipitia peruenitur.*

CAPVT XXXXIIII.

Potentia decori eſt, ſi ſalutaris ſit.

Senec. 1. *de Clement. c.* 3. 1. Nullum clementia ex omnibus magis, quam regem, aut principem decet. Ita enim virtutes magnis viris decori gloriaeque ſunt, ſi illis ſalutaris potentia eſt. Nam peſtifera vis eſt, valere ad nocendum.

Illius demum magnitudo (glorioſa) ſtabilis fundataque eſt, quem omnes tam ſupra ſe eſſe, quam pro ſe, ſciunt: cuius curam excubare pro ſalute ſingulorum atque vni-

vniuersorum quotidie experiuntur; quo procedente non, tanquam malum aliquod aut noxium animal e cubili prosilierit, diffugiunt, sed tanquam ad clarum et beneficum sidus certatim aduolant, obiicere se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi, et substernere corpora sua, si per stragem illi humanam, iter ad salutem struendum sit.

Magnam fortunam magnus animus decet: qui nisi se ad illam extulit, et altior stetit, illam quoque infra terram deducit. Magni autem animi est proprium, placidum esse, tranquillumque, et iniurias atque offensiones* semper despicere. Muliebre est, furere in ira: ferarum vero, nec generosarum quidem, praemordere et vrgere proiectos. Elephantes leonesque transeunt, quae impulerunt; ignobilis bestiae pertinacia est. Non decet regem saeua, nec inexorabilis ira. Non multum enim supra eum eminet, cui se irascendo exaequat: at si dat vitam, si dat dignitatem periclitantibus, et meritis amittere, facit, quod nulli, nisi rerum potenti, licet. Vita enim etiam superiori eripitur, nunquam nisi inferiori datur. *cap. 5.* * *al.* sufurere perne

Talis sit ciuibus princeps, quales sibi Deos velit. Quod si Dii placabiles, et aequi, delicta potentium non statim fulminibus persequuntur: quanto aequius est, hominem hominibus praepositum, miti animo exercere imperium, et cogitare, vtrum *cap. 7.*

mundi

mundi ſtatus gratior oculis pulcriorque ſit ſereno et puro die, an cum fragoribus crebris omnia quatiuntur, et ignes hinc atque illinc micant? Atqui non alia facies eſt quieti moderatique imperii, quam ſereni coeli et nitentis.

Ouid. 2. Triſt. Eleg. 1. v. 33.

Si, quoties homines peccant, ſua fulmina mittat
Iupiter; exiguo tempore inermis erit.

cap. 14.

Quod ergo officium eius (principis) eſt? quod bonorum parentum: qui obiurgare liberos nonnunquam blande, nonnunquam minaciter ſolent, aliquando admonere etiam verberibus. Numquid aliquis ſanus filium ad primam offenſam exheredat? niſi magnae et multae iniuriae patientiam euicerint, niſi plus eſt, quod timet, quam quod damnat, non accedit ad decretorium ſtilum. Multa ante tentat, quibus dubiam indolem, et peiore loco iam poſitam, reuocet: ſimul deplorata eſt, vltima experitur. Nemo ad ſupplicia exigenda peruenit, niſi qui remedia conſumſit. Hoc, quod parenti, etiam principi faciendum eſt: quem appellamus patrem patriae, (titulo omnium pulcherrimo) non adulatione vana adducti. Cetera enim cognomina honori data ſunt. Magnos, et Felices, et Auguſtos, diximus, et ambitioſae maieſtati quidquid potuimus titulorum congeſſimus, illis hoc tribuentes: Patrem quidem patriae appellauimus, vt ſciret datam ſibi poteſtatem patriam: quae eſt temperatiſſima, liberis conſulens, ſuaque poſt illos ponens.

2. Nul-

2. Nulla regi gloria est ex saeua animadu- *c.* 17.
ersione. Quis enim dubitat (eum saeuiter animaduertere) posse? At contra maxima, si vim suam continet, si multos irae alienae eripuit, neminem suae impendit.

Id facere laus est, quod licet, non quod- *Seneca*
libet, *Octau.*
Minimum decet libere, cui multum licet. 455.

Alexander magnus, vrgenti matri (Olym- *Troas. v.*
piae) vt occideret quemdam insontem, et 334. *Am-*
dictitanti, spe impetrandi postea, quae vellet, *mian. l.*
eum se per nouem menses vtero portasse 14. *p.* 29.
praegnantem; respondit prudenter: *Aliam, parens optima, posce mercedem: hominis, enim salus beneficio nullo pensatur.*

Antoninus Pius hanc celebratam Scipio- *Capitol.*
nis sententiam frequentauit: *malle se vnum* *c.* 9.
ciuem seruare, quam mille hostes occidere.

Theodosius, conquerente quodam ex fa- *Ioan. An-*
miliaribus, quod sontes morte non multa- *tioch.*
ret: *vtinam*, inquit, *et mortuos liceret ad vitam reuocare.*

Vespasianus neque caede cuiusquam vn- *Sueton.*
quam laetatus, iustis suppliciis illacrimauit *in Vesp.*
etiam, et ingemuit. *c.* 15.

Primis annis imperii Neronis Caesaris, *Seneca* 2.
animaduersurus in latrones duos, Burrus *de Cle-*
(Praetoriis cohortibus) praefectus, vir egre- *ment. c.* 1.
gius, exigebat a Nerone, (vt) scriberet (nomina eorum,) in quos, et ex qua caussa animaduerti vellet: hoc saepe dilatum, vt aliquando fieret, instabat. Inuitus inuito quum chartam protulisset, traderetque; exclamauit

id. 3. *de ira c.* 19. uit Nero: *Vellem nescire litteras.* Quam diuersa illa vox erat a Caligulae voto, qui optabat, *vt populus Romanus vnam ceruicem haberet*, vt scelera sua, tot locis, ac temporibus diducta, in vnum ictum et vnum diem cogeret.

1. *de Clem. cap.* 9. 3. Delatum est ad Caesarem Augustum indicium, L. Cinnam, stolidi ingenii virum, insidias ei struere. Dictum est, et vbi, et quando, et quemadmodum aggredi vellet. Vnus ex conscriis deferebat. Constituit se ab eo vindicare. Consilium amicorum (in posterum diem) aduocari iussit: nox illi inquieta erat, quum cogitaret adolescentem nobilem, hoc detracto, integrum, Cn. Pompeii nepotem, damnatum. Iam vnum hominem occidere non poterat: quum M. Antonio proscriptionis edictum inter coenam dictarat. Gemens subinde voces emittebat varias, et inter se contrarias: *Quid ergo? ego percussorem meum securum ambulare patiar, me sollicito? Ergo non dabit poenas, qui tot ciuilibus bellis frustra petitum caput, tot naualibus, tot pedestribus praeliis incolume, postquam terra marique pax parta est, non occidere constituat, sed immolare?* nam sacrificantem placuerat adoriri. Rursus silentio interposito, maiore multo voce, sibi (magis,) quam Cinnae irascebatur: *Quid viuis,* (inquiebat,) *si perire te tam multorum interest? quis finis erit suppliciorum? quis sanguinis? Ego sum nobilibus adolescentulis expositum caput, in quod mucrones acuant. Non est tanti vita, si, vt ego non peream,*

tam

tam multa perdenda ſint. Interpellauit tandem illum Liuia vxor; et: *Admittis*, inquit, *muliebre conſilium? Fac, quod medici ſolent, qui vbi vſitata remedia non procedunt, tentant contraria. Seueritate nihil adhuc profeciſti. Saluidienum Lepidus ſecutus eſt, Lepidum Muraena, Muraenam Caepio, Caepionem Egnatius, vt alios taceam, quos tantum auſos pudet: nunc tenta, quomodo tibi cedat clementia. Ignoſce L. Cinnae. Deprehenſus eſt: iam nocere tibi non poteſt, prodeſſe famae tuae poteſt.*

Gauiſus ſibi, quod aduocatum inuenerat, vxori quidem gratias egit (Auguſtus,) renuntiari autem extemplo amicis, quos in conſilium rogauerat, imperauit, et Cinnam vnum ad ſe arceſſit: dimiſſisque omnibus e cubiculo, (delatum ad ſe indicium expoſuit, adiecit locum, ſocios, diem, ordinem inſidiarum; et quum ſua in eum beneficia plurima commemoraſſet, pro quibus ille infandam caedem parauerat; his verbis deſiit:) *Vitam tibi*, inquit, *Cinna, iterum do, prius hoſti, (quum te in hoſtium meorum caſtris inuenerim,) nunc inſidiatori ac patricidae. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat: contendamus, vtrum ego meliore fide vitam tibi dederim, an tu debeas.* Poſt haec detulit (ei) vltro conſulatum, queſtus, quod non auderet petere: amiciſſimum fideliſſimumque habuit, heres ſolus fuit illi: nullius amplius inſidiis ab vllo petitus eſt. Id clementiae beneficio conſecutus, quod antea ſeueritate fruſtra quaeſierat.

4. Grae-

Cicero Epist. ad Quinct. l. 1. ep. 1. c. 11.

4. Graecis, id quod acerbissimum est, quod sunt vectigales, non ita acerbum videri debet, propterea quod sine imperio populi Romani, suis institutis, per se ipsi ita fuerunt. Simul et illud Asia cogitet, nullam a se neque belli externi, neque discordiarum domesticarum calamitatem abfuturam fuisse, si hoc imperio non teneretur. Id autem imperium quum retineri sine vectigalibus nullo modo possit; aequo animo, parte aliqua suorum fructuum, pacem sibi sempiternam redimat atque otium.

Tacitus 4. hist. c. 74.

Neque quies gentium sine armis; neque arma sine stipendiis: neque stipendia sine tributis haberi queunt.

Cicero pro leg. Man. cap. 7.

Vectigalia nerui sunt reipublicae.

Sueto. in Tiber. c. 32. Aur. Victor. Epit. c. 66.

Tiberius praesidibus, onerandas tributo prouincias suadentibus, rescripsit: *Boni pastoris esse, tondere pecus, non deglubere.*

Traianus exactiones improbans et detestans, *fiscum lienem* vocauit, *quod eo crescente artus reliqui tabescunt.*

FINIS

SELECTARVM HISTORIARVM

INDEX

Landesbibliothek Oldenburg

INDEX RERVM MEMORABILIVM

A

Abdolomino nihil habenti, nil defuit 292
Achyta iram vicit 324
Actio nulla recta erit, nisi et voluntas recta est 76
Ada, Mausoli soror, Alexandro M. cibos exquisitae artis confectos dono misit 363
Admetus coniugem suam pro se mori est passus 188
Adolescens v. pueri
Adolescentia a libidine coërcenda est 418
Adrianus neglexit occasionem vlciscendi 97 seruo vulnerato fecit potestatem petendi munus 121
Adulatio vitiorum adiutrix est 221. opes regum saepius, quam hostis euertit, 341. perpetuum malum regis est, *ibid.* in erudiendo cauenda est 156
Adulator artifex est ad captandos superiores 342 illi non praebeantur aures *ibid.* exempla adulatorum 344. seqq.
Aegyptii periurum capite multabant 117. apud illos seruum occidens morte damnabatur 120. grati erga bene meritos 240. illorum mos sepeliendi 308. musicam contemserunt 406. illis praecipua iudiciorum cura fuit 458.
Q. Aelius Tubero frugalitatis exemplar fuit 385
L. Paullus Aemilius Romae exstruxit bibliothecam 164. filiam Catonis filio in matrimonium dedit 196. aduersam et prosperam fortunam aequo animo tulit 317. 340. abstinentiae deditus 450
P. Scipio Aemilianus fraternum animum in fratrem ostendebat 197 frugalitatem coluit 384 graecis litteris imbutus fuit 421. temperantiae studiosus *ibid.*

Aemluatio laude excitatur, 440. exempla 441. *sq.*
Aeneas deos et parentes reuerenter coluit 142
Aequabilitas vitae praeclara est, 352. exempla *ib. sq.*
Aeschines paruo munere vicit opulentorum munificentiam 233
Aethiopes colebant iustitiam 69
Agathocles res secundas aequo animo tulit 340
Agesilaus templis magnam habuit reuerentiam 21. iustitiam coluit 69. patri obtemperauit 140. irritamentis gulae non delectatus est 373. in vestitu mediocritatem amauit 397. cum filio ludebat, 426. statura breuis 432. clemens 455. patientiae et abstinentiae exemplum 472
Agis, rex Lacedaemoniorum, patienter tulit iniuriam 86
Agricultura est magistra parsimoniae, diligentiae, iustitiae 386. olim clarissimi viri in colendis agris operam consumserunt 387. *sqq.* opera, non impensa constat 389
Agrigentini magnis impensis aedificarunt, eodemque modo coenarunt 368
Agrippa leue beneficium amplo munere remuneratus est 240
L. Albinius praeferebat religionem publicam priuatis affectibus 18
Alcestis voluntario obitu pro marito defungebatur 188
Alcibiades magno in pretio habuit Homerum, 52
Alexander M. magnifice coluit deos, 10. pius erga deos 21. Pindari familiae pepercit, 51. delectabatur Homero, *ib.* iniustitiae arguebatur 83. 84 pietas eius in patrem, 143. praeceptore vtebatur Aristotele, 158. gratus erga praeceptorem 170. summum periculum propter illum suscipiebat, *ib.* amicos Hephaestionem et Craterum diligebat, 207. 208. amicos thesauros suos vocabat, 217. liberalis fuit 229. illi a Corinthiis donabatur vrbs, *ibid.* se ipsum vincere non potuit

potuit, 264. vitia illum fregerunt, 265. 268. Phocioni dona obtulit, 277. Cyri sepulcrum aperiri iussit, 307. superbe se gessit, 339. caelestes honores concupiuit, 342 adulatoribus aures praebebat, 343. Callisthenem necauit, *ib.* gulae delicias neglexit, 363. ebrietati indulgens transfodit Clitum, 379. vestitu honesto incedebat, 396 vigilantiae studuit, 400 musicae operam dedit 405. Paternae gloriae aemulator, 441. aequitati studuit 460. 477

Alexander Seuerus liberalis fuit, 226. iustitiae studiosus 448

Amasis, Aegyptiorum rex, ciuium negotia honesta esse voluit, 422. iocis indulgebat 427

Amicitiae definitio, 202 non nisi in bonis esse potest, 203. est omnibus anteponenda, *ib.* vtilitas illius, 204. per et propter se expetenda est, 205. animum oblectat, *ib.* illi religio et fides anteponenda est, 211. quae firma est, *ib.* prima illius lex, *ib.* quae nulla et falsa, 212. Damonis et Pythiae, 207. Orestis et Pyladis, 219

Amicus amicum diligere debet, vt semet ipsum, 206. cauti simus in illis eligendis, *ib.* est alter idem, 207. ipsi omnia credenda, 209. illius caussa nihil contra rem publicam faciendum *ib.* nihil turpe, 210. admonendi sunt, 211. omnia possidentibus saepe deest, 214. exempla 214. *sq.* perdere amicum est damnum irreparabile, 216. sunt thesauri regum, 217. optimum instrumentum imperii, *ib.* certus in re incerta cernitur 218. verus rarus est, 221. falsi tempore infelici deuolant 222

Amoenitas nimia effeminat animos 267

Amor coecus est 105

Anacharsis continentiae studuit, 278. ebrios reprehendit 380

Anaxagoras contemnebat sepulturam, 305. mortem filii aequo animo ferebat, 316. quem beatum iudicabat 359

Anaxarchus supplicia fortiter perpessus est, 310
Androdus a leone conseruatur 241
Animus sine cultura fructuosus non est, 33. vincere animum maxima victoria est, 265. indurandus et a blandimentis voluptatum abstrahendus est, 267. in duas diuiditur partes, 355. cibo completi illo recte vti non possumus, 367. discendo et cogitando alitur, 371. illius origo diuina est, 372. ad patientiam exercendus est, 374. exempla, *ib.* ad rationem reddendam quotidie vocandus est, 401. exempla, *ib.* illi inest auiditas discendi, 405. illi remissio concedenda est 428
Anniceris Cyrenaeus artis equitandi peritus, 41
Antagoras insaniae accusabatur 329
Antigonus iustitiam colebat, 69. Cynicum nimium petentem repellebat, 229. maledicta miti animo ferebat, 331. 432. linguam cohibuit, 425. aequitati studuit 462.
Antimachus virum bonum omnibus aliis praetulit 359
Antiochus fratrem impense amabat, 198. veritatem ex rusticis audiuit, 215
Antisthenes ex inimicis veritatem audiendam esse praecepit, 104. satius esse censuit cum paucis viris bonis dissentire ab omnibus malis, 358. eius facete dictum, 436.
M. Antonius a seruo liberatur, 126. illum ebrietas perdidit, 379
M. Aur. Antoninus diis gratias egit pro beneficiis, 14. in senectute frequentauit scholas philosophicas, 50. magnum honorem magistris suis detulit, 172
Antonius Pius ciuium saluti consuluit 477
Apelles aliorum iudicio errores correxit 417
Apollonis, regis Eumenis mater, beatam se praedicauit propter filiorum concordiam, 201
Apollonius quid a diis petendum sit, docet, 22
Appetitus rationi obedire debent, 355. sedandi sunt 429. Ab-

Appion polyhistor vocatus 241
Arcesilaus clam succurrit amico pauperi, 230. dolores fortiter tulit, 314. conuicia contemnit, 329
Archelaus liberalis erga Euripidem fuit, 231
Archimedes discendi cupidus fuit, 28
Aristides iustus cognominatus est, 65. 75. iustus erga hostes, 83. a mendacio alienus, 91. vlcisci nolebat, 97. iniurias patriae moderate tulit, 138 exempla iustitiae illius 460. 463.
Aristippus indoctos cum lapidibus et mancipiis comparauit, 33. naufragium eius et munera, 36 vtilia legenda esse docuit, 41. sibi optauit, vt Socrates, mori, 302. ebrium reprehendit, 380
Aristotelis opinio de diis colendis, 4. de homine, 26. plus ex moribus, quam ex verbis Socratis traxit, 44. emit multos libros, 53. praeceptor Alexandri M. 158. Xenocratis exemplo incitatus est, 441
Arria concors cum marito vixit, 199. mortem subiit, 191
Artaxerxes paruum donum grato accepit animo, 234. liberalis fuit in remunerando, 235. ficis aridis et pane hordeaceo delectatus est, 363. seuerus in malos iudices fuit 460
Artemisia maritum maxime dilexit 192
Asdrubal interfectus est a seruo 127
Astyages filium necandum iussit, 346. luxuriae indulsit 378
Athenienses ingrati fuerunt erga bene meritos 87
Attalus frugalitatem colebat, 383. minimum dormiuit, 400
Attia mater Augusti sollicite obseruabat filium, 164
T. Pom. Atticus nunquam mentitus est, 92. malebat iniurias obliuisci, quam vlcisci, 97. qarsimoniae studiosus 473
C. Attilius ab aratro ad gubernacula imperii euectus est 387
Auaritia inhaeret in visce-

Landesbibliothek Oldenburg

ribus 269. insatiabilis est, *ib.* 270. 283. maxima pernicies est, *ib.* nullum tetrius vitium, 449
Augustus maluit Herodis porcum esse, quam filium, 34. nepotes litteras et natare docuit, 164. illi defuerunt veri amici 216. gratus erga omnes, 240. nemini, nisi iustis ex caussis bellum intulit 251. facile ad iram excitatus et sedatus est 325. mitis fuit, 334. forma eximia fuit, 392. non temere veste alia, quam ab vxore confecta, vsus est, 396. cum pueris ludebat, 426. facete illius dicta, 436. 437. parsimoniae studuit, 437. Romam exornauit, *ib.* clemens fuit 478

B

Babylonii ebrietati dediti fuerunt 268
Beatus qui dicendus, 357. ante obitum nemo, 361
Bellum gerere licet, 107. illius caussae iustae esse debent, *ib.* iustitiae in bello studendum est 108. exempla ducum, qui iustitiam in bello exercuerunt, 108. *sqq.*
Beneficentiam exercere debemus, 222. exempla 223. cui et quomodo exhibenda 227
Beneficiis capitur beneuolentia, 225. ex illis nullum lucrum, nec gloria capienda est, 228. cui exhibenda, *ib.* male locata sunt male facta, *ib.* alia alios decent, 229. quae palam, et quae clam danda sint, 230. superbia vitanda est in exhibendis illis, *ib.* etiam non petenti saepius danda sunt 231. tarditas fugienda 232. animus illis pretium dat, 233. sit gratuitum, 235. non venale, 237. grata mente sunt accipienda, 238. exempla 239 *sqq.* et ferae sentiunt illa, 241. saepius ingrato porrigenda 249
Beneuolentia capitur beneficiis 225
Bias impiis interdixit deos inuocare, 11. quidquid boni fecit, in deos retulit, 14. virtutem et doctrinam diuitiis antepositi, 284. res secundas et aduersas aequo animo tulit 348

Bibliotheca antiquissima apud Aegyptios, 58. Romam primus librorum copiam aduexit L. Paullus Aemilius, 59. modus in illa comparanda habendus est, 61. numerosa a Ptolomaeo conquisita est, 58. v. etiam Libri.
Bocchus, rex Maurorum, munificus fuit 239
L. Iunius Brutus sanguinem suum patriae impendit, 129. vltor pudicitiae violatae 133. fidelem habuit vxorem, 189. et fidelem amicum 220
Busa in patriam pecuniam impendit 135

C.

Iulius Caesar erga artium doctores liberalis fuit 53. iniurias obliuiscitur 101. hostes et suas cupiditates vicit, 265. 329. aemulator Alexandri M. 442
Caligula cum adulatoribus conuersatus est. 345.
Callicratidas aequus fuit, 70. gloriae et famae studiosus 293
Calpurnii fortitudo, 253
Cambalus a patre impense amabatur 183
Cambyses ebrietati deditus, 346. crudelis fuit 347. seuerus erga iudicem iniustum 458
Camillus iustus in bello 108. iniuriam patriae moderate tulit 138
C. Canius deceptus est, 89
Capua prona semper in luxuriam, 266. Hannibali Cannae fuit, 267
Carneades discendi cupidus 28
Caritate sublata omnis tollitur vitae iucunditas 203
Cato senex didicit graecas literas, 48. erat in illo inexhausta cupiditas legendi, 60. maluit esse, quam videri vir bonus 67. iniuriam illatam non vindicauit, 96. benignus erga seruos, 125. filium in literis instituit, 163. bonum maritum laudauit, 188. beneuolentia eius in fratrem, 200 liberalis in amicos, 218. legi agrariae resistebat 261. continentiae studiosus, 271. conuicia contemnebat, 328. frugalitati studuit, 384. cubitum iens acta diei reputauit, 400. abstinentiae studio-

sus 472
Catilinae imago, 445
Celeritas in iudicando criminosa est 88
Ceus superbus fuit 392
Charondas cum flagitioso consuetudinem prohibuit 410
Cibi et potus optimum condimentum est fames et sitis, 362. exempla 363 *sqq.*
M. T. Cicero a diis consilium accepisse praedicauit, 13. studiosus philosophiae, 39. magnam comparauit sibi bibliothecam, 60. benignus erga seruos, 123. locum generationis magni fecit, 168. Catonis constantiam expugnauit 261. linguam continere suasit fratri, 337. facete dicta protulit, 436 *sqq.*
Q. Cicero filius dilexit Cratippum praeceptorem, 167. modestiae, famae et litteris operam dedit, *ibid.*
Cimon pietate in patrem et in ciues beneuolentia insignis fuit, 223. abstinentia excelluit, 450
Ciues magistratui obedire debent, 466. exempla *ib. seqq.*
Cleanthes tarditatem ingenii diligentia vicit, 30
Clementia cum seueritate coniungenda est, 474. exempla, *ib. sq.* maxime principem decet, *ibid.*
Cleobulus suasit puellam aetate virginem, prudentia mulierem ducere in matrimonium, 193
Clinias maluit damnum facere, quam iurare, 116 liberalis fuit 237
Cloelius iugulatus est, 151
Clypeus apud Graecos magni aestimabatur 257
Codrus pro salute patriae morti se obtulit 129
Comoediae moribus multum nocent, 407. ex rep. proscribendas esse censuerunt viri clarissimi *ibid.*
Comitas animos hominum conciliat 453
Coniugium est societas iucundissima et vtilissima, 185. ex moribus et virtutibus delectus coniugis fiat 193
Coniunctio animorum ex studiis oritur, 44. Polybii et Scipionis, *ib.*

Conſcientia bona, 443
-- mala 444
Conſtantinus non vlciſcebatur iniuriam, 326
Conſuetudinis magna vis eſt 315
Continentiae eſt ſtudendum, 271. exempla, 272 *ſeqq.*
Conuerſatio cum quo inſtituenda, 330. 410. multorum inimica eſt 409. bonorum in prauum inclinantes reuocat 414
Corinthii Alexandro M. donauerunt ciuitatem 229
Cornelia, Gracchorum mater, liberos magni fecit 161
Corpus magis neceſſaria, quam magna res eſt, 361 illi indulgendum quidem, ſed non ſeruiendum eſt, *ib.* illius exigua deſideria ſunt, 366. illius obeſitas caſtigata fuit olim a Lacedaemoniis atque Romanis 369. exercendum eſt, 373. *ſq.* illius motus ſint modeſti 389
Cotys iracundus fuit, 329
Craſſus memoria inſigni gaudebat 63. iuſtitiae ſtuduit 102
M. Craſſus in omni vita ſemel riſiſſe dicitur, 352
Cratippus Ciceronis filii praeceptor fuit, 167
Croeſus Solonem ad ſe vocauit, 359. pretioſiſſimis veſtibus vſus eſt, 397
Cupiditas diſcendi et docendi omnibus innata eſt, 43
-- gloriae cauenda, 284
-- pecuniae fugienda 268. nunquam expletur 383
-- veri inſatiabilis eſt 27
M'Curius continentiae ſtudioſus 271
Cynaegirus ob virtutem laudatur, 257
Cyrus memoria ſingulari praeditus erat, 63. terræ corpus ſuum reddendum mandauit, 307. facile ad iram moueri potuit, 335. clemens fuit 455

D.

Nic. Damaſcenus magnam curam in erudiendis ſeruis poſuit 120
Damocles Dionyſii felicitatem

tatem deguſtauit, 445
Damon et Pythias coniunctiſſimi fuerunt, 207
Darius mulieris amore erga fratrem delectabatur 198. amiciſſimum habebat Zopyrum, 216. ſepulcrum Nitocris aperiebat, 307. mitis, 344. veritatis impatiens erat, 345. aquam turbidam in fuga bibit, 363
Decii pro patria ſeſe deuouerunt 133
Delphinus puerum nutriebat 244
Demaratus veritatem Xerxi dixit, 215. contemtor artium, quae aures deliniunt 406
Democritus diuitias proiecit, 381
Demas expleri donis non potuit 277
Demetrius non propter praedam, ſed propter dignitatem bella geſſit 197. *ſq.*
Demetrius Phalereus in philoſophia excellebat 38. praeerat bibliothecae Ptolemaei, 59. contemnebat diuitias, 273
Demoſthenis ſtudium diſcendi, 29. ab inimicis fugiens pecuniam accepit 101. ebrietatem reprehendit, 380. veſtitu et ornatu ſibi indulſit, 395. vigilantiae ſtudioſus, 441
Deuotiones Deciorum pro patria 133
Deus, dei, exiſtentia, 1. cognitio de deo omnibus eſt inſita, 2. cognoſcitur ex operibus, 2. illius natura, 4. eſt ſpiritus, 5. aeternus, *ib.* omnipotens, *ib.* immenſus, 6. omniſcius, 7. veterum philoſophorum opiniones de deo, 4. Ariſtotelis, *ibid.* lamblichi, 4. Protagorae, 2. de illo diſputandum non eſt, 3. omnia ab illo ſunt, 6. prouidentia eius omnia adminiſtrat, *ibid.* ſumma pietate eſt colendus, 7. non diuitiis, ſed innocentia placatur, 9. puras non plenas adſpicit manus, 10. cultus illius, 12. ſine illo nemo eſt vir bonus, 12. ſine illo nihil ſuſcipiendum, 14. eſt magiſter omnium artium, 15. contemtores ſui vindicat, 18. quid petendum a diis, 22. ira illius lento

to gradu procedit, *ib.* dii omnia sine mercede faciunt, 277. patrium aduersus bonos habet animum 351
Diagoras filios vidit vincere, 184. prae gaudio animam efflauit, *ibid.*
Diocletianus sponte fasces imperiales reliquit, 289
Diogenes a studio philosophiae remoueri non potuit, 32. inertiam Megarensium ridet, 34. senex a laboribus non quiescebat, 49. qua ratione vlciscereturinimicos, 103. continentiae studiosus, 279. humationem contemsit, 305. aduersus populum nitens ingrediebantur, 358. ad laborum tolerantiam se exercuit, 374. diuitias proiecit, 381. modestus fuit, 391. clarissima luce homines lucerna quaesiuit 435
Diomedon Epaminondam frustra corrumpere tentauit 275
Dion patienter tulit iniuriam, 85. illatam iniuriam non vindicauit 98. 337.
Dionysius impius erga deos, 19. debita impietati supplicia exsoluit, *ib.* vili cibo delectatus est 363. poëmatibus scribendis operam dedit, 434. felicitas eius, 445
Dionysius iunior studiosus philosophiae fuit, 40
Discipulus qualis esse debeat, 47. praeceptores amet et studia, 166. 168
Diuiti omnia desunt, si ipsi deest amicus, 214. quis vere diues, 271
Diuitiae afferunt voluptatem et superbiam, 15. in patriam impensae, 135. donando diuitias nostras facimus, 233. tantum procuratores illarum sumus, 232. illas amare anguśti animi est, 268. contemnere honesti, *ib.* exempla, 271. *sqq* sunt pestis virtutis et materia scelerum, 280. veræ diuitiae virtus et doctrina sunt, 282 illas abiecit Diogenes, 381. Democritus, *ib.* pecuniae optimus modus, 382. *sq.*
Docto facile est ditescere 35. in omni ciuitate ciuis est, 36. qui vere doctus

ctus 43. iis honos habeatur 50. 54
Dolor fortiter ferendus est, 308. nec formidandus, 310. exempla eorum, qui dolores neglexerunt grauissimos, 311. *sqq.* doloris remedium patientia est, 315. omnem dolorem longinquitas temporis minuit 319
Delus Labeonis 115
Dominus erga seruos sit benignus, 122. exempla adducuntur, 122. *seqq.*
Domitianus muscas captauit, 427
Cn. Domitius iustitiae studuit, 102
Draco puerum e periculo eripuit, 245
Draco leges acerbiores dedit, 422
Drusus vitam in conspectu omnium gerere voluit 444

E.

Ebrietatis definitio, 379. omnia vitia incendit et detegit, *ibid.* exempla *ib.* longi temporis taedio pensat hilarem insaniam 381
Ebrius non est in sua potestate, 379
Educatio mollis pernicioſa est, 156. 158.
Eleates magnos perpessus est cruciatus 310
Ennii facete dictum, 433
Epaminondas veritati studuit, 91. iniurias ciuium patienter tulit, 137. praeceptorem suum Lysim omnibus in familiaritate antepoſuit, 166. fortiter pro patria vitam profudit, 256. pauper fuit, 275. a virtute remoueri non potuit, *ib.* imperium delatum recusauit, 289. res secundas moderate tulit, 339. studioſus audiendi fuit, 423
Ephialtes pauperrimus fuit 274
Euclides vitae periculo excoluit philoſophiam, 32. placabilis erga fratrem, 202
Euripidi non petenti donabatur proculum aureum, 231
Exempla domestica magis corrumpunt, quam externa, 155. aliorum exemplo corrigenda vitae nostrae ratio est, 416 illustratur exemplis, 417. *sq.* blandissime iube-

iubetur exemplo, 472 *sq.*

F.

C. Fabius deorum cultum ne mortis quidem metu prohibitus deseruit, 16
Fabius Maximus in honorem patriæ paupertatem inopia mutauit, 135
Q. Fabius imperium recusauit, 286. publicae vtilitatis caussa famam neglexit, 293
C. Fabricius a continentia et grauitate animi remoueri non potuit, 111, 272. 290
Facete dicta, 433 *sqq.* facta *ibid. sqq.*
Famae bonae damna aestimari non possunt, 88. alienae detractio teterrima res est, 89. illius iactura negligenda vtilitatis publicae caussa, 293. illi consulendum, 442. quomodo acquirenda, 443
Fames est optimum condimentum cibi, 362. exemplis illustratur, 363 *sq.* exiguo pretio potest sedari, 366
Fauorini facete dictum 438
Felicitas, v. Res secundae
Felix, v. Beatus.
Fides hosti seruanda est, 112. exempla eorum, qui eam seruarunt, 112. *sqq.* qui eam fregerunt 114 *sq.*
Filiæ pietas in matrem, 149
Filius Croesi patrem a morte liberauit, 142
Forma venusta nequitia non corrumpenda est 393
Fortitudo duplex est, 250. 263. definitio Stoicorum, *ib.* quae culpanda, *ib.* exempla fortitudinis bellicae, 251. *sqq.* Horatii, 251. Calpurnii, 258. Leonidae, 255. Epaminondae, 256. Cynaegiri, 257. domestica militari haud inferior est, 258. ea est laude dignissima, sibi imperare posse, 264. vera non in gloria, sed in facto posita est, 294. illius munera sunt contemtio mortis ac doloris, 295. quale praemium apud Graecos fuerit constitutum viris fortibus, 256. v. etiam Vir fortis.
Fortunae munera facile adimuntur, 36. prosperam et asperam moderate fer-

Landesbibliothek Oldenburg

feramus, 338. exempla, 339. *sqq.* illis non est credendum, 348. nullum in hominum mores ius habet, 349. multos illustrat, dum vexat, 354
Fratres se inuicem colere debent, 195. nemo, quam frater fratri amicior est *ib.* concordes esse debent, 196. rara fratrum caritas est, *ib.* exempla fratrum, qui paterno amore se inuicem prosecuti sunt, 196. 360. etiam barbarorum, 198
Frugalitas bonae valetudinis mater est, 375. colenda est, 381. 383. exempla 381. *sq.*
A. Fuluius in filium seuerus fuit, 180
Fuga quando petenda, 251
C. Furius Cresinus veneficii accusatus et absolutus est, 389

G.

Gaditanus quidam ad Liuium visendum magnum iter suscepit, 51
Galenus iracundum in seruos correxit, 121
Galetes benignus fuit, 226
Galli religionis haud negligentes fuerunt, 16
Gelo ornauit Iouem aureo amiculo 19
Genus vitae, v. Vita.
Germani hospitalitatem colebant, 236
Gestus sint modesti, 389
Gillias liberalis fuit, 224
Glaucus iustitiæ studuit, 74
Gloriae sempiternus cursus est, 128. cupiditas illius fugienda, 284
Gorgus ex amore erga filium interfectus est, 183
C. Gracchus non suis, sed ciuium commodis studuit 452
Tib. Gracchus ex amore erga vxorem mortem subiit, 187
Graeci nobilibus athletis magnos constituerunt honores, 53. magna apud illos cura hospitalitatis fuit, 236. quale constituerint praemium viris fortibus, 256. optimus illorum pauperrimus fuit, 274. exempla afferuntur, 275 *seqq.* illorum mos speliendi, 306. corpora iuuenum labore firmari voluerunt, 418. quomodo pueros instituebant, 420
Granii facete dictum, 433

Gratiarum actio est maxima virtus, et mater aliarum virtutum, 238. gratias agere debemus benefactoribus, *ib.* exempla, 239. *sqq.* est ad plus dandum inuitatio, 241. et ferae gratae sunt, 241 leo, *ib.* delphinus, 244. draco, 245
Gratidianus violauit aequitatem, 81

H

Hannibal audiuit Philosophum Phormionem 47. Romanis redimendi se copiam fecit, 113. a voluptate victus, 266
Harpagus adulator fuit 346
Hereditas liberorum optima est parentum gloria virtutis, 153. dies hereditatis aut discordiae aut concordiae principium esse solet, 197
Hieroni ab inimico foetor oris exprobatur, 105
Hispani taciturnitati studuerunt, 424
Homerus magno in pretio est habitus, 51
Homo a deo creatus est, 23 est animal sagax, *ib.* est ipsi similitudo aliqua cum deo, 24. ad intelligendum et agendum est natus, 26. bonus esse debet *ib.* illius est, verum inuestigare, 27. insatiabili veri videndi cupiditate gaudet, *ib.* homo hominis caussa generatus est, 71. membra sint corporis magni, 72. conuenit illi a litibus abhorrere, 105 sunt societate communi coniuncti, 127. illo nullum animal morosius, nullum maiore arte tractandum, 175. est hominis, suos amare, illisque veniam vltro dare, 202. tam bene culmo, quam auro tegitur, 362. melius exemplis docetur 469
Honestum iustitiae repugnare non debet, 83. sumus natura illius studiosissimi 309
Honos alit artes, 442
Horatius Cocles vir fortis fuit, 251
Hortensius memoria singulari praeditus est, 64. munditiae et mollitiei indulsit 395
Hospitalitatem exercuerunt Graeci atque Romani

mani, 236. Germani, *ib.*
Hosti fides seruanda est 112
Humatio in nobis contemnenda, in nostris non negligenda, 306
Humanitas erga omnes exercenda 338

I.

Imperii optimum instrumentum amici sunt, 217 maximum est sibi imperare, 264. imperii cupiditas cauenda, 284. exempla, *ib. sqq.* exempla eorum, qui ab aratro ad dignitatem imperii euecti sunt, 388. illius nerui vectigalia, 480
Impietas erga deos Dionysii, 19. Pyrrhi, *ib.* Pleminii, 20. Xerxis, 21
Impii donis deum placare non possunt, 11. serius ocius dant poenas, 18
Incuria parentum erga liberos culpatur 34
Indocti cum lapidibus comparandi sunt, 33
Infelicitas, v. Res aduersae
Ingenium institutione opus habet, 146
Ingratus animus turpe vitium est, 245. frequens est, 246. vnde oriatur, 247. odiosum et intolerabile, *ib.* concordiam scindit ac dissipat, 248. placido et mansueto animo ingrati ferendi sunt, *ibid.* melior fit ingratus ferendo, et de nouo dando, 249
Inimicis non maledicendum est, 100. ex illis amici faciendi sunt, *ib.* ex iis vtilitas capienda, 103 criminando a vitis auertunt, 104. saepius morbum animi latentem aperiunt, *ibid.* non irascendum illis, 325
Inimicitia vtilitatis publ. caussa deponenda est, 135. exempla, 135. *sqq.*
Iniuria nemini facienda, 85. 95. pati satius est quam facere, 86. 101. facile emittitur, 88. propulsanda ab aliis, 94. accepta vindicari non debet, 96. melius vincitur beneficiis, quam odio 99. exempla eorum adducuntur, qui illatam iniuriam non vlciscebantur 136.
Institutio liberorum necessaria est, 147. illa nil praeclarius est 166. quomodo apud Graecos, 420. apud Romanos, 421. Pytha-

thagoraе,423.vtrum priuata an publica melior, 440.v. etiam lib. puer.
Inuidia gloriae comes est, 66.virtutes detrectat,88
Ioco vti licet,sed parce, 430. in honestum et illiberalem diuiditur, *ib.*
Iram vincere debemus 265. exempla adducuntur,*ib.* Caesar, *ib.* Socrates, 324. 328. Achyta 324.aliique,329 *sqq.* furor breuis est,320.descriptio illius, 321. effectus 322. prohibenda maxime est in puniendo, 323. remedium est dilatio,324.ne inimicis quidem irascendum, 325. fulmen est, vbi cum potestate habitat,328.multis modis circumscribenda, *ib.* minimis rebus irasci insania est, 335.luxuria alit iracundiam,*ib.* repellenda est, 336. in ira furere muliebre est, 475
Iracundus non est in sua potestate, 325. sui impotens est, 326. exempla 327.*sqq.*
Isocrates alieno a litibus animo fuit, 106. bonus praeceptor 159
Iudex qualis esse debet457 nec donis, nec conspectu reorum moueri debet,458
Iugurthae imago 445
Iulianus parce somno vsus est, 400
Iusiurandum est seruandum etiam hosti,112. eo non frequenter vtendum, 115. quando licitum sit, 116. quando olim,*ib.* nunc vero prohibendum, 117. apud Romanos plus valebat, 144. v. etiam Fides.
Iustitia est regina virtutum,65. gratis exercenda, 67. iustitiae mercedem quaerere iniustum est,68.ad se nos allicit, *ib.* definitio, 70. iustus nil timere debet, *ibid.* ad illam sumus nati, 71. nulli nocet,*ibid.* iustitia clari, 75.*seq.* vnicuique suum tribuit, 87. victrix odii, 102. in bello obseruanda, 108. aduersus seruos seruanda, 118. versatur in societate tuenda, 127. neque inflecti, neque perfringi debet, 476

L.

Q. Labeo decepit Antiochum, 115. Romanos, *ib.*

Landesbibliothek Oldenburg

Labor omnia vincit, 30
C. Laelius modestus et humanus fuit, 338
Lacaena ad fortitudinem adhortabatur filium, 257 mortem filii aequo animo ferebat, 316
Lacedaemonii libros Archilochi exportari ciuitate iusserunt, 57. a prima aetate liberos instituendos curarunt, 160. apud illos viguit plurimum disciplina militaris, 179. aduersus diuitias inuictum gerebant animum 280. eorum virtus labefactata fuit diuitiis, 281. temperantiae studuerunt, 365. illorum conuiuia, 368. corporis obesitatem castigarunt, 369. ebrietatem prohibuerunt, 381. vnguentarios vrbe expulerunt, 398. omnes fabularum auctores e republ. exsulare voluerunt, 408. senibus honorem tribuebant, 412. illorum pueri imperium pati edocebantur, 419
Leges a deo sunt, 463. vitiorum emendatrices, 464. obseruandae, *ib. sqq.*
nitas exercenda, 331. exempla 332. *sqq.*
Leo gratus erga benefactorem suum, 241
Leon iustitiam laudauit, 70
Leonidas Alexandri M. paedagogus 173. fortitudine clarus, 255
Lex naturae prohibet alterum violare, 72. aliena appetere, 75. parentes diligere praecipit, 150
Liberalitas gratissima est, 222. Cimonis, 223. Pisistrati, *ibid.* Gilliae, 224. erga quos exercenda 217. rara est, 271
Liberi maxima beneficia a parentibus accipiunt, 139. parentes colere debent, *ib.* parentum iram aequo animo ferant, 140 quibus in rebus parentibus obtemperare debeant, *ib.* gratias agant parentibus, 141. exempla eorum, qui pietatem erga parentes exercuerint, 142. *sqq.* illorum optima hereditas est parentum gloria virtutis 153. rite instituendi sunt 154. 155. *sqq.* in eorum conspectu nihil reprehensione dignum committendum, 155. discunt

vitia ex parentibus, 156. tum formandi, quum simulandi nescii, 158 sunt maxima ornamenta matronis, 161. lacte matris nutriri debent, 163. satius est, eos liberalitate retinere, quam metu 176
Libertas quid sit, 467
Librorum lectio est necessaria, 56. certa esse debet, 57. varia delectat, 57. nullus tam malus, vt non aliqua parte prosit, *ib.* v. etiam Bibliotheca
Lingua continenda est, 336 425. exempla, *ibid. sq.*
Lites fugiendae sunt, 105.
Liuius magno honore ornatus 51
- - Salinator iniurias oblitus est 136
Lucani desidiam et luxuriam grauiter puniebant 422
Lucullus multis instructus libris fuit, 60. magnificentia villae ei obiicitur, 469
Lustrorum origo, 282
Lusus detegit mores, 158. concedendus est, 160. 428. modus retinendus, 429. *sqq.*
Luxuria mater iracundiae est, 335. terrarum marisque vastatrix, 378. coërcenda est, 383. ex illa omnia scelera gignuntur, 386
Luxus coërcendus est, 381. 383. Nero illi deditus fuit 397
Lycurgus vxorem moratam ducere praecepit 193. auri argentique vsum sustulit, 280. frugalitati studendum esse monuit, 368. saluberrimas condidit leges, 464
Lysander vitiis patriam infecit, 281. delicias gulae neglexit 372
Lysis praeceptor Epaminondae fuit 166

M

Maecenas Augusti familiaris, 212. mira vtebatur libertate flectendi iratum Augustum, 213
Magistratus colendus est, 448, lex viua est, *ib.* non suis, sed ciuium commodis consulat, *ib.* auaritiae non sit deditus, 449. comitatem exerceat, 453. exempla, 454. *sq.* seueritatem cum clementia coniungat, 454. non iracundia, sed aequitate ad pu-

puniendum accedat, 455
Malitia exſeritur opere, non incipit, 74. etiam deliberatio malitiae fugienda eſt, 76
Malum, v. Res aduerſae.
Malus, v. Vir malus.
L. Manlius ſeuerus in filium fuit, 144
T. Manlius Torquatus perindulgens in patrem L. Manlium fuit, 143. eius generoſum factum parentis gratia ſuſceptum, 144. acerbe ſeuerus in filium fuit, 177. recuſauit imperium 287
T. Manlius, Torquati filius, pugnauit fortiter cum equite Tuſculano, 177. acerbe a patre punitus eſt, 178
M. Marcellus inimicitiam aduerſus accuſatores non exercuit, 100. omnia aequo animo tulit, 353

M. Pomponii Marcelli facete dictum 438
Marcia valde luxit obitum mariti, 192
C. Marcius quamobrem Coriolanus vocatus eſt, 146. pius in matrem, 147 damnatus eſt, 148. Romanis bellum intulit, *ib.* precibus vxoris locum reliquit 149
Mardonius ad bellum excitauit Xerxem 88
Maritorum amor in vxores 187
C. Marius foriter tulit dolores, 313
Maſſilia nullum aditum in ſcenam mimis dedit, 409
Mater lacte ſuo filios alere debet, 163. matrum amor in liberos, 184
Matrimonium, v. Coniugium.
Medicina qualis olim fuerit, 377. qualis nunc, *ib.*
Medico plus debetur, quam ſoluere poſſumus, 169
Memoria excolendo augetur, 62. exempla eorum, qui ſingulari praediti fuerunt memoria, *ib. ſqq.*
Mendacium iniuſtum eſt, 91. non cadit in virum bonum, *ib.* exempla eorum, qui ab illo alieni fuerunt, 91. ſeqq. omnium odio dignum eſt, 92. apud Perſas turpiſſimum habebatur 93
Menecrates ſuperbus fuit 439

Landesbibliothek Oldenburg

Mens. v. Animus.
Menſae Platonicae, 366.
Syracuſanae, 367
Q. Metellus fuit vir fortis, 259. medius ſemper inter ſecundas et aduerſas res animi firmitate verſatus eſt, 353. linguam cohibuit, 425
Metius cum T. Manlio infelici ſucceſſu pugnauit 178
Miltiades omnibus ad ſe aditum conceſſit, 454
Mithridates ſingulari gauiſus eſt memoria 63
Modeſtia praeclara eſt virtus, 55. excolenda eſt, 390
Mores inter ludendum deteguntur, 158. eorum imitamur mores, quibus cum conuerſamur, 330. morum ſimilitudo conſtituit amicitiam, 204. illis damnoſum eſt deſidere in ſpectaculo, 406
Mors omnibus definita eſt, 128. 299. mori pro patria decorum eſt, 129. non metuenda eſt, 296. aequo animo oppetenda, 300. non affert exſtinctionem, ſed commutationem, 304. in illa omnis fortunae diſcrimen tollitur 306
C. Mucius Scaeuola maximos dolores moderate tulit, 311
Mulier domeſtica negotia curare debet 186
Munditia adhibenda eſt, ſed non odioſa, 394
Muſicae magna vis ineſt, 403. olim clariſſimi viri ſtudioſi illius fuerunt, 404
Muſonius neminem vnquam in ius vocauit, 106
Mycerinus, quam minime potuit, ſomno indulſit 399

N

Natura paucis contenta eſt, 364
Nauclides propter pinguedinem ſuam reprehenſus eſt, 370
Nero luxui deditus fuit, 397. primis annis imperii clemens fuit, 477

O

Obiurgatio careat aſperitate, 211. 455
Octauia Virgilio magnum dedit donum, 53
Officia cui tribuenda, 128. officiis remuneranda ſunt 341

Ora-

Orator obscoenitatem verborum fugiat, 431
Orbilius maiori fama, quam emolumento docuit litteras, 175. acerbus in discipulos fuit, *ib.*
Orestes sanctissime coluit amicitiam, 219
Osymandias, rex Aegypti, exstruit bibliothecam, 58
Otium interdum pueris concedendum, 159. 427.

P

Paci consulendum est, 107
Paedalii iustitiam exercuerunt 22
Papirius diis fecit votum, 10
Parentes colendi sunt, 139 maxima ab illis accipimus beneficia, *ib.* illorum iram liberi patienter ferre debent, 140. quibus in rebus illis obtemperandum est, *ibid.* gratias illis referre debemus, 141. a liberis liberati periculo, 141. *sqq.* liberos ament, 152. illis nil dulcius, quam liberi, dari potest, 153. sint pro educatione liberorum solliciti, 154. 158. 173. nihil mali in conspectu liberorum committant, 155. saepius liberis peccare discunt, 156. pessimi, qui adsiduis plagis liberos compescunt, 175. crudelitas illorum in liberos, 177. *sqq.* amor in liberos, 183. *sqq.*
Patricidium nefarium facinus est, 150. illius poena apud Romanos, 152
Parsimoniae studendum est, 375. 382. *sqq.*
Patientia erga cognatos maxime exhibenda est 202. est remedium doloris, 315
Patria conseruanda est, 128 dulcedine cunctos trahit, 129. mori pro patria decorum est, 129. exempla eorum, qui pro patria morti se obtulerunt *ib. sqq.* diuitiae in patriam impendendae sunt, 135. illi irasci nefas est 137. locus generationis amorem sui generat, 168. eam tum ignominia tum morte seruare debemus, 294
Paupertas aequo animo ferenda est, 274. 383. exempla, 275. *sqq.*

Landesbibliothek Oldenburg

Pausanias victoria parta elatus nefaria consilia iniit, 182. seuera in illum mater, *ib.* nulli aditum dabat, 454
Peccatum non metu, sed officii caussa omittri debet, 76. nunquam vtile est, 82. voluntas peccandi etiam peccatum est 74
Pecunia, v. Diuitiae, cupiditas pecuniae
Pelopidas filium habuit infamem, 155
Peregrinus, philosophus fuit vir grauis, et constans 78
Pericles colit praeceptorem Anaxagoram, 171. nihil mali amici caussa perpetrauit, 210. maledicta patienter tulit 336. abstinens, 390
Periurium homines, at non deos latet, 117. poena illius, *ibid.*
Persae mendacium oderunt, 93. liberos suos in prima statim aetate iustitiam docebant, *ib.* 160. parricidam genuinum filium non esse existimarunt, 152. temperantiæ studuerunt, 365. inuenerunt vnguentum, 398. illorum liberi ad temperantiam sunt instituti, 420. apud illos lingua grauius castigabatur, quam vllum probrum, 429. institutio liberorum qualis, 429
Pescennius adulatores ferre non potuit, 347
Phauorinus gratulatus est auditori de nato filio et asseruit filium lacte matris nutriri debere, 162, 163
Pherecydes praeceptor Pythagorae fuit, 169
Philippus magnam inimicis gratiam habuit, 103. a studiis humanitatis non abfuit, 157. epistola eius ad Aristotelem de nato filio Alexandro, *ib.* contumeliarum patiens, 333. mitis erga victos fuit, 334. gratus erga benefactorem, 239. erga omnes humanus, 338. facete illius dictum, 439 aequitati studuit, 463
Philosophia sedulo excolenda est, 32. est cultura animi, 33. summo studio excolebatur a Demetrio Phalereo, 38. a Cicerone

Landesbibliothek Oldenburg

39. a Plinio, 40. a Dionysio, *ibid.*
Philoxenus versuum dithyrambicorum celeberrimus artifex, 434
Phocion expertus est ingratos Athenienses, 87. vxor eius, 193. summa paupertate summam defendit gloriam, 276. mortem contemsit, 302.
Phormio, philosophus, disseruit de imperatoris officio, 47
Phryges ab omni abstinuerunt iuramento, 117
Pietas erga deos Alexandri M. 10. 12. Romanorum, 10. C. Fabii, 16. Liparensium piratarum, 17. est optima rerum magistra, 139
- - liberorum erga parentes est fundamentum omnium virtutum 139
Pindarus magno in honore est habitus, 51
Pisistratus iniuriam illatam ne agnouit quidem, 97. 330. ab illo defciuerunt amici, 217. liberalis est, 223
C. Piso vir constans fuit, 262. irae succubuit, 327.
Pittacus inimico non maledicendum esse existimauit, 100
Placabilitas laude digna est, 325
Plato cupidus discendi fuit, 28. studia superuacua reprehendit, 42. honore affectus est magno, 50. liberalis in emendis libris, 53. modestia eius, 55 amicos castigauit, 213. virtutem diuitiis praetulit, 284. iram dedomuit 324. Agrigentinos deridet propter impensas nimias in victum et aedificationes, 368. corpus validum habebat, 376. temperantiae studuit, *ib.* ex sua, quam finxit, ciuitate eduxit comoedias, 407. correxit Speusippum lenitate, 414.
C. Plautius ex amore erga vxorem pectus suum gladio percussit, 188
M. Plautius ex amore erga vxorem stricto ferro incubuit, 188
Pleminii impietas erga deos, 20
Plinius iunior studiosus philosophiae, 40. nihil legit, quod non excer-

perat

peret, 57. benignus erga seruos, 123. Corelliae consuluit de filii studiis instituendis, 173 laudauit Traianum, 217 numquam risit, 352. frugalitati studuit, 382
C. Plotius a seruis non proditur, 116
Plutarchus irasci turpe esse pronuntiauit, 323
Poena non maior sit culpa, 455
Pompeius delicias in victu neglexit, 366. taciturnitati studuit, 424
M. Pomponius, Tribunus plebis diem dixit L. Manlio, 144. a filio Manlio cogitur iurare, se caussa eius accusandi non concilium plebis habiturum *ibid.*
Porcia, Catonis filia, ex amore erga maritum mortem subiit, 189
Potus v. Cibus.
Praecepta altius descendunt, quae teneris imprimuntur aetatibus, 158
Praeceptor qualis esse debeat, 46. ea alios non doceat, quae ipse non est expertus, 47. ab adsentatione puerorum caueat, 159. magnam vtilitatem, rite docendo, iuuentuti affert, 165. fiat noster amicus, 166. ab illo cultus animi venit, 169. illi plus debetur, quam solui potest, 169. vitiis immunis esse debet, 172. 175. sqq. eligendus optimus, 173. parentis erga discipulos sumat animum, 174. non sit iracundus, nec tamen eorum, quae emendanda sunt, dissimulator, 175. non sit acerbus, *ib.* ingenium discipulorum rite perspicere debet, 176
Praenestini facere dictum 436
Praexaspes adulator fuit 346. pater crudelis in filium, 347
Princeps qualis perfectus, 216. 475. praecipuum illius opus sit, parare amicos, 217. non sit auaritiae deditus, 449. vitiosus exemplo multum nocet, 469. cum parentibus comparatur, 476
Proculeius paterno in fratres animo fuit, 197

Protagoras acie ingenii praeditus fuit, 45. discipulus Democriti, *ib.*
Prudentiae proprium est veri indagatio, 27
Ptolemaei maior gloria moderationis, quam victoriae fuit, 107. ex consiliis Galetis cepit multum voluptatis, 226. ab adulatoribus corruptus est, 345. delectatus est vili pane, 363
Puella qualis ducenda vxor, 193
Pueri in tenera statim aetate informandi sunt, 158. modo frenis, modo stimulis in illis vtendum est, 159. otium interdum illis concedendum est, 159. lusus, 160. 428. nihil discant, quod iterum dediscendum illis est, 160. magni interest quibuscum conuersantur, 161. probitati et industriae studeant, 269. sint modesti, 390. vtantur vestibus honestis 397. cum sapientibus conuersari debent, 413. ad doctissimorum exempla vitam instituant 416. labori adsuescendi sunt, 418. ad vitia procliues sunt, 420. senes vereri debent, 411. illorum ludis interesse debent maiores natu, 426
Pylades amicitiam sancte coluit, 219
Pyrrhus impius erga Deos, 19. Romanis intulit bellum, 110. eius continentia, 272. 330
Pythagoras pius erga Deos, 15. studium eius discendi, 28. ex inimicis amicos faciendos esse suasit, 100. iureiurando non frequenter vtendum esse praecepit, 116. gratus erga praeceptorem fuit, 169. illius ratio instituendi liberos, 423
Pythagorici philosophi liberales erga omnes fuerunt, 237. ad ciborum abstinentiam se exercuerunt, 375
Pythias sancte seruauit amicitiam, 207
Pythius simulator fuit, 90

Q.

L. Quintius Cincinnatus ab aratro dictator creatus, 388

T. Quin-

T. Quintius Capitolinus libere monuit populum Rom. 295

R.

Ratio est domina et regina omnium commotionum animi, 355. illa duce per totam vitam eundum est, 356
Regulus iusiurandum hosti praestitum seruauit 112. continentiae studuit, 272
Religio priuatis affectibus praeferenda est, 18. amicitiae 211
Remissio v. otium
Reprehensio sit sine ira, 324
Res aduersae animum frangere non debent 348. aequo animo ferendae sunt, *ibid.*
Res familiaris parsimonia et diligentia conseruatur, 106
Respublica magnam capit vtilitatem ex iis, qui erudiunt iuuentutem 165. illius caussa omnia tentanda et contemnenda, 294
Res secundae aequo animo ferendae sunt, 340. exempla eorum, qui nimium illis crediderunt, 339. *sqq.* qui aequo animo tulerunt, 340. *sqq.*
Rhacoces seuerus in filium immorigerum, 181
Romani pie colebant religionem, 10. minus acerbe bella gesserunt, 107. hostes victos saepius in ciuitatem acceperunt, *ib.* in bello iustitiae studuerunt, 110. *sqq.* continentiae studiosi, 112. fidem hosti datam sanctissime seruarunt, *ib.* rarus vsus iurisiurandi ipsis fuit, 117. benigni erga seruos, 123. supplicium in parricidas singulare excogitarunt, 152. illorum disciplina in educandis pueris, 160. exercuerunt hospitalitatem, 236. fuerunt fortes, 251. *sqq.* virtus eorum labefactata fuit cupiditate diuitiarum et imperii, 281. res aduersas et secundas aequo animo tulerunt, 340. corporis obesitatem castigarunt, 370. parsimoniae stu-

Landesbibliothek Oldenburg

duerunt, 375. apud illos saltatio turpis habebatur, 402. omne histrionum genus male audiebat, 409. senibus honorem tribuebant, 411. quomodo liberos instituerint, 421
P. Rutilius Rufus resistebat iniustae amici petitioni, 210. innocentiæ et constantiae exemplum fuit, 353

S.

Saltatio apud Romanos turpis habebatur, 402
Samnis patienter dolorem tulit, 315
Sapiens paruo contentus viuit, 278. ex vitio alterius sua emendat, 416
Sapientia optimae diuitiae 35. praesidium vitae, 36
Saturnalia quando orta sint, 122
Saturnus iustitia clarus 122
Scaurus seuerus in puniendo ignauia filii, 180
Scelera secura esse non possunt, 444. conscientia flagellantur *ibid.*
Scientia est pabulum animi, 28. vitae periculo quaesita ab Euclide, 32. Diogene, *ibid.* diuitiis praeferenda, 35. illi nunquam munera deficiunt, 36
Scipio Nasica fortis erat, 259. illi vrbanitas importuna repulsam attulit, 389
L. Scipio impense amauit fratrem, 199
P. C. Scipio recusauit imperium, 289. non suis, sed ciuium commodis studuit 451
P. Scipio A. nihil sine Deorum consilio suscepit, 13. rempublicam priuatis simultatibus potiorem habuit, 137. victorem sui ipsius laudauit 265
Seneca cupiditate flagrauit docendi, 44. aetate prouectus frequentauit scholas philosophorum, 49. doctos in pretio habuit, 54. aequo animo res aduersas tulit, 348. mancipium corporis sui esse noluit, 361. temperantiae studuit, 365
Seneca rhetor memoria prae-

praeditus fuit singulari, 63
Seni discere decorum est 48. exempla eorum, qui in senectute didicerunt, afferuntur, 48. *sqq.* colendi sunt, 411. cuilibet olim licebat iuuenes monere, 412
Sepulcra non sunt violanda, 308
Sermo qualis adhibendus 425. animi secreta detegit, *ibid.*
Seruius Sulpicius Ciceronem lugentem consolatus est, 318
Seruis moderate imperandum est, 118. illis non abutendum, 119. tot hostes, quot serui, *ib.* cum illis clementer viuas, *ib.* non ministerio, sed moribus aestimandi, 120. non verberibus, sed ratione coërcendi, 122. illorum fides in dominos, 126. exempla adducuntur *ib. sqq.*
Seruitus nulla turpior, quam voluntaria, 120
Seueritas censoria 370
Seueritas parentum aduersus liberos, 144. 177. *sqq.*
Seueritate vti licet, sed ira careat, 456
Sextius monstrauit iter ad Deos, 13. consummato die, facta et dicta scrutatus est, 401
Siculi studiosissimi fuerunt tragoediarum Euripidis, 37
Silentio studendum est, 424. exempla, *ib.* praestat silere, quum multa loqui, *ibid.*
Silurus, rex Scytharum, moriens filiis concordiam commendauit, 195
Simon, puer, a delphino nutritus est, 244
Simonides ab amico aliquid iniusti petiit, 210
Simulatio est pessimum vitium, 89. *sq.* amoris peior est odio, 218
Sinaetas Artaxerxi obtulit donum 234
Sitis est optimum condimentum potus, 362 exemplis illustratur, 363. *sqq.*
Societate omnes vna tenemur, 127. quae caríssima, 128. prima hominum est coniugi-

um, 185. sustentatur virtute, 222
Socrates Diis tenuia fecit sacra, 9. nil vltra a Diis quam bona petenda esse existimauit, 22. vitia ipsi natura ingenita ratione deiecit, 31. modestiae studiosus, 55. 338. ex inimicis amicos faciendos esse censuit, 100. cum vxore placide comiterque vixit, 188. reprehensiones amicorum amice accepit, 213. amicos sibi optauit, 221. laudauit Aeschinis donum, 233. pauciſſimis contentus fuit, 278. mortem aequo animo subiit, 301. contemsit humationem 305. vicit iram, 324. iniurias condonauit, 328 illi semper idem vultus eademque frons fuit 352. omnem beatam vitam in virtute ponere videtur, 357. temperantiae studuit, 363. 368. 372. 376. ad laborum tolerantiam se exercuit 373. iram vxoris patienter tulit 374. cum pueris ludere non erubuit, 426. famae consuluit, 443
Solitudo omnia mala suadet, 429
Solon quotidie didicit, 48. animus eius fractus est ob fictum filii obitum, 194. virtutem diuitiis antepositit, 284. consolatus est grauiter moerentem, 318. non fuit adulator, sed libere erga superiores veritatem dixit, 347. vitam beatam non auro, neque argento, metiendam esse iudicauit, 360. comoedias e republ. tollendas esse iudicauit, 408. aequitati studuit 465
Somno parce vtendum est 399. exempla, *ib.* turpe est, illi nimis indulgere, 401. antequam cubitum eamus, acta et facta diei scrutari debemus, *bis.*
Sophocles ad summam aetatem tragoedias conscripsit, 48. modestus, 390
Spectacula magis mores corrumpunt, quam emendant 407

Landesbibliothek Oldenburg

Speculum, vt nos noſcamus, inſpiciendum eſt 393
Speuſippus, conuerſatione Platonis correctus eſt 414
Stilponis ardor diſcendi 30. vitioſam naturam, doctrina edomuit, *ibid.* diuitiae eius virtus et doctrina fuerunt, 282
Stoici contemnebant dolores, nec malum illos eſſe pronuntiabant 314
Studiorum ardor Archimedis, 28. Pythagorae aliorumque, 29. *ſqq.* ea delectant et proſunt, 38. quae vitia in ſtudiis vitanda 40. vtilia diſcenda ſunt, 41. ſuperuacua fugienda, 42. exempla eorum, qui in ſenectute ſtudia excoluerunt, 48. emolliunt mores, 147
Superbia fugienda eſt 338
Superiores erga inferiores ſint humani, 338. exempla adducuntur, 339. *ſqq.*
Sylla malo poëtae praemium tribuit, 52. 247.

T.

Tarquinius ſuperbus ex vrbe eiectus eſt, 130. bellum Romanis intulit, 132
Telephus vulnus hoſtili haſtae ſanandum praebuit 104
Temperantia moderatrix omnium commotionum animi eſt, 355. illi eſt ſtudendum, 364. exempla, 365
Templorum origo apud Graecos atque Latinos, 15. illis olim magna praeſtabatur reuerentia, 16.
Tempus non perdere debemus, 42
Terentii fides in amicum 220
Thacus factus ex rege priuatus 432
Thales vnus ex ſeptem ſapientiſſimis Graeciae, 16 eius modus diteſcendi 34. alieno animo a ducenda vxore fuit, 194. eius cauſſae, cur matrimonium reſpueret, 195.
Themiſtocles memoria ſingulari praeditus fuit, 63. conſilium minus honeſtum attulit, 83

iuuentutis vitia virtute emendauit, 159. suasit delectum coniugis instituere ex moribus, 193 denegauit amico iniustam petitionem, 210. Euribiadem ad meliora constantia sua reuocauit, 263. aemulator Miltiadis 441
Theodectes memoria singulari praeditus fuit, 63
Theodorus contemnebat sepulturam, 305
Theodosius facile ad iram commouebatur et cito flectebatur, 325. lapsos mores suo exemplo restituit, 471. clemens fuit, 477
Theophrastus celebrat sapientiam, 36
Theramenes mortem haut metuit, 297
Thoas puer a dracone ex periculo eripitur, 245
Tiberius fortunam praesentem tantum adspexit, 341. in dicaces patiens fuit, 401. famae consuluit, 443. clemens fuit, 480
Timandridas diuitias neglexit, 280
Timoleon nihil sine Deorum numine agi putauit, 14. vir magnus fuit 284. a cupiditate imperii alienus, 285
Timon osor humani generis vocatus est, 204. vno vsus est amico ob morum similitudinem *ibid.*
Timotheus felix in expugnandis vrbibus fuit, 366. illi ab Athenienssibus magni honores sunt habiti, 367. conuiuio Platonis est delectatus *ibid.*
Titus, v. Vespasianus.
Traianus dilexit amicos et ab illis dilectus est 217. adulatoribus non praebuit aures, 347. facere dictum, 454. clemens fuit, 480
Tranquillitati studendum est, 320. nulla perturbatione mouetur, 356. illius morbi, 357
Trebonius Ciceroni gratulatur de filio diligenti 167

V

Valentinianus infidis hominibus se dedit, 216.

Valeria maritum post mortem amauit, 192
Valetudo sustentatur sui corporis notitia, 375. bonae valetudinis mater est frugalitas, 375
Vectigalia nerui imperii sunt, 480. illorum beneficio imperia retinentur, *ibid.*
Vedius Pollio crudelis in seruos fuit, 118
Veniam vltro dare debemus peccantibus, 202
Veritati est studendum, 91. *sqq.* ea ex inimicis audienda, 104. odium parit, 211
T. Vespasianus inimicitias facile est oblitus, 102. loco generationis valde delectatur, 168. amor ac deliciae generis humani vocabatur, 225. iram vicit, 326. rebus secundis moderate se gessit, 341. nullam occasionem corrigendi praetermisit, 398. legibus aequissimis vitia aboleuit 470
Vestitus sit honestus, 394
Victoria recte vtendum est, 107. ea est maxima, vitia domuisse 264
Vir negotia extranea et exercitationes forenses suscipere debet, 185. ornatu virili et modesto incedat, 391
Vir bonus vt fias laborandum est, 50. ab honesto nulla re deterrebitur 71. ne cogitare quidquam mali audebit, 75. sui commodi caussa illi non licet mentiri, 82. 92. etiam cum periculo rectum sequi debet, 260. natus est in exemplar, 349. omnia aequo animo ferat, 351. tempore tantum a Deo differt, 351. omnia acta diei cubitum iens reputet, 400. exempla, 401. nil amici caussa contra fidem faciet, 460
- - constans laetis se non inflat, nec mutatis contrahit, 349
- - fortis sibi imperare debet, 254. quale viris fortibus apud Graecos constitutum fuerit praemium, 256. illius est toleranter pati dolorem 308. non formidabit do-

dolorem, 310. exempla *ibid. et sqq.* illius est crimina obiecta moderate ferre, 336. non perturbatur rebus asperis et secundis, 347. exempla proferuntur, 348. *sqq.*
Vir malus etiam ille est, qui mala facere in animo habet, 74
Virgo morata satis dotata est, 193. v. etiam puella.
Virtus est vnicum et verum hominis bonum 25. 282. diuisio, *ib.* nulli praeclusa est, 120. conciliat amicitias, 203. sustentat hominum societatem, 222
Vitae breuis cursus est 128. 296. ea altos recessus magnasque latebras habet, 174. e vita omnis iucunditas sublata est, sublata caritate 203. non quam diu, sed quam bene acta sit, refert, 298. satis longa est, si bene collocetur 299. non accepimus breuem, sed facimus, *ib.* illius aequabilitas decorum quidquam est, 352. exempla, *ibid. sqq.* non ad similitudinem aliorum, sed ad rationem instituenda est, 358. maior pars illius voluptate perit, 376. eligendus vir bonus, secundum quem instituenda est 415. vt in publico gerenda, 443
Vita beata quis gaudeat 357. qua in re consistat, *ibid.* exempla, 358. non auro neque argento merienda est, 360. vitae generis deliberatio difficillima est, 446. naturae habenda ratio est 447
Vitia studio et disciplina exstirpari possunt 30. ab inimico notata magno studio expurganda sunt, 104. si falsum nobis obiiciatur, inquiramus in causam *ibid.* illa nobis saepius prius nota fiunt ab inimicis, quam ab amicis 105. illa domuisse maxima victoria est, 264. irritamenta eorum fugienda sunt, 266. omnium vitiorum materia diuitiae sunt, 280. aliorum

rum in oculis habemus a tergo nostra sunt, 417
Vitruuius eruditionem diuitiis praetulit, 35. erga parentes gratus fuit 37
Vltio non est licita, 95. inhumanum verbum est, *ib.* exempla eorum, qui non vlciscebantur sese, 96. *sqq.* 326. modus vlciscendi optimus 99
Vlysses asperrimam patriam immortalitati antepositit. 128
Vnguenti origo Persis debetur 398. illo abstinendum est *ibid.*
T. Volumnius amicitiam constanter seruauit, 220
Voluntas peccandi etiam peccatum est, 74
Voluptates vincere maxima victoria est, 266. debellandae sunt omni vi 267. 371. fragiles et breues sunt, 372
Vota, quae facienda sint Deo, 22. Paedaliorum *ib.* Apollonii, *ibid.* Socratis, *ibid.*
Vox viua plus prodest, quam oratio 44
Vrbinius seruatur fide seruorum, 127
Vtilitas omnium est communis, 72. aliorum spoliis nostra non augenda est, 73. vtile non est, quod est iniustum, 80. quod turpe, 82. nostrae vtilitatis caussa non licet mentiri, *ibid.* ex inimicis etiam capitur vtilitas, 103. publicae vtilitatis gratia, gloriae et famae iactura facienda 293
Vulgus amicitias vtilitate probat, 221. diligentior iudex est, 417
Vxorum amor in maritos, 189 exempla, *ibid.* *sqq.* qualis ducenda 193. 194.

X.

Xantippe morosa et iurgiosa fuit, 374
Xenocrates sapientia et sanctitate clarus fuit 116. reprehensiones amicorum grato animo accepit, 213. continentiae studuit, 278. modestiae studiosus 390
Xenophon fuit auditor So-

Landesbibliothek Oldenburg

Socratis, 44. dolori non succubuit, 316
Xerxes impius in Deos 21. bibliothecam Athenarum abstulit in Persas, 58. fidelis amicus ipsi defuit 214. mari ictus flagellorum infligi iussit, 336

Z.

Zaleucus legem tulit de adulterio, 183. misericors pater et iustus legislator fuit, 184. iram prohibuit 325
Zeno dura fortiter tulit 316. taciturnitatem suasit 424
Zoilus Homeromastix vocatus est 52
Zopyrus Dario fuit amicissimus 216

FINIS.



Landesbibliothek Oldenburg



Landesbibliothek Oldenburg

Hoch-Wolehrwürdiger
Hochgelahrter/
Hochgeschätzter Herr Gros-Vater!

Es könnte mir nichts erwünschters kommen, als eine Gelegenheit, Ihnen Glück zu wünschen. Jeder Umstand Ihres Lebens, der Ihnen Freude und Vergnügen machen kann, hat gleiche Wirkung auf mein Herz. Meine kindliche Ehrfurcht siehet nicht ohne Rührung die Verdienste des besten Gros-Vaters vergolten, die Liebe freuet sich darüber, und meine Dankbarkeit findet darin eine Beruhigung, einen Mann glücklich zu sehen, dem sie seine väterliche Liebe zu belohnen viel zu schwach ist. Der Höchste hat Sie itzo eine solche hohe Stuffe von Jahren betreten lassen/ die wenige mit solchen muntern Kräften zu erreichen das Glück haben. Einen Zeitraum von sechs und siebenzig Jahren durchzuleben, bittere Prüfungen des empfindlichsten Schmerzens auszustehen, und doch noch eine

zu-